Disquisitio corporis humani anatomico-pathologica rationibus et observationibus veterum et recentiorum singulari studio collectis confirmata / [Johann Moritz Hoffman].

Contributors

Hoffman, Johann Moritz, 1653-1727.

Publication/Creation

Altdorfii-Noricorum : M.D. Meyer, 1713.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/mqyh2t69

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

62653/B
Le Le
1.16
T A
12
I
C. 5

MEDICAL SOCIETY
OF LONDON

WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

HOFFMANN, J.M.

JOHANNIS MAVRICII
HOFFMANNI
PHILOS. ET MEDIC. DOCTORIS,
Diverſorum S. R. I. Principum
Conſiliarii & Archiatri,
Vniverſitatis Altdorfinæ Senioris & Facultatis
Medicæ Prof. Publ. primarii,
Inclut. Reipubl. Noriberg. Medici,
Academiæ Carolino-Imperialis Naturæ Curioſorum
Adjuncti d. Heliodori,

DISQVISITIO CORPORIS HVMANI ANATOMICO-PATHOLOGICA

RATIONIBVS ET OBSERVATIONIBVS
VETERVM ET RECENTIORVM
SINGVLARI STVDIO
COLLECTIS
confirmata.

ALTDORFI-NORICORVM
A. C.
MDCCXIII.

Typis MAGNI DANIELIS MEYERI.

SOCIETY OF LONDON MEDICAL

JOHANNIS MAVRICII
HOFFMANNI
Phil. et Medic. Doctoris,
Principum S. R. I. Principum
Comitiani & Archiatri,
Universitatis Altdorfinae Senioris & Facultatis
Medicae Prof. Publ. primarii,
Inclut. Reipubl. Norbergi Medici,
Academiae Carolino-Imperialis Naturae Curiosorum
Adjuncti & Honoris

DISQVISITIO
CORPORIS HVMANI
ANATOMICO-PATHO-
LOGICA

RATIONIBVS ET OBSERVATIONIBVS
VETERVM ET RECENTIORVM
SVPPLENDI STVDIO
COLLECTIS

ALTDORFI - NORICORVM
A. C.
MDCCXIII

SERENISSIMO

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

THEODORO

COMITI PALATINO

RHENI

DVCI BAVARIÆ JVLIACI CLIVIÆ ET MONTIVM PRINCIPI MÖRSIÆ COMITI VELDENTIÆ SPANHEIMII MARCÆ ET RAVENSPERGÆ DOMINO RAVENSTEINII

PRINCIPI AC DOMINO

MEO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIME
DVX
PRINCEPS ET DOMINE
CLEMENTISSIME.

SERENISSIMI NOMINIS TVI fulgorem disqvisitioni præsenti preli tenebris subductæ præponere nunqvam ausus fuissem, nisi inter virtutes Tuas coruſco emicans jubare clementia æqvam gratiæ veniam mihi promisis-

miſiſſet. Medicæ artis experimenta Æſculapii fano olim ſacrabantur, ego obſervationes corporis humani pathologico-anatomicas ad throni Tui principalis æternitatem ſuſpendo, artificii aliqva ſocietate has pariter ac illa in viventium ſalutem ceſſuras, dum plurimorum morborum & ſymptomatum antea reconditam noticiam nunc luci publicæ offerunt. Eqvidem, SERENISSIME DVX, Tibi in excelſo Principatus faſtigio collocato prima ac perpetua cura eſt, ut ſubditorum tuorum tutelæ, incolumitati ac emolumento præſis ac proſis, & qvam accepiſti ditionem, meliori ſtatu reddas: Soles tamen ſubinde à ſummarum rerum majeſtate animum demittere ad inferiorum naturalium ſcrutinium, & de iis, qvæ

vel ad ſecundam ſervandam vel adverſam valetudinem declinandam facere poſſint, gratioſiſſime mecum colloqvi, qvoties præſtanda humillime medendi officia ſublimem Tuum conſpectum ſubire jubent: qvin ſubmisſisſima cum veneratione ſemper miratus hucusqve ſum, ea qvæ Macrocosmus & Microcosmus occulto tegit involucro arcana, SERENITATI TVÆ perſpectiſſima eſſe, ad exemplum Glorioſiſſimæ Memoriæ SERENISSIMI PARENTIS TVI CHRISTIANI AVGVSTI, Ducis qvondam Pii, Prudentis, Felicis, & inter Germaniæ Principes Neſtoris inclutiſſimi, qvi uti Regiminis moderationi, univerſo applaudente orbe ſapientiſſimæ, divinarum humanarumque literarum peri-

peritiam incomparabilem connubio junxerat ſtabili, ita ſingulatim chemiæ cenſuris vulgi, judice Borrichio, jamdiu ſuperiori, inqve magnis Regum Principum & excitatiſſimi cujusqve ingenii animis ſemper magnæ & encomium inſigne ſtatuerat, & ejusdem apprime gnarus erat. Excipe ergò DOMINE CLEMENTISSIME ſereno vultu huncce libellum, mole parvum ſubjectione magnum, illumqve more donariorum, qvæ templis dedicantur, non tam pretio qvàm offerentis devenerationē æſtimare dignare, atqve me clementisſima Tua benignitate porro beare haud deſiſte. In qvo voto ſpei plenus finio & Te CELSISSIME DVX cum SERENISSIMA THORI SOCIA

atqve

atqve VNIVERSA HÆREDITARIA AVGVSTAQVE DOMO Divinæ protectioni serio commendo.

SERENITATI TVÆ

Scrib. Altdorfi
D. XXIV.
Mensis Martii
A. C.
M DCC XIII.

æternis obseqviis deditissimus

JOH. MAVRICIVS HOFFMANNVS, D.

PRÆFATIO.

Negocioſum horarum ſuccisivarum ocium Tibi, Benevole Lector, hic exhibeo, disqvisitionem corporis humani pathologico-anatomicam, cui operam me impendiſſe ſpero haud fruſtraneam, tametſi enim Riolanus in enchiridio anatomico, Mœbius in fundamentis medicinæ phyſiologicis, Molinettus in diſſertationibus ſuis anatomico-pathologicis, & alii, hiſtoriæ naturali partium præternaturalem quoq; ſubjecerint, illi tamen omni laude majores Viri non inventa ſed qværenda nobis reliqverunt, ſiqvidem recentiores obſervationes pathologiam plurimis adauxerunt acceſſionibus, quas eapropter tum ex noſtri ævi ſcriptoribus prioribus adjungere, tum ſpeciatim ex ephemeridibus noſtris germanicis phyſico-medicis excerpere, excerptas ſub diſtinctis claſſibus colligere, conſultum viſum eſt, eo ſimul obſervato ordine, ut ſtatui partium naturali, in ideâ machinæ humanæ anatomico-phyſiologica à me antehac propoſito, ex disqviſitione hac pathologica præternaturalis εὐπαέκτως *mox ſubnecti poſſit; nec minus morborum & ſymptomatum rite ab invicem diſcernendorum rationem habui, & quantum inſtituti præſentis norma ferebat, effectus morbidos à cauſis ſuis deducere allaboravi. Excitat Auditor ſtudium, meum quoq; excitarunt*

)( )(*Audi-*

Auditores Nobiliſſimi & Clariſſimi, partim publicis muneribus ſingulari cum famæ celebritate jamdum defungentes, partim ad decus & palmam futuræ gloriæ ſtrenue contendentes, qui ſpecimina ſequentia viginti, ea qvæ recenſentur ſerie, ex cathedra academica ſub meo præſidio reſpondendo maſcule propugnarunt.

I. DN. JOHANNES FRIDERICVS HERELIVS, Fürtho-Noricus.

II. DN. JOHANNES FRIDERICVS SCHWARZ, Lubecenſis.

III. DN. NICOLAVS GVOLFGANGVS MÜLLERVS, Noribergenſis.

IV. DN. JOHANNES PETRVS RÖSELIVS, Hersbrucco-Noricus.

V. DN. JOHANN. FRIDERICVS CHARIS, Græcenſis Styrus.

VI. DN. JOH. GEORG. KÖNIG, Hersbrucco-Noricus.

VII. DN. TOBIAS DEGGELER, Scaffuſienſis Helvet.

VIII. DN. JOH. JACOBVS JANTKE, Brega-Sileſius.

IX. DN. GEORGIVS FRIEDERICVS HÖCHSTETTER, Weiſſenburgo-Francus.

X. DN.

X. DN. HELVICVS GVILIELMVS STAVDACHER, Onoldo-Francus.

XI. DN. BENEDICTVS KRVM, Landtspergenſis Bojus.

XII. DN. JOH. WILHELMVS WIDMANNVS, Noribergenſis.

XIII. DN. JOH. CAROLVS ROST, Noribergenſis.

XIV. DN. JOH. GEORGIVS HASENNESTIVS, Windsheimio-Francus.

XV. DN. JOSEPHVS JACOBVS HÄMPEL, Pilsnâ-Bohemus.

XVI. DN. JOH. FRANCISCVS RAVCH, Breitenprunno-Palatinus.

XVII. DN. HEINRICVS SONNTAG, Altdorfinus.

XVIII. DN. CAROLVS FRIDERICVS GEORGIVS PEZ, Neoſtadienſis ad Ayſchum Francus.

XIX. DN. ALEXANDER HELLADIVS, Natione Græcus è Theſſalia.

XX. DN. AVGVSTVS WOLFGANGVS MILLER, Lindavio-Acronianus.

Cumpri-

Cumprimis autem laudanda mihi est industria Nobiliss. & Experientiss. Dn. J. G. HASENNESTII, Med. Doctoris & in patria urbe imperiali Practici feliciſſimi, Fautoris mei honoratiſſimi, qvam in Indice accuratiſſimo conficiendo & consignandis typothetæ mendis adhibuit, eoq; labore non solùm privatam meam sempiternam, sed & publicam, benevolentiam promeritus est. Ceterum qvoniam probe novi, nulli unqvam scripto eam obtigisse felicitatem, ut cum statua Minervæ inimitabili Phidiæ manu exsculpta extra obtrectandi studium in arce locaretur, multo minus huic meo aut mitiorem promitto aut vana spe præsumo sortem, dum tamen posterorum negocium juxta Senecam egi, atq; illis aliqua, qvæ prodesse poterint, conscripsi, intentioni piæ saltem haud defuturam gratiam confido.

J. J.

SPECIMEN I.

§. 1.

POstquam Corporis humani contemplationi Anatomico-Physiologicæ hactenus attendimus, nunc huc in ejusdem Ἀλόσκεψιν Anatomico-Pathologicam advertemus mentem; atq; sicuti in priori Æterni Conditoris omnium rerum summam potentiam, imperscrutabilem sapientiam, & ineffabilem benignitatem admirati & edocti sumus, ita in posteriori mortalis generis caducam labem, perniciem inevitabilem, inconstantiæ imaginem, corruptionis speculum, temporis spolium, calamitatis hospitium intuebimur & addiscemus.

2. Jam verò quia brevitatis ratio nobis habenda, & illa quæ sæpius obveniunt, ac in praxi Medicâ usum habent, saltem ὡς ἔν τύπῳ recensere propositum est, nolumus tempus consumere in *externâ* universi corporis ἀσυμμετρία declaranda, quam immanis gigantum moles, vel pygmæorum parva cohors, quæ juxta Juvenalem pede non est altior uno, spectandam præbet, id interea ad animum solùm revocaturi, plus solito eminentem vel depressam corporis in ætate perfectâ staturam, aut connatæ à parentibus dispositioni hæreditariæ, & definitæ à primo motore staminum primordialium in ovulis mensuræ, aut horum uberiori vel parciori temporis successu subministrato & appro-

priato nutrimento, aut ſpirituum majori minorive activitati, aliisq; rebus augmentationi vel amicis vel adverſis imputandam eſſe; dum *ſingularum partium* ad invicem *proportionem turbatam* aut *vitiatam* eædem cauſæ, tum porrò inepta faſciatio ac deligatio, inæquabilis ſucci nutricii aſſimilatio, extraordinaria alicubi facta humorum congeſtio ac collectio, prava conſuetudo, extrinſecorum violentus perpeſſus occurſus, læſionesq; morboſæ variæ gignere & relinquere poſſunt. Neque in *monſtrorum* originem operosè inquiremus, qualis etſi ſupranaturalibus cauſis adſcribi nonnunquam poſſit, plerumq; tamen principii vitalis efformantis aberrationi, aut incongruis à matris imaginatione impreſſis ideis imputanda eſt.

3. Quin ergò potius methodum, quâ in Anatomiis publicis hiſtoria naturalis partium exponi ſolet, ſecuturi, initio ſcrutabimur, quas *integumenta corporis communia* dicta *præternaturales afflictiones* patiantur.

4. Primùm igitur quæ in conſpectum venit *Cuticula*, nunc *ſeorſim* & *ſola*, nunc cum *reliquis* in conſortium venientibus *Integumentis* morbidis obnoxia habetur paſſionibus. Præterquam enim quòd nonnunquam ab ortu prorſus *defuiſſe* notata ſit, exemplo Ludovici Bohemiæ & Hungariæ Regis à Th. Bartholino in Anat. conſignato, peſſimis denudatarum papillarum pyramidalium ſubjacentium, fibrillarumq; extremarum nervearum ulterius exporrectarum, immediatum objectorum tangibilium contactum haud impune ſed moleſte admodum ferentium, rebus, nec minùs madore in ſuperficie corporis, propter vaſorum extremorum haud obtecta oſcula, remanente perpetuo: *aliqua* ſubinde ejusdem *portio* ſub *intertrigine*, propter attritum fibrillarum tenerrimarum longiorem aut abraſionem,

aut

aut propter earundem à ſero exundante ſalſugineo eroſionem, deperditur, nunc ab hoc paulo minus acri, modo per ſe uberius affluente, modo per cauſtica & veſicatoria confertim prolicito, & ex vaſculis fibrillisque capillaribus ruptis erumpente, in extremâ tamen motus viâ intercepto, in *puſtulas*, *phlyctænas*, in capite ſpeciatim *pſydracia* dictas, *epinictydes*, & *eſſere* elevatur.

5. Similiter *cuticula* ob ſucci nutricii lentas viſcoſas tenacesq; particulas fibrillis & lamellis minimis interfuſas, & per arctiorem compreſſionem agglutinatas, ſordesq; extrinſecus appoſitas præter naturam *incraſſatur*, & *callo*, fibrillarum nervearum ſubjectarum ſenſum obtundente, obducitur.

6. Adhæc cuticula *poris* nimium apertis, *valvuloſisq; ſuis expanſionibus*, cucurbitulæ ſpeciem referentibus, ſudorisque ſubcutaneis vaſculis imminentibus, *relaxatis*, inſenſili tranſpirationi eventilationem, & ſudori exitum ſolutionem pandit, *poris* contra *occluſis valvulisq; tenſis* utrique cum notabili actionum læſione obicem ponit.

7. *Temperies cuticulæ* ab humorum affluentium & ſubſiſtentium *dyscraſiâ* ſeſe immutari patitur; *ſuperficies* terſa nitida alba æqualis à cruſtoſis ſquamulis, excreſcentiis, tumoribus, cicatricibus, nævis, maculis, exanthematibus variis &c. corrumpitur; *unitas continui* à vulneribus, ulceribus, contuſionibus &c. læditur, qualia pathemata, quia *cutem* ſimul affligunt & occupant, ſub hujus præternaturali expoſitione demum declarabuntur.

8. *Corpus reticulare mucoſum*, cuticulæ ſubtus arctiſſimè connexum, ſubjectum potiſſimum in ſtatu p. n. exiſtere videtur *colorum peregrinorum*, cuticulæ vulgò imputari ſolitorum, ſed revera per hanc tantùm trans-

parentium, quando ab extravasatis inibi depositis, pro diversâ crasi coloratis, rubentibus, flavescentibus, lividis, nigricantibus, pallescentibus, & albescentibus, sanguinis serique particulis, similem induit colorum habitudinem, & per cuticulam oculis spectatorum repræsentat, etiamsi negari non possit, fibrosam solidam cutis subtensæ imò & cuticulæ superextensæ crassioris redditæ nec amplius diaphanæ texturam ab assumtis crassioribus & præsertim ambientis variâ temperie, radiisque solaribus incidentibus ita immutari posse, ut variâ hinc eveniente luminis absorptione, reflexione, vel refractione, color resultet spectabilis, sicuti id *nigredinis* à radiis solaribus contractæ exemplo patet.

9. Sed ad *cutem* nunc propius accedemus, inquisituri, quibus illa, juxta cum cuticula & corpore reticulari mucoso situ superioribus, & glandulis miliaribus inferioribus, pathematibus laboret. *Intemperiem* igitur acquirit variam ab humoribus & spiritibus dyscrasiam vitiosam jamdum habentibus, ipsique conciliantibus & appropriantibus, vel talem inibi ob interceptum commeatum reciprocum, pororumque tubulorum ac meatuum turbatum ordinem ac vitiosam digestionem, demum nactis.

10. *Malam conformationem* in *figurâ* & *superficie* cutis susscipit à morbis §. præcedente septimo jamdum nominatis, tùm à *tumoribus* mox enarrandis.

11. *Poros* ac *meatus* tàm minores quam majores, hucq; terminata *vasculorum sudoris excretoriorum oscula, cutis* poro præter naturæ modum exhibet & *laxiora* & *strictiora*, cum sudoris & insensilis transpirationis *ibi* immodica profusione ac dissipatione, *hîc* geminæ dictæ universalis evacuationis indecente suppressione & interceptione simul eveniente, idque eo magis, si cuticula

poro-

pororum dispositioni respondebit; dum in *sudore sanguineo* præter *glandularum subcutanearum* structuram per amplificationem vel erosionem læsam, dictorũ vasculorum sanguiferorum ad glandulas excurrentium anastomosin diapedesin & diæresin, pro subjectorum & causarum prægressarum diversâ conditione, culpare fas erit.

12. In *tumores* verò *cutis* cum *cuticulâ* attollitur diversos, ex quorum serie nunc singulatim adducendi sequentes occurrunt: *Verrucæ*, eædemq; vel *sessiles* speciatim *myrmeciæ*, vel *pensiles acrochordones*, vel si ulterius promineant *cornua*, quorum figuram ac duritiem æmulantur, dicendæ, vid. Miscell. Natur. Curios. Decur. I. Anni I. Observ. XXX. enatæ à succo nutricio ex fibrillis vasculisque capillaribus ad cutem desinentibus laceratis aut erosis effuso, cutis cuticulæque texturam fibrosam ulterius protendente. *Calli*, *Clavi*, *Cicatrices*, eandem originem materialem, peculiariter autem per pororum cutaneorum superinductam angustiam & compressionem sive condensationem, carnosæque substantiæ supplementum, determinatam habentes. *Sudamina*, *papulæ sudorales* aut *sudorosæ*, à particulis salinis acrioribus cum sero tenuiori ad glandulas subcutaneas depositis, mox hinc ulterius prorumpentibus, ac cutem ulcerosam cum cuticula exasperantibus, genita. *Impetigo*, ab ichore erodente è glandulis miliaribus subcutaneis ad cuticulam effuso, hancque in crustas furfuraceas segregante, oriunda. *Alphus*, *vitiligo*, *morphæa*, maculis majoribus subasperis cutis colorem in nigrum vel album mutantibus conspicienda, ab humore acido-viscoso retorrido nutrimentum corrumpente, & partim glandulas subcutaneas scirrhosas efficiente, partim epidermidis continuitatem solvente producta. *Leuce* macula continua cutis & carnis subjectæ colo-

rem ac ſubſtantiam in fœdam leproſæ affinem albedinem mutans, à ſero acido viſcoſo fixiori in coagulum extravaſatum abituriente, natales ſuos accipiens. *Ecchymoma, ſugillatio*, à ſanguinis, propter vaſcula ſubcutanea ſolutionem continui paſſa, meatuumque inverſum ordinem, extravaſatione & ſtagnatione reſultans, atq; in extimo corporis habitu rubicundum, hinc liveſcentem & flaveſcentem, colorem relinquens. *Emphyſema* flatulenta cuticulæ cum cute extenſio à ſero in halitus tenaces reſoluto ſubtus deliteſcente emergens. *Fungus* protuberantia cuticulæ ac cutis nec non ſubjectarum membranarum ac carnium mollis laxa ſpongioſa à ſero lymphatico nutricio præter naturam extravaſato ac concreto inducta. *Inflammatio, phlegmone*, cum calore, rubore, dolore, tenſione, ac pulſatione notabili affligens, à ſanguinis ♀eo-☉ini acrioris bilioſi in vaſculis minimis per cutem & cuticulam diſtributis motu intercepto, horumq; varicoſam diſtenſionem efficiente, nata. *Eriſypelas* cum macula rubra lata & diſperſa dolorifica extra cutem & cuticulam, poſt prævium plerumque horrorem, efflureſcens, à ſubtili & volatili ſanguinis ac lymphæ acido cum particulis bilioſis ſalinis acrioribus ad emunctorium univerſale confluente, hîcque in coagulum abeunte, productum. *Scirrhoſa glandularum ſubcutanearum* tubercula dura, & ſine dolore contactui renitentia, à ſeri particulis chyloſis glutinoſis propter admixtum acidum coagulativum easdem infarcientibus reſultantia. *Herpes*, isque vel *miliaris κεγχρίας*, cuticulam in puſtulas pruriginoſas ſerpendo latiùs progredientes, ſemini milii non abſimiles, attollendo à cute ſegregans, vel *ferus exedens ἐσθιόμυρμηξ*, cutem ipſam depaſcens, ab humore ſalino minus vel magis acri, tenuiori ichoroſo, vel craſſiori pituitoſo, ſu-

pra

pra cutem & cuticulam diffuso excitatus, cui affinis *Zona* sive *Zoster* herpetis species, per regionem corporis mediam, cui cingula circumduci consueverunt, in circulum quasi circumducta. *Scabies* tumor integumentorum extimorum cum eorundem solutâ unitate & exulceratione conjunctus, à particulis sanguinis salsis excrementitiis, nunc pituitæ viscosæ in glandulis subcutaneis hærenti impactis, nunc à sero fluidiori dissolutis & cum eodem diffusis, proveniens. *Lepra Arabum* sive *Elephantiasis Græcorum*, tumor totius corporis, vel quarundam partium, cum pernicioſis aliis symptomatibus, fœdas impetigines ac maculosas desquamationes inferens, ab insigni sangvinis ac lymphæ acrimonia acido-salina septicâ ingeneratus. *Cancer* tumor lividus nigricans durus inæqualis, venis circumcirca turgidis dispersis temporis successu conspiciendus, ab humore acido virulento & quasi arsenicali in subcutaneis, potissimùm verò mammarum labiorum nasi ac palpebrarum glandulis coagulato, easdem cum integumentis communibus superstratis depascente inductus, ante manifestam autem exulcerationem (humore ejuscemodi noxio moleculis chylosis sive pituitosis blandioribus adhuc involuto) *occultus* dictus. *Carbunculus* sive *Anthrax* ab acerrimo ac virulento ichore circa glandulas miliares subcutaneas collecto, partes circumpositas cum atrociſſimo dolore erodente, iisdemque subitam mortificationem, ex livore nigro dijudicandam, intentante profectus. *Bubo* affectus glandularum sub alis & ingvinibus reconditarum conglobatarum inflammatorius, (hîc quoque recensendus, quatenus cutem ac cuticulam simul in tumorem conspicuum attollit, ac si suppuretur, eorum continuitatem solvit,) a sanguine & lymphâ ♃eo-♀inis acrioribus particulis turgesce-

te,

te, aut malignis peſtiferis aut virulentis venereis acido-viſcoſis recrementis inquinato, in motu ſuo ibidem intercepto, genitus. *Parotis* tumor in glandulis poſt aures ſitis cum inſigni dolore & inflammatione comitem à ſanguine & lymphâ ſalino-acrioribus ſpiculis ibidem ſtagnationem concipientibus ſubortus. *Phygethlon* tumor, à bubone & parotide depreſſiori altitudine ac latiori ſui expanſione discernendus, circa collum alas & ingvina quoque emergens, intenſiſſimo rubore ac calore nec non febre quandoque ſtipatus, à particulis ſanguinis acidis cum lympha viſcoſa ibidem collectis genitus, difficulter ſuppurabilis, qui enim ipſi affinis tumor *phyma* denominatur, minor ac planior ad ſuppurationem mox tendit, chyloſis moleculis mox in pus abeuntibus. *Furunculus* phymati propinqua accedens ſimilitudine cujusvis glandulæ ſubcutaneæ tumor phlegmonodes dici ſolet, anguſtiori tamen termino circumſcriptus, rubore ac calore notabili præditus, à ſanguinis chyloſi crudioris ſubſiſtentiâ enatus. *Terminthus* tuberculi ſanguinolenti ſpecies in tibiis ſæpius apparens, ſub nigrore vireſcens, à ſangvine fæculento ſcorbutico aut venereo virulento præternaturali acore adulterato & in glandulis ſubcutaneis ad coagulationem vergente, primordia ſumens. *Oedema* tumor albicans laxus, mollis, ſine calore & dolore affligens, atque compreſſioni digitorum cedens, à ſeroſis lymphaticisque ſanguinis particulis, propter lentorem aut coagulationem per vaſa lymphatica haud refluentibus, ſed in cavernoſis cuticulæ ac cutis excavatis interſtitiis glandulisq; ſubſiſtentibus, ſubortus. *Roſeolæ ſaltantes* tubercula latiuſcula, ſubrotunda, rubentia vel liveſcentia, in cute hinc inde conſpicienda, à ſanguine ichoroſo ex glandulis vaſculisque

lisque sangviferis subcutaneis per diapedesin ad habitum corporis externum diffuso orta. *Ephelides* maculæ utplurimum in gravidis nonnunquam in aliis etiam sexus sequioris personis fuscæ, frontem, tempora & genas occupantes, à fæculentis sangvinis recrementis propter mensium suppressionem aut dispositionem scelotyrbicam ad emunctorium universale depositis, per cuticulam vultus tenuiorem efflorescentibus, subortæ. *Nævi materni* diversi per imaginationem maternam vel spontaneam humorum subsistentiam fœtui impressi characteres, à determinato spirituum motu ac texturâ cutis mutatâ resultantes. *Maculæ infantium volaticæ* ad herpetem sive erysipelas referendæ, eandem cum roseolis causam agnoscunt, infantibus propter diaphorisin interceptam sangvinemque ichorosum moleculis chylosis indigestis aggravatum familiares. *Maculæ epaticæ* ex livido fuscæ vel flavescentes, interdum evanescentes mox rursus emergentes, & si scalpantur squamulas minimas deponentes, à sanguinis excrementitiis ♃eo-☉ino-terreis particulis per acidum vel viscidum præternaturale combinatis subnatæ. *Maculæ scorbuticæ* lividæ vel flavæ, femora crura quin & brachia obsidentes, ex sanguinis recrementis ♀eo-☉ino-viscidis in glandulis quibusdam subcutaneis coagulatis & vappescentibus, inde ulterius ad cuticulam extrusis, relictæ. *Lentigines* maculæ lentis magnitudine faciem cumprimis & collum tum nonnunquam pedes defœdantes, à sanguinis bilioſi terreo-oleoso-salsis fæculentiis, per incumbentes solis radios aut ventos sub cuticula coagulatis erumpentes. *Sirones* sive *Chirones* pustulæ sub volis manuum vel plantis pedum ex chylo putredinali corrupto verminosam sobolem fovente ac pariente provenientes. *Ficus*, σύκωσις, tumor in ca-

pite juniorum piloso rotundus ac subruber factâ apertione saniem granis ficuum similem fundens, nec non *Talpa topinaria* inter cutem & pericranium sese expandens tumor, à portionibus chylosis indigestis extravasatis in liquamen purulentum abeuntibus, proficiscuntur; sicuti quando serum à glandulis subcutaneis uberius absorptum inter integumentorum & pericranii vel hujus & ipsius cranii præternaturaliter excavata interstitia deponitur, *hydrocephalus* externus accrescere solet. *Crusta lactea, favus, ichor, tinea,* sunt tubercula ulcerosa & crustosa in capite & facie infantium lactentium, vel etiam paulo adultorum erumpentia, ex lacte in liquamen acido-viscosum acre degenerante, vel etiam chylo similem dyscrasiam nacto, ad glandulas capitis & faciei subcutaneas depositio, genita. *Vari* sunt tubercula faciei subrubentia seminis cannabini magnitudinem non multum superantia, in fronte, facie & circa mentum crebriùs conspicienda, materiam sebaceam vel sangvinolentam post rupturam & expressionem factam fundentia, ex portionibus chylosis vel seminalibus cum ichore salso in glandulis miliaribus congestis enata, quæ si incrementum uberius capiant, atque à sanguine fæculento ichoroso salino acriori foveantur, tuberosum & pustulosum relinquunt ruborem *gutta rosacea* dictum. *Paronychia, Panaritium,* est tumor inflammatorius extremitates digitorum manus occupans ab humore acri fervido intra os & periostium ibidem collecto enatus. *Pernones* sunt tumores tempore hyberno potissimum in calcaneis, & pedum manuumq; digitis solutionem continui tenerioribus & laxioribus cuticulæ ac cutis fibris inferentes, cum insigni dolore, rubore ac pruritu, à sanguine, sero & lympha acrioribus inibi ob frigoris admissi inclementiam

tiam ſubſiſtentibus orti. *Cuticula* demum & *Cutis* cum *glandulis miliaribus* & *membrana adipoſo-carnoſa* ac *muſculis* proximis in tumorem univerſalem præternaturalem diſtenditur, *anaſarca* vel *levcophlegmatia* dictum, à ſero viſcido recrementis variis ⊖ino-∀reis adulterato per arterias ad dicta loca p. n. effuſo, nec per venas aut vaſa lymphatica intra corpus refluente, genitum. *Gangræna* incipiens integumentorum & partium ſubjacentium carnoſarum mollium mortificatio, à cauſis variis, quæ ſanguinis ſpirituumque diſtributionem & commeatum reciprocum inhibere, iisdemque dyscraſiam acido-ſepticam ingenerare poſſunt ſuborta, cui niſi remediis idoneis obviam eatur, ſuccedit *Sphacelus* ſive perfecta mollium non ſolùm, ſed & duriorum partium corruptio, ſenſusque ac motus privatio cum lethali putredine conjuncta.

13. Huc etiam referre licebit inter *exanthemata* notiſſimas *variolas* & *morbillos*: *priores* deſcribimus puſtulas cutis ulceroſas cum febre continua acuta, à lymphâ acidâ acri viſcoſo-putrilagineâ, poſt factam prius in glandulis conglobatis ſtagnationem intra ſanguinem denuo recepta, atque inordinata hujus excitata effervescentia, dein motu critico rurſus in glandulis ſubcutaneis aliarumque partium membranis ſequeſtrata, affluentes chyloſas nutricias portiones corrumpente & quaſi præcipitante ortas: *poſteriores* dicimus maculas rubras cum minori tamen protuberantia & pruritu extra cutem & cuticulam erumpentes, citra ſuppurationem evaneſcentes, febre maligna vel acuta ſtipatas, à portionibus ſanguinis volatilioribus & acrioribus necroſin paſſis & ad emunctorium univerſale protruſis enatas: quibus accenſere lubet *maculas petechiales* & *purpuratas* à ſanguinis bilioſi acrioris quibusdam moleculis, per acorem præternaturalem malignum, vel ſcorbuticum, in glandulis ſubcutaneis coagulatis, provenientes.

14. Præter nominatos *tumores* obveniunt adhuc alii materiam *folliculo membranaceo* peculiari incluſam complectentes, ideo *tunicati* ſive cum *folliculo* denominari ſoliti, qui ipſi non absque plauſibilibus rationibus recentioribus quibusdam Doctoribus nihil

nihil aliud quàm hydatides magis dilatatæ videntur, & ob materiæ contentæ diversam consistentiam in *tres species* dividuntur: harum igitur *prima, Meliceris* cognominata, tumor habetur citra dolorem rotundior, digitorum pressioni cedens, minus prominens, sed in latera sese extendens, materiam melli concreto similem granulatam pelliculæ nervosæ inclusam, à lymphæ portionibus ☉inis volatilibus cum ○○so-ramosis chyli moleculis concretis enatus. *Secunda Atheroma* tumor cuti concolor oblongè rotundus, basi angustiori suffultus, digitorum pressioni reluctans, tardius cedens & revertens, materiam pulti asimilandam tunicæ nervosæ ambitu comprehensam exhibens, ex lympha portionibus chylosis saturata provenientem. *Tertia Steatoma* tumor depressus rotundus reliquis durior basi latiori sustentatus, materiam sebaceam intra folliculum proprium continens, ab oleosis ramentis ad stirias vel lobulos membranaceos præternaturaliter fortè dilatatos ac ultra cutem expansos submministratam. Ceterum etiamsi ad tumores quoque pertineant *strumæ*, *anevrismata*, *varices*, *herniarumq;* diversæ *species*, eorum tamen expositionem sub partium primariò affectarum singulari recensione pathologicâ demum afferemus.

15. Adhæc *solutionem continui* patitur cutis cum cuticula in *vulneribus* morbis læsæ unitatis *cruentis*, ab instrumento acuto secante, vel pungente, vel lacerante inductis, & in *ulceribus*, *fistulis*, *abscessibus*, *sinibus*, morbis solutæ unitatis *purulentis*, ab humore acri acido instar fermenti putrefactivi sese multiplicante genitis, nec non in *adustionibus* à cauterio vel actuali vel potentiali excitatis, tùm & in *contusionibus* à corpore obtuso violenter resistente, vel cum impetu adacto remanentibus.

16. *Papillæ cutis pyramidales*, nec non fibræ similes nerveæ per integumenta communia distributæ, præternaturaliter afficiuntur: vel ratione *sensationis auctæ* in quocunque *dolore* corporis *externo* à diversis causis solutionem continui iisdem intentantibus eveniente; item in *pruritu* sive continuo scalpendi desiderio ab acrioribus salinis seri spiculis sub epidemide conclusis impresso; vel ratione *sensationis imminutæ* in *stupore* & ἀναισθησία, propter sufflaminatum spirituum animalium per nervos ad illas influxum, vel horum suppressam activitatem, insequente.

17. *Membrana adipo-carnosa respectu pinguium globulorum* seorsim *duplici modo* suos patitur manes, dum *illi* intra stirias sacculosque membranaceos à chylo pinguimium coacervantur, uti in *obesitate nimiâ* evenit, vel à calore colliquativo, ut & acrimoniâ salsugineâ plus æquo absumuntur, & *maciem* ac *tabem* relinquunt; respectu autem *fibrarum carnosarum motricium*, vel *tendinosarum*, à subditis musculis exporrectarum, eadem membrana propter varias causas irritativas & lacessentes in motus spasmodicos interpolatos acta *rigorem* & *horrorem* ac *horripilationem* gignit.

18. Postremo loco recensere hic fas esto *malum odorem*, nunc ex toto corpore, nunc ab axillis pedumque digitis exhalantem, sulphuri sanguinis retorrido per aliqualem putredinem cum fuliginibus salino-acrioribus resoluto imputandum.

SPECIMEN II.

§. 1.

PRæternaturalibus, quæ Integumenta corporis communia dicta manent, visis *afflictionibus*, nunc eas commemorabimus, quæ *musculos abdominis* tangunt, *infimi* quippe *ventris historiam Pathologicam* mox proponere, ut *Physiologicæ* sectionibus accommodæ respondeat, æquum est.

2. Solent igitur *dicti musculi*, in morem aliorum, morbificam, ab humorum & spirituum influentium ac appropriatorum vitiosâ dyscrasiâ, aut propriâ turbata structurâ organicâ, suscipere *intemperiem*, præprimis autem *inflammationem* perpeti, à sanguine sulphureo-salino, ob violentam fibrarum vasculorumq; minimorum distensionem, dilacerationem, abruptionem, meatumq; ibidem immutatam convenientiam ac cognationem, per concussionem, contusionem, lapsum, gravioris ponderis elevationem, difficilioris partus emensos labores, aliasque causas prægressas violentas inductam, in suo motu progressivo intercepto demumque extravasato *enatam*.

3. In ampliorem *protuberantiam* iidem musculi à fœtu uterino abdomen expandente, in *præternaturalem* verò *tumorem*, sub cachexiâ pituitosâ ac insequente tympanite & anasarcâ, propter serum salso- vel acido-viscosum intra fibrarum tubulorumq; suorum interstitia effusum, una cum integumentis instratis, protenduntur.

4. *Abscessus* propositos quoque aliquando occupat musculos, post inflammationem nec resolventibus nec discutientibus cedentem, à saniei vel puris vel materiæ purulentæ intra excavatas præternaturaliter inter-

capedines facta collectione, aut alias etiam ob causas antecedentes humorum illuc eveniente paulatina congestione, aut repentino confluxu, genitus, qualis si per occultos cuniculos adauctâ puris copiâ vel acrimoniâ serpat, ac fibras membranaceo-nervoso-tendinosas, quibus aliàs tum cuti copulantur, tum sibi mutuo cohærent, tùm etiam peritonæo subjacenti committuntur, erodat ac dilaceret, *sinus* efformatur, in *fistulam* facile degenerans, quid? quod ejuscemodi *abscessus* nonnunquam *cum folliculo* occurrat, sic namque abscessus talis abdominis ingens & raræ magnitudinis à Viro Celeberrimo Dn. D. Carolo Raygero Miscell. Nat. Curiosor. Decur. I. Obs. XII. designatus legitur, propriæ membranæ ambitu comprehensus, ex quo ope cauterii aperto viginti dierum spatio per vices XLIV. mensuræ puris albi subviridis, primùm crassi mox liquidioris, valde fœtidi effluxerunt, illum verò natales suos accepisse, à vase aliquo ex fortissimis vomitionibus rupto & extravasato sanguine Excellentissimus idem Vir conjecit.

5. Non minùs *serum inter abdominis cutem & musculos* potissimum versus lumbos *effusum*, ubi & frequentes aderant *hydatides* seu membranacei aquâ scatentes folliculi, in adolescente XVI. annorum ascite defuncto observavit Peyerus in Methodo histor. anatomico-medicarum cap. VI. *quale* etiam *inter musculos prædictos atq; peritonæum* sese insinuans, vel laxiorem hujus cum illis cohæsionem, vel omnimodam sejunctionem, cum interstitii præternaturalis efformatione, effecisse deprehensum est.

6. *Lapidem spongiosum* trium unciarum pondere, post intensissimos abdominis dolores *abscessu* insequente *aperto*, volsellâ extractum, vertebræ dorsi non absimilem inæqualem & anguloſum, à Beato Dn. D. Michaele Röten-

Rötenbeccio Physico Norimbergensi olim celebratissimo asservatum, hujusque particulam ad se translatam descripsit Illustri famæ meritorumq; gloriâ celeberrimus Academiæ Leopoldino-Imperialis Director Excell. Dn. D. Wurffbain, Affinis, Fautor & Collega noster honoratissimus Miscell. Nat. Curiosor. Decur. II. Ann. III. Obs. CLXXXIII. similiter *lapillos* fabæ magnitudinem ferme adæquantes, ex tumore civis cujusdam Norici lateri abdominis dextro ad distantiam trium ab umbilico digitorum imminente, post factam apertionem atque insignis saniei copiæ cum teterrimo fœtore emanationem, compresso abdomine prosilientes, & subinde de novo (materiâ proculdubio suggestâ à succo nutricio chyloso recrementis tartareo-salinis coagulabilibus mixto, aut viscidiori unguine terreo-salino adulterato) regeneratos sibi visos publicæ noticiæ communicavit Exc. D. D. Bschererus Misc. Nat. Curios. Decur. II. Anni V. Obs. CVII.

7. Ceterum vulnera, ulcera, adustiones, contusiones, ab iisdem, à quibus integumentis communibus talia adveniunt, causis, una cum hisce musculi abdominis quandoque suscipiunt.

8. Post musculos abdominis quia *Peritonæum* succedit, ad præternaturalem hujus dispositionem indagandam nunc nos convertemus. Id verò etiamsi juxta consuetam structuram ex geminæ saltem membranæ complexu efformatum deprehendatur, adaucta tamen crassitie extraordinaria in *tres membranas* divisibile visum legitur; & sicuti ob vascula sanguifera intertexta minima, si intra ea humorum in orbem quasi circumagi solitorum motus consuetus intercipiatur, *inflammationis* periculo obnoxium habetur, ita etiam à sero viscido intra porosam suam substantiam uberiùs

depoſito intumeſcit, atque ab ejusdem per longiorem moram particulis ſalinis extraverſis & in fluorem quaſi abreptis acrimoniâ *roſionem* patitur, ut per poros hinc magis adapertos illud deinde in abdominis cavum depluat, hinc Cl. Peyerus paulo ante citatus in dicto aſcitico *peritonæi ſuperficiem internam aſperiuſculam, poroſam* tamen, creberrimisque ſanguineis vaſis diſtinctam & rubentem conſpexit, atque idcirco in ſcholio ſubnexo non malè cenſuit, aquam ſi non omnem certe magnam ejus partem à peritonæo deſtillaſſe, ſiquidem hoc poroſum plurimisque ſanguineis vaſis diſtinctum fuerit, quæ natura dilataſſe ac multiplicaſſe videtur, ut huc redundans ſerum commode exantlaret. Inde vero porrò non ineptè quispiam conjecerit, ſeroſos humores, quī teſte Ballonio Conſil. XLV. lib. I. in ſpatiis & inanibus foraminibus viduæ quadragenariâ majoris poſt mortem reperti ſunt, atque *meteoriſmum* inferebant, eandem ſedem primigeniam & exundationis viam habuiſſe: Quanquam ſi ſolertiâ ſingulari accuratiſſimi Anatomici Nuckii Adenograph. curioſ. c. IX. noviſſimè indagata attendamus *vaſa peritonæi lymphatica*, inter muſculos abdominis, ſpeciatim ex membranis iisdem muſculis propriis, nec non inter duplicaturam peritonæi emergentia, ac partim venis muſculis ſuperioribus inhærentia, lymphamque ſuam in glandulas iliacas & hinc per lymphatica Cavæ in chyli ciſternam ducentia, partim in glandulas ſacras inſerta, & inde æque ac priora in glandulas iliacas, hincq; porro ad eundem alveum lympham refundentia, vid. figur. XXXI., ex hisce modo adductis vaſculis *lymphaticis ruptis eroſis* vel *dilaceratis* præternaturalem *aquarum* abdomini moleſtarum *ſcaturiginem* repetere poſſimus; dum idem Nuckius ibidem peculiarem hydropis

pis in peritonæo ſuborti exhibuit ſpeciem in feminâ quinquagenariâ, una cum umbilici prominentiâ pugni magnitudinem facile ſuperante, à ſe annotatam, ubi *peritonæum ſacciformem* induerat *figuram*, atque intra duplicaturam inſignis aquarum moles abſcondita fuerat, internaque membrana ab externâ ſeceſſerat, & adeo incraſſata erat, ut altera tantum lamina peritonæi naturalem hujus membranæ conſtitutionem triplo quadruplove craſſitie ſua ſuperaret, & cavitate ſua exactiſſime aquam extravaſatam ſervaret, ut ne guttula quidem abdominis viſcera irroraret. Confer. Nicol. Tulpii lib. IV. cap. XLIII. aliæque à Nuckio p. 108. 109. allegatæ obſervationes.

9. Singularis eſt obſervatio Laz. Riverii Centur. I. XCII. qui in parte dextrâ feminæ quatuordecim annos natæ abſceſſu abdominis mortuæ, *hypogaſtrica inteſtina peritonæo adhærentia*, & partes hujus loci etiam putrefactas, in loco tumoris autem *muſculos abdominis putredine* affectos circa partem ſiniſtram umbilicalem invenit.

10. Miraculo proximus extitit *ſacculus calculis* (quorum major ex illis pendit libr. unam & ʒiiij) ac *arenulis* inter duplicaturam peritonæi circa ejus glandulam enatus, muſculis lumbaribus accumbens, in feminâ miſerè per annum propter tumorem in abdomine moleſtum afflictâ, & gravidam vel incantatam ſe eſſe ideo rata, à Joh. Baptiſta Lamzwerde ſub diſſectione cadaveris repertus, referente Joh. Theod. Mœren Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. IV. Obſ. LXXVIII.

11. Porro ex *dilatato* vel potius ultra modum *protenſo* circa *regionem umbilicalem*, à funiculo vaſorum umbilicalium transeunte *perviam* relictam, *peritonæo* (quale quid ſub ponderis gravioris elevatione, difficillimi

partus exantlandis laboribus, flatibus indomitis vel ſeroſo-lymphaticis humiditatibus ſubtus concluſis obtingere ſolet,) *Omphalocele* emergit, & modo omenti, modo inteſtinorum ſuccumbentium, ilei præſertim, parti, modo flatibus prorumpentibus, gremium concedit. Quin & *hydropicorum aquæ* qua data poſt diſtenſionem præviam porta illuc eruentes, *tumorem translucentem*, cutisque ac cuticulæ ſupertenſo amiculo demum cum peritonæo ipſo rupto, *aquarum* notabile *ſtillicidium* illic pariunt.

12. Nec minus verò peritonæum *in* aliis etiam *abdominis locis diſtendi* præternaturaliter & tandem *disrumpi* ſolet, quemadmodum Hippocrates jamdum Epidemior L. II. Sect. I. 70. non obſcurè innuit: Sic in uxore victoris ab incurvata pertica ad ſiniſtrum inguen reſiliendo adacta, ex laxato nimium peritonæo *tumor* ſubortus eſt, ſumto incremento poſtea neutiquam intra abdomen ſe recondi paſſus, uteroque cum fœtu concluſo (inſtante dehinc partu ſectione cæſareâ ideo eximendo) extra abdomen inſtar ſacci aut cucurbitæ oblongæ propendenti diverticulum præbens, de quô vid. Sennerti Inſtitt. lib. II. Part. I. c. IX. & Med. Practic. lib. IV. Part. I. Sect. II. cap. XVII. Conf. Epiſtola de novâ rara & admiranda herniâ uterina à Doringio ad Guil. Fabric. Hildan. perſcripta una cum hujus reſponſoria. Ad *dorſum* verò in parte poſteriori *idem* etiam disrumpi poſſe & *herniam* efficere experientia docuit Paulum Barbette Chirurg. Part. I. c. VII. ſupra *umbilici regionem* mox infra *cartilaginem enſiformem rupto peritonæo* tumorem hernioſum in muliere vidit Th. Bartholinus Cent. II. hiſt. XCV. *herniam* ſupra *penem* adnotavit Mangetus ad allegatum Pauli Barbette caput. Cumprimis tamen & ſæpius non tam *proceſſus utrinq; peritonæi vaginalis ſexui humano*

mano masculino à Nuckio denegatus, & solum quadrupedibus attributus, quàm *corrugata peritonæi pars* in regione inguinali abdominis conspicua lateraliter vasa spermatica tangens, ab incumbentis intestini vel omenti mole in sacciformem tumorem plus minus extensa *bubono-enterocelen* vel *bubono-epiplocelen*, atque ulterius ad *scrotum* usque demissâ prolapsi intestini vel omenti portione *oscheo-enterocelen* vel *oscheo-epiplocelen* inducit, in sexu humano sequiori autem *peritonæi diverticula nova* ab allegato Nuckio primùm descripta *inguinali herniæ* sedem præbere solent, mortem repentinam, uti à nobis quoq; observatum est, inferenti, cùm intestini violenter intrusi pars per ostium ibidem admodum angustum intromissa reverti nesciat, quin inflammationi & angustationi superveniente lethali *gangrænæ* catastrophe terminetur, vid. Observatio nostra M. N. C. Decur. III. Ann. II. CCX.

13. In feminâ febre hectica ex abscessu mesenterii & hydrocardiâ defuncta, *abdominis musculis* in jecoris viciniâ & inferiùs corruptis, lividis, gangrænæ proximis, *nulla peritonæi vestigia* superfuisse Th. Bonetus Sepulchreti sive Anatom. practic. ex cadaveribus morbo denatis collectæ lib. IV. Sect. I. Obs. XIX. recenset.

14. *Dolore* adhæc *peritonæum* haud rarò afficitur, tam à sanguine sub inflammatione in motu suo intercepto, quàm ab eodem ichorosis acribus salinis scorbuticis spiculis exasperato, fibris membranaceo nerveis divulsionem, lancinationem ac erosionem intentante; sed & à flatibus expansivo motu *solutionem continui* in iisdem molientibus, aut *hac ipsa* sub nimiâ distensione & ruptura revera facta. Imminente hydrope ascite vel tympanite molestus *tensionis sensus* non solum anteriorem imi ventris partem, sed & regionem lumbarem obsidet, peritonæi adeo ambitu ejusdemque

que circa lumbares vertebras adhæsione circumscriptus.

15. Relicto peritonæo *Omentum* accedimus, visuri quos & hoc morbidos patiatur manes? Et primo quidem cum vasis sit pertextum numerosissimis, gastroëpiploicis & epiploicis non potest non *inflammationis* damno esse expositum, ac subnatis exinde *abscessibus* obnoxium fieri, nec minùs juxta Hippocratem Sect. VI. Aphor. 58. si exciderit (inflicto nempe vulnere, vel facta abdominis ruptura) mox *putredinem* idem concipere consuevit, sanguine necrosin coagulativam ab aëre ambiente intemperato immediatè admisso mox subeunte, & pinguedine cœnosâ salino-terreo-sulphureis acrioribus fæculentiis referta, in *putredinem* proclivi, nisi aut illico, aut post idoneum fotum, in tempore adhuc, cum aromaticis amaricantibus & salinis volatilibus oleosis speciebus in vino decoctis institutum, mox repositum fuerit, aliàs enim ense *rescindenda* est putredinalis portio, ne reliqua pars sincera trahatur, injecto tamen ad arteriolarum vasculorumque reliquorum constrictionem & hæmorrhagiam antevertendam necessario *vinculo*, tametsi omenti extra abdomen propendentis *sine ligaturâ* ab imperito chirurgo abscissa parte sanatum ægrum D. Joh. Richier Decur. II. Ann. VI. Obs. CXCVIII. memoriæ prodiderit, qualem temeritatem imitari velle, summæ foret imprudentiæ. Adhæc citra naturalem consuetudinem *omentum intestino ileo firmiter annexum* & quodammodo *sphacelosum* iliaci morbi & tensivorum circa præcordia dolorum causa extitit, juxta Miscell. Nat. Curios. Decur. II. Ann. VII. Obs. XI. similiter in hydropico mediante *membrana* densa ac firma *intestinis* adeo arcte *adhærere* visum est, ut nec manu nec acie cultri separari potuerit,

erit, juxta ejusd. Decur. Ann. VI. Obſ. LXXIII. Contra in alio ex nimio vomitandi niſu & corporis ſuccuſſione omentum prorſus *diſruptum per medium*, (unde inteſtina illis in locis denudata, ſiniſtrorſum & dextrorſum reclinata erant) viſum eſt, juxta citatæ Decur. Ann. VIII. Obſ. LXXV. Adhæc Th. Bonetus Sepulchreti lib. I. Sect. VIII. Obſ. II. p. 179. in puero *phrenitide* potius quàm *mania* (ſecus ac ille cenſuerat) mortuo *omentum* cum peritonæo *divulſum* conſpexit, quorum pars ſupra, altera infra retracta erat, & Th. Bartholinus Cent. II. Hiſt. LXXI. infra ventriculum ad os iſchii uſque protenſum omentum intuitus eſt: In hydrope ſaccato defuncta femina non ſuper viſcera expanſum, ſed ſupra diaphragma *idem corrugatum* fuiſſe legitur Miſc. Nat. Curioſ. Dec. II. Ann. II. Obſ. CLXXXIII.

16. Aliàs in *illis*, quibus vel *hydrops*, vel *abſceſſus interni*, vel *tabes colliquativa*, necem attulerunt, cadaveribus à particulis ſeroſis vel purulentis acribus ſalſo-muriaticis vel acido-ſalinis *omentum* penitus *putrilaginoſum abſumtum* & *deperditum* Medicorum obſervationes loquuntur. Sic namque Clariſſ. Peyerus l. c. p. 83. teſtatur in adoleſcente hydropico defuncto epiploon labem & ferme unicè contraxiſſe, omni ſpoliatum pinguedine ac inſuper putridum fuiſſe, & in ſeq. pag. 97. ſubdit, in hydropicis pleriſque omnibus, quos diſſecare ſibi contigerit (contigiſſe autem plurimos,) *omentum extenuatum putridum* ſibi viſum, & pro confirmatione in Hiſtor. Anatom. de hydrope & utero tuberoſo p. 130. profert exemplum mulieris hydropicæ, ubi *omenti nihil* prope ſuperfuiſſe, utpote *putredine* conſumti, deprehendit. Conf. Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. IV. Schol. ad obſ. LXXIII. Decur. II. Anni VI. Obſ. LXXIII. & anni ſequentis VII. Obſ. CLXXXVIII. Th. Bonetus Se-

pulchret. lib. II. Sect. VII. Obſ. XXVIII. Nuckius Adenograp. p. 105. Nec minus Williſius Patholog. Cerebr. c. IX. *omentum* in pleriſque à tabe aliiſque morbis chronicis interemtis *corruptum* notavit, vid. Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. I. An. I. Obſ. LXXXVII. Actor. Hafnienſ. Volum. II. Obſ. XV. Anni 1673. atque Joh. Jacob. Harderi Apiarii Obſ. LX. & LXXIII. Et hæc quidem in memoriam nobis revocant Hippocr. Sect. VI. Aphoriſmum LV: Quibus *epar aquâ* repletum ad *omentum* eruperit, his venter aquâ impletur & moriuntur, lymphæ ſiquidem præternaturalem effuſionem, & ex lobo hepatis minori dehiſcente, & ex vaſis lymphaticis ruptis, ad omentum & abdominis cavitatem fieri poſſe palam eſt; illi interim intra ſuam duplicaturam continendo membranoſa teneraq; textura omenti impar exiſtit, niſi *craſſiorem* ejusdem alæ induerint, aut à primo ortu jamdum nactæ ſint, *habitudinem*, ſicuti apud πολυμαθέστατον Velſchium in Obſerv. Medic. Epiſagmat. Obſ. L. ſingularis & oppido rari hydropis omento concluſi exemplum proſtat.

17. Porro autem *pinguedo* omenti *plus ultra* intra ſtrias ſacculosque membranaceos *congeritur* & *accumulatur*, cujus fidem facit Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. Anni X. Obſ. CLXXV. ubi ob adnatæ *pinguedinis* ubertatem in quopiam *omentum* facile xxx. *libras* ponderaſſe refertur, ſimiliter Rhodius Cent. II. Obſ. XXIV. memoriæ prodidit, dyſpnœam in muliere Fabr. Bartoletum deprehendiſſe ab omenti pinguedine ſeptum transverſum comprimente, diſſentientibus Medicis pulmonum hydropem accuſantibus. Hippocrates noſter Sect. V. Aph. XLVI. ſtatuerat mulieres, quæ præternaturam craſſæ exiſtentes non concipiunt in utero, his *omentum uteri os* comprimere, & priusquam *extenuentur*,

tur, prægnantes non fieri, atque idem in lib. de sterilitate, & de aere locis & aquis asserverat, tùm exemplo mulierum scythicarum confirmaverat; sed enim verò præterquam quod effatum hocce perpetuæ veritatis haud sit, quin feminam stupendæ proceritatis & corpulentiæ Noribergæ nobis visam, fermè quotannis concepisse recordemur, si ejusmodi effectus ab omento per pinguedinis circumaccretæ pondus ultra consuetum terminum inferius ad pubem detracto aliquando subsequatur, existimamus id propter ovarium potius coarctatum aut lentori oleaginoso immersum, sicque sufflaminatam spiritus genitalis masculini vim energeticam fœcundantem potius evenire. Interea Dominico Panarolo Iatrologism. Pentecost. III. Obs. X. libenter subscribimus, inter sterilitatis causas *duritiem omenti præternaturalem* ac ferme *lapidosam* recensenti, sub illa namque suppressus cum ovario uterus ita fortean subigi potuit, ut nec ovulis secessus, nec intra uterum pro fœtus formatione requisitum spatium patuerit.

18. Nec verò à solâ *pinguedine*, quin & à *glandularum* interspersarum *incremento*, aut *carnosâ* assumtâ *substantia præternaturalem molem & pondus* omentum adeptum esse constat, hoc namque confirmat Th. Whartonus Adenograph. c. XII omenti penitus glanduloſi semipollicari crassitie in virgine cachectica XIX. annos nata exemplo; & Joh. Daniel Geier Misc. Nat. Curios. Decur. II. Ann. V. Obs. CCXXX. omentum militis hydropici multa millena millia glandularum diversæ magnitudinis sevi ad instar in se complexum esse, ita ut racematim nonnullæ prominerent instar botryos deprehendit; non minus Celeberrimus Salam. Reiselius ejusd. Dec. Ann. X. Obs. XXVIII. ab amico communicatam recen-

set

ſet hiſtoriam nobiliſſimæ mulieris ventre tumido ſupra modum præditæ, in qua poſt mortem diſectâ inventum *omentum conglobatum* pendens XXVI libras, multis *glandulis* differtum, quæ exceperant lac amygdalinum, quo uſa fuit per annum & diutius ſingulis diebus. Idem *ſcirrhoſum* totam epigaſtrii regionem occupans & quatuor digitorum transverſorum craſſitiem adæquans in Canonico Monspelienſi offendit Laz. Riverius Prax. Medic. lib. XIII. c. V. totum *carnoſum* in nosocomio Lugdunenſi exſectum vidit Th. Bartholinus Anat. reformat. lib. I. c. VIII. ſimiliter Veſalius de humani corporis fabric. lib. V. c. I. omentum in tantam molem auctum ſe notaſſe ſcribit, ut quatuor aut quinque librarum pondus adæquaret.

19. *Solutæ unitatis morbis* demum *omentum* ſuccumbit, nam præter *abſceſſus* & *rupturam*, quorum jam mentio facta, *vulnera* etiam ſuſcipit, aliquando periculoſa, vix tamen lethalitatem per ſe inferentia, ſed & à violento externorum occurſu, vel abdominis ad corpus durum renitens alliſione facta, præſertim in gracilibus, *contuſionem continuiq; ſolutionem multifariam* admittere ſolet.

SPECIMEN III.

§. 1.

Ventriculus communis corporis cocus, qui omnibus prospicit, malè ipso habente perituris, uti scite non minus quàm vere disseruit πολυμαθέστατος Th. Bartholinus Orat. XI, *morbosis afflictionibus* nihilominus sæpius tentatur, quarum præcipuas nunc tantisper considerare juvabit: Et primum quidem *Intemperiei* idem obnoxius habetur diversæ, viz: *calidæ* à sanguine sulphureo-salino bilioso fervidiori & acriori, uberiùs influente, vel unà cum spiritibus in motum concitatiorem redacto, vel in peridromo suo intercepto, item liquore gastrico similiter intemperato; viscerum adjacentium & contiguorum fervore phlegmonode, assumtis calidioribus, tùm & causis externis ac rebus nonnaturalibus sanguinis commeatum plus solito intendentibus, vel ibidem intercipientibus; *frigidæ* à sanguine dyscrasiâ pituitosa vel acida vel austera, ut & liquore gastrico eodem modo, corrupto, spirituum languore & defectu, nec non causis externis ac rebus nonnaturalibus sanguinis & spirituum energiam supprimentibus; *humidæ* à seri lymphatici exuperantia, potu humectante uberiori, evacuationibus per transpirationem sudorem alvum & urinam neglectis ac suppressis; deniqúe *siccæ*, ab ejusdem seri defectu, calore interno & externo excessivo, evacuationibus prædictis, tum & salivatione mercuriali, immodicis, enatæ.

2. *Figuræ* dein præternaturalem ventriculus nonnunquam patitur *depravationem*, uti Joh. Henric. Brechtfeld monſtrante Sylvio in Noſocomio Lugdunenſi vidit, in vetulâ diſſecta ventriculum infra umbilicum protenſum, loco ſuperiori ampliorem, intermedio anguſtiorem, & inferiori loco rurſus ampliorem, anguſtiæ in medio cauſa notata epatis & lienis magnitudine inſolita, à quibus coarctabatur ventriculus, teſte Th. Boneto in ſepulchreto p 441; & in Miſcell. Natur. Curioſor. Decur. I. Ann. II. Obſ. XXII. in fœtu legitur deprehenſus ventriculus admodum contractus & multum protenſus, inteſtinum potius quoddam repræſentans.

3. *Magnitudo* ventriculi ſuos etiam patitur manes, ſiquidem ultra modum *augetur* in gurgitibus & heluonibus non laudi & gloriæ, ſed abdomini ſuo, natis, nimia ingluvie ventriculi parietes plus æquo diſtendentibus, cum inſequente nonnunquam fibrarum ἀτονία; nec minus *incrementum* p. n. idem ſumit *à tumoribus, inflammatorio, eryſipelaceo, œdematoſo, ſcirrhoſo, gangrænoſo & ſphaceloſo*, ex cauſis aliàs expoſitis genitis, aut à *materiæ* ſteatomaticæ & aliarum rerum præternaturalium incluſarum infarctu, aut ab *inflatione*, ex flatulentis ſuſceptis, vel ex lympha gaſtrica viſcidiori per ſalinas volatiles acres concurrentes particulas in halitus flatuſque reſoluta, vel crebriori purgantium abuſu, vel ſpiritibus in commeatu æquabili interceptis expanſivo inordinato motu fibras diſtendentibus, inſequente; contra *eadem* nonnunquam plus ſolito *imminuitur*, ſive ab ortu *connata* ſit *anguſtia*, poſt Galenum lib. II. artis parvæ viſa à Foreſto Obſervat. lib. XVIII. 38, ſive à *cauſis ſuperveni-*

entibus

tibus demum *inducta*, ita Hildanus Cent. IV. Obſ. LI. memorabile exemplum profert puellæ quinque annorum, ab infeliciſſimo croci metallorum uſu hypercatharſi & concuſſionibus vehementiſſimis totius corporis extinctæ, cujus ventriculus adeo anguſtus & in ſe contractus reperiebatur, ut magnitudinem ovi vix excederet, & in præcedente obſervatione idem memorat, in juvene XXV. annorum ita attenuatum & in ſe contractum præ cibi ἀμηχία fuiſſe ventriculum, uti cyathi unius haud admittere potuerit menſuram.

4. *Situm* etiam *ordinarium* mutat ventriculus, nam præterquam quod juxta diaphragma revulſus, vel ad umbilicum usque detruſus in conſpectum venerit, notante Riolano Enchirid. Anatom. lib. II. c. XXIV. idem occaſione diaphragmatis à vulnere perfoſſi totus in ſiniſtrum thoracis latus aſcendiſſe deprehenſus eſt à Dan. Sennerto, vid. Hildan. Cent. II. Obſerv. XXXIII. & anni ſuperioris Menſe Majo hîc in puella propter vulnus regioni epigaſtricæ parvum inflictum extra abdomen aliqua ejus portio protruſa viſa eſt à Venerabili Univerſitatis noſtræ & Facultatis Medicæ Seniore, jamdudum primam merito cum laude coronam, Excellentiſs. D. D. Brunone, Collega Compatre & Affine noſtro ſuſpiciendo, qui nobis ſpectandi copiam etiam benevolentiſſime fecit; adhæc ventriculum omnia inteſtina cooperientem ad pubem usque devolutum laxum albicantem, ſimilem membranæ pergamenæ madidæ extenſum, abſque ullis rugis intus & foris, deſcripſit Th. Bonetus ſepulchret. lib. III. Sect. VIII. p. 807.

5. *Defuiſſe* prorſus ventriculum, nulla, quantum ego quidem memini, loquitur Medicorum obſervatio, *duplicem* verò *præſentem* ex Gerh. Blaſii p. 4. Obſerv. Med. IX. recenſet idem Bonetus ſepulchr. p. 804. quorum prior œſophago continuus minor, craſſioris ſubſtantiæ, infinitis plicis iisque inſignibus intus exaſperatus erat, alter inteſtinis proximus plicis deſtitutus tenuis valde conditionis cernebatur; locus conjunctionis, ubi duæ hæ cavitates à ſe invicem ſeparabantur, interius valde anguſtus erat, ſic ut vix digitum minimum reciperet, frequentioris vomitus cauſa: ſimiliter in Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II, Ann. III. Obſerv. CIII. Cl. Dorſtenius recenſet, in puero quinque annorum ventriculum ſe deprehendiſſe duplicem, verum ſive interiorem luridis maculis notatum, capſula quaſi alteri non tenuioris membranæ incluſum.

6. *Superficies externa* ventriculi *tuberculis* prominulis aut *verrucis* obſeſſa nonnunquam depravatur, *interna* rugis aliàs inæqualis hisce deletis quoque immutatur, atteſtante Th. Williſio Pharm. rationalis Part. I. Sect. I. c. 2. in bibonibus & guloſis, quibus à crebrâ & nimiâ impletione tunica carnea plurimum extenditur, etiam interiorem illi coextenſam rugas ſuas amittere, & planam ac tenuem inſtar veſicæ inflatæ evadere.

7. Nec *morbi cavitatum* ſive *meatuum* ventriculum derelinqvunt, *orificium* ſiquidem ejus *ſiniſtrum* nunc propter fibras ſpasmodice contractas, nunc propter diaphragma convulſum, nunc tumorem incumbentem phlegmonoden œdematoſum ſcirrhoſum anguſtiam præternaturalem paſſum, ciborum per gulæ viam regiam

giam advenientium introitum remoratur; pariter *dextrum* pylorus dictum præternaturali ſpaſmo verſus fundum aut orificium ſiniſtrum revulſum, aut tumore ſcirrhoſo occupatum, aut tuberculis obſeſſum, aut à mucronata ſterni cartilagine introrſum depreſſa coarctatum, *anguſtiam noxiam* eapropter nactum, aſſumtorum chylificationi ſubjectorum egreſſui facili obicem ponit. Quin & citra naturalem ordinem *cavitates* aut *meatus* alii aperiuntur in ventriculo, & incluſis inſolita porta vel via panditur, ſic Miſcell. N. C. Decur. I. Ann. II. Obſ. 229. deſcribitur *foramen* ventriculi, magnitudine nucis avellanæ, fœtidiſſima amurca ſcatens, in ſede ejus elatiori viſum; ſtomachum ancillæ ab *arſenico perforatum* obſervavit Helmontius in Tr. tumulus peſtis p. m. 246. vermibus ventriculum rodendo perfoſſum conſpexit Anton. de Pozzis Miſc. Nat. Cur. Decur. I. Ann. IV. & V. Obſerv. XXXVIII. In cachectico Theologo defuncto ventriculum antica parte perforatum vidit Lechelius Miſcell. Nat. Cur. Decur. II. Ann. II. Obſerv. LXXVI. ita tamen, ut foramen extrinſecus æquali membranæ ſuperficie non connivens, ſed omnino patulum pollicem grandiorem admitteret, intrinſecus autem ab eminentiis quibusdam carnoſis obvallatum eſſet, quas Autor ſuſpicabatur inſtar valvarum occluſiſſe foramen, quò minus contenta ſtomachi effluerent in abdominis cavum.

8. Porrò nec à *morbis ſolutæ unitatis* ventriculus immunis habetur, ſuſcipit enim, patefacta præternaturali cum impetu in partibus incumbentibus externis acceſſione, *vulnera* tam cæſim quam punctim

ctim inflicta, quæ inter *orificio utriq;* advenientia propter convulsionis periculum, deglutitionis abolitionem, consvetæ chyli distributionis interceptionem, vomituum biliosorum vehementiam, pernicosa & utplurimum lethalia, *fundo impacta* consolidationem nonnunquam recipere posse credo, persvasus observatione tùm à Beato Dn. Parente meo habita in rustico ebrio, qui vulnere in fundo ventriculi punctim inflicto, cum largiori cerevisiæ epotæ profluvio, usu pulverum terreo-stypticorum & travmaticorum cum albumine ovorum subinde exhibitorum convaluit, tum alia in Misc. Nat. Curios. Decur. II. Ann. V. num. I. consignata, de vulnere ventriculi venabulo inflicto ultra XI. annos aperto, superstite viro, cibos assumtos per illud non sine fœtore, quoties libuerat, manu exprimente.

9. Maximo cum damno ventriculus *ulcera* experitur, post inflammationem apostemate genito rupto resultantia, aut à cruore extravasato diutius retento in pus abeunte genita, aut ab assumtis acrioribus qua medicamentis qua venenis, aut ipso liquore gastrico septicam malignitatem induente, oriunda.

10. *Contusionibus* ex violento extrinsecus occurrentium cum impetu adactorum impulsu, vel regionis epigastricæ ad renitentia dura corpora allisione, quandoque obnoxius habetur, comite sæpius indivulso animi deliquio, spirituum animalium ex percussione perturbationi imputando.

11. *Rupturam* demum subire possunt vascula sanguifera, per tunicam nerveam insigni numero & choro elegantissimo distributa, sed & externe ventriculum

triculum cingentia, ſub vomitu, aut hypercatharſi, aut percuſſione, aut lapſu, aut graviori vociferatione, aut ponderis nimii elevatione obvenientem, ſicuti aliàs ſub exulceratione per diabroſin, aut à plenitudine ſanguinis per anaſtomoſin illa dehiſcere poterunt.

12. Poſt morbos *ſymptomata ventriculo infenſa* & ſingulatim *actiones læſæ* nunc ſui expoſcunt contemplationem. Hîc verò primo obvenit *Cardialgia* dolor ſive triſtis ſenſatio orificii præprimis ventriculi ſiniſtri, ab humore ſalino alcalico vel acido vel acidoſalſo acriori illuc effuſo, lumbricis ibi hoſpitantibus, bile porracea eo regurgitante, pure vel ſanie ibi collecta, halitibus acribus & diſtenſivis à partibus ſubjectis & vicinis aſſurgentibus, tùm & aliis cauſis vellicationem & lancinationem moleſtam continuique ſolutionem intentantibus, enata; non minus obvenit *ardor* ſeu *ſoda*, moleſta pariter ſenſatio æſtus cujusdam in ventriculo & præcordiis, cum halitibus fervidis per fauces aſſurgentibus, à vitioſâ acidi & alcali oleoſi in ventriculo exorta efferveſcentia enata.

13. *Appetentia ciborum* ſeu *fames* aboletur & iminuitur in *anorexiâ, culpa modo liquoris gaſtrici* elaſticitate & activitate ſalino-aereo-ſpirituoſa deficientis, vel ab alimentorum copiâ indigeſta & cruditatum farragine fatiſcentis, vel à ſaliva viſcoſiori, vel bile oleoſa, vel aſſumtis pinguibus admixtis hebeſcentis, vel à potu nimio vappeſcentis, ſicque vellicationem blandam in fibrillis nerveis ad appetitum excitandum neceſſariam haud inducentis; modo *fibrillarum ipſarum nervearum*, ab opiatorum vel narcoticorum

ticorum indecente usu necrosi affectarum, vel à spiritibus animalibus ob curas graviores, meditationes profundas, dolores atrociores aliorsum avocatis, absumtis, deperditis, depressis, itemque propter cerebri & nervosi generis morbida pathemata, aut stupefacientia usurpata, justa copia & energia debita haud influentibus, derelictarum, sicque vellicationem eandem non persentiscentium.

14. Dicta appetentia *adaugetur* in *bulimo*, cum imminente animi deliquio affligente, à particulis salinis volatilibus acrioribus liquori gastrico admixtis, vel bile ejusmodi propter constrictionem folliculi fellei spasmodicam factam intra ventriculum regurgitante, fibrillas ventriculi nerveas plus ultra rodente ac percellente, & per impressum motum concitatiorem in ἀταξίαν sive fugam ciente, enato; item in *fame caninâ*, insatiabili cibos devorandi cupidine stipata, à liquoris gastrici acore excessivo fibrillas nerveas plus æquo lacessente, insequente ex nimia repletione & digestionis imperfectione vomitu, ad exemplum canum assumtorum nimia mole ventriculum onerantium, mox per vomitum rursus relevantium.

15. Demum eadem *depravatur* in *pica*, corrupto gravidarum appetitu expetentium res ad nutritioem prorsus ineptas, & *malacia* appetitu pravo rerum etsi edibilium in quantitate & qualitate vitiosa assumtarum, cum præcordiorum anxietate, langvore universi corporis, & superveniente nonnunquam variorum humorum vomitu; utroque hoc affectu oriundo à liquore gastrico acrimoniam peculiarem adepto, variisque à sanguine, bile ac lympha

pancrea-

pancreatica & inteſtinali ſuggeſtis recrementis inquinato, fibrillas ventriculi nerveas moleſtè lacesſente, ac per certum ſpiritibus animalibus impreſſum motum phantaſiam ad hoc vel illud objectum determinante.

16. Nec minus *appetitus fluidorum* ſeu ſitis *imminuitur* & *aboletur* in ἀδυψία, vel ab exuperantia ſeroſæ & aqueæ humiditatis tùm in corpore univerſo, tum & præcipuè intra ollam ventriculi membranaceam, vel à liquore gaſtrico inſipidis viſcoſis & lentis recrementis obſeſſo, vel ſuppreſſa ob delirium & alias cauſas ſpirituum animalium influxum pervertentes aut eorum energiam deſtruentes, fibrillarum nervearum ſenſatione ſitifica, eveniens.

17. Sed & p. n. *augetur* & *intenditur* in πολυδιψία, propter peculiarem in fibrillis ſenſilibus orificii ventriculi ſiniſtri & tunicæ hujus nerveæ, tum ſimilis circa gulam fauces & linguam ac oris interni cavitatem expanſæ, paſſionem, aut à lymphæ gaſtricæ itemque ſalivalis acrimonia, modo ſalina volatili acri, & aromatica, modo lixiva, modo ſalſa vel ſalſo-muriatica, prædictas fibrillas ſpecifico modo rodente, aut à defectu humiditatis aqueæ roridæ, & caloris tàm interni quàm externi exceſſu, halitibusque inde ſuſceptis fervidioribus, inductam.

18. Actio ventriculi χυλοποιητικὴ ſive *chyloſis* diverſimode quoque læditur, nam *aboletur* in ἀπεψία, ubi cibi in ventriculo morantur integri ac illibati κατὰ πάσαν ποιότητα; *imminuitur* & *retardatur* in βραδυπεψία, ubi vel manent ſemimutati, fatiſcente ventri-

culo in medio conatu, vel mutationem difficulter ac longiori temporis ſpatio conſequuntur, vel quædam eorum partes proſpere coquuntur, dum reliquæ ſuperſunt leviter mutatæ; *utraque* hac *affliction*e à ſpirituum animalium influentium & liquoris gaſtrici majori vel minori inopiâ & inertia, ab aſſumtis quantitate & qualitate eorundem vim plus minus eludentibus, inſequente; vel denique pervertitur in δυσπεψία, ubi cibi ἀλλόκοτον ποιότητα induunt, ſicuti obtingit ſub *cruditate* vel *nidoroſa*, bilis oleoſæ volatilis acrioris uberiori intra ventriculum recurſui, vel aſſumtis pinguibus & oleoſis immodice ſuſceptis imputanda, vel *acida* liquoris gaſtrici acori exuperanti adſcribenda, vel *putrilaginoſa fœtida*, aſſumtis crudis indigeſtis, & vappeſcenti ſanguinis ac ſpirituum, ob portiones ſpirituoſas balſamicas ſulphureo-ſalinas ſubjugatas, dyſcraſiæ ſcorbuticæ, ac principii vitalis imbecillitati, attribuenda.

19. *Motus fibrarum ventriculi motricium*, & inde profecta contentorum per pylorum ad inteſtina conſveta diſtributio, pervertitur, in *vomitu* ſub pylori cum fundo verſus orificium ſiniſtrum coacta convulſione, & contentorum tam alimentorum quam præternaturaliter ibidem collectorum per gulam & os eliminatione, *eveniente* vel à præternaturali illarum *diſtenſione* vel *irritatione*, per *ingeſta quantitate* nimia aut *qualitate* & *acrimonia* diverſa noxia, aut talia aliunde illuc *transmiſſa* facta, vel à ſpiritibus animalibus modo per cauſas ventriculo quaſi infixas, vulnera, ulcera, excoriationem, ſanguinem extravaſatum, pus, ichorem

modo

modo per ſimiles aliunde per vaſa adducentia meatusque extra ordinem patefactos transmiſſas, vel intercedente nervorum commercio ventriculum afficere idoneas, in ἀπεψίαν & verticoſam confuſionem redactis; in *cholerâ qua humida*, à præternaturali fibrarum motricium & ſenſilium, ventriculi præcipue, tum & inteſtini duodeni, ductuumque huic inſertorum, ad reciprocos ſubſultus ſtimulo, per admiſſa ſalina acriora & acida, vel ſpeciali modo adverſa, ſubminiſtrato, profecta, humorem bilioſorum aliorumque variè corruptorum violentam per ſuperiora & inferiora expulſionem comitem habente; *qua ſiccâ*, halituum acriorum excluſione per guttur ſuperius & inferius ſe prodente; in *ſingultu & eructatione crebriori*, motu ſcil. convulſivo orificii ventriculi ſiniſtri & diaphragmatis, orto à corrugatione & contractione fibrarum ibidem diſpoſitarum ſpasmodica interpolata ſurſum facta, cum ſonitu vehementique aëris halituoſi verſus ſuperiora eliſione conjuncta; in *lienteria* aſſumtorum aut prorſus non aut leviter ſaltem immutatotum per alvum cita egeſtione, in quantum hæc ab intempeſtiva fibrarum ventriculi ordinaria contractione, propter humores acres, purulentos, ſcorbuticos, tunicam nerveam denudatam, nimiamque refrigerationem, ſuccedente, alimenta citius quam par eſt per pylorum ejiciente, dependet.

20. Atque hæc ipſa pathemata certo reſpectu ad *ſymptomata* ſecundæ claſſis, ſcilicet *vitia excretorum* quantitate, qualitate, motu, & loco excretionis peccantium referre licebit; dum de reliquo

liquo *qualitates mutatæ habitudini ventriculi naturali adverſæ, repugnantes*, & quaſi *inimicæ* e. gr. rubedo in inflammatione, durities in ſcirrhoſa calloſitate, tenuitas in nimia diſtenſione & eroſione, nigredo in necroſi, ab hauſto præſertim arſenico notabilis, in Theatro noſtro Anatomico antehac in vetula inde peremta obſervata &c. denominandæ erunt.

SPECIMEN IV.

§. 1.

VIsis morbis & ſymptomatibus *ventriculi*, nunc circumſpiciamus, quænam *utriq; canali alimentorum* illi continuo in *ſtatu præternaturali morbidæ* obtingant *afflictiones*. Et ſuperiorem quidem canalem, *æſophagum*, cibi potusque viam rarò morbis tentari, quod in eo nihil quod præterlabitur diutius moretur aut tardet, etiamſi ſcripſerit Fernelius de partium quæ ſub diaphragmate ſunt morbis lib. VI. c. 1; vere tamen ex Avicennæ effato experientiæ ſuffragio confirmato aſſeruit Hieronym. Capivaccius Pract. Med. lib. III. c. 1. partem hanc obnoxiam eſſe cuilibet vitiorum generi. Primum namque cùm œſophagi ſubſtantia membranaceo-glanduloſa ſanguinis ac ſeri lymphatici alluvie non ſolùm perfundatur, ſed & intrinſecus partium continuarum & contiguarum ſubditarum dimiſſis exhalationibus, nec minus extrinſecus atmoſphæræ occurrentibus effluviis & evaporationibus pateat, non poteſt non diverſæ intemperiei hinc ſuſcipere labem: Adeoque notabilis in *æſophago* obvenit modo *intemperies calida*, ſanguinis ſulphureo-ſalini bilioſi æquo calidioris concitatiori ac febrili motui & per arterias affluxui, hinc retardato vel intercepto per venas remeatui, vel halitibus viſcerum ſubjectorum inflammatione correptorum fervidioribus aſſurgentibus, adſcribenda, vel aëris intemperati æſtuoſi ac pulverulenti aut fumidi acrioribus ſub inſpiratione impactis particulis, vel ſuſcepto à ſaliva canis aut alterius animantis rabidi hydrophobiam pariente ſulphureo-fermentativo veneno, imputanda; modo *frigida* à ſanguinis dyscraſia

 pitui-

pituitosa vapida, segniori peridromo, acido coagulo, aëris rigidi illapsu, ac frigidissimorum liquorum ingurgitatione deducenda; modo *humida* à serosæ colluviei exuperantia & in glandulis œsophagi laxioribus subsistentia deducenda; modo *sicca* caloris tàm interni quàm externi excessum, evacuationes enormes, seri lymphatici defectum, aut pulviſculi terrei aut fumi reficcantis diuturnam per inspirationem prægressam admissionem insequens.

2. Dein *œsophagus tumoribus* hospitium præbet diversis, etenim præterquam quod in anginæ specie *synanche* dicta interiores faucium & pharyngis musculi, & in altera *parasynanche* denominata exteriores earundem musculi tumorem patiantur, pro fluidorum catholicorum variante dyscrasia, nunc *inflammatorium* & *erysipelaceum*, nunc *ædematosum*, reliquus canalis gulæ ulterius exporrectus & per metastasin materiæ morbificæ deorsum vergentem, & sanguini seroque hinc inde inibi injecta repagula, vel spinam acutam infixam (de qua vid. Schenckius Obs. Medicin. lib. III. 14.) vel obturamenta alia detenta consimiles tumores sustinere potest, sicuti venena arsenicalia caustica & acida concentrata tardè vel iteratò deglutita phlegmonen comitemque individuam funestam νέκρωσιν ibidem inducere consveverunt. Nicolaus Tulpius Observat. Medic. lib. I. c. 44. annotavit, inter œsophagum & asperam arteriam insinuare se nonnunquam *durum* & *exitialem* quibusdam *tumorem*, modo foris conspicuum, modo verò intus delitescentem, primum coarctantem, sed mox occludentem gulam, & quidem tam strictè, ut denegato alimentis omni transitu certo pessundet hominem, idque comprobavit speciali observatione in vidua cujuspiam naupegi habita, cui succreverat paulatim ex destillatione humilis

ac

ac latus tumor, qui ſpiritum & tandem tantopere impedierat deglutitionem, ut circa ſummum ejusdem incrementum vix quicquam amplius transmiſerit gula, niſi forte exiguas aliquas lactis vaccini guttulas, qualis proculdubio ab extillante per ruptas aut eroſas gulæ fibrillas ſucci nutricii pituitoſis lymphatico-viſcoſis aut acido-Ⓔlaceo-terreis moleculis corrupti parte natales ſuos accepit.

3. Interim quemadmodum prolata hæc hiſtoria *œſophagum* præternaturalem *anguſtiam* à tumore oppilatorio & oppreſſorio ſubnatam perpeti commonſtravit, ita ſimiliter annulum gemma inſignem ab infante viginti circiter menſes nato in fauces ingeſtum viam alimentis intercepiſſe & mortis cauſam extitiſſe Stalpart van der Wiel Obſervat. rarior. Cent. 1. Obſ. 22. memoravit, & Platerus Obſerv. lib. 2. p. 395. retulit, infantem nutricis brachio inſidentem aureum florenum ore prehenſum ad fauces depuliſſe tam arcte œſophago intruſum, ut nulla evelli aut promoveri ratione potuerit, quin infantem jugulaverit. Nec minus verò *tumores* alios §. 2. jamdum enumeratos morboſam *anguſtiam* ibidem ſimul efficere veritati conſentaneum eſt; quibus accenſeri merebitur *glandularum congregatarum* ſub tunica nervea reconditarum & ſuperextenſæ huic cruſtæ villoſæ *intumeſcentia catarrhalis*, aut *ſalivatoria mercurialis*, ſeri plus minus lenti tenacis & acris collectioni ac liquationi imputanda, perviam ceteroquin gulæ fiſtulam opplendo anguſtans, dum illam ipſam à vertebris ſpinæ cervicis & dorſi contiguis introrſum luxatis aut depreſſis coarctari, vel à vermibus ex ventriculo & inteſtinis aſcendentibus oppilari, experientia loquitur; quid quod eandem à ſtypticis per os admiſſis p. n. ſtringi & occludi ridicula comprobet obſer-

vatio apud Höchſtetterum Decur. III. cap. 5. ruſtici à potu radicis conſolidæ majoris vino malvatico infuſæ faucium præcluſionem maximamque deglutiendi difficultatem paſſi; adhæc perſpectæ hodie ſunt *ſpasmodicæ fibrarum gulæ longitudinalium* ac *transverſarum motricium contractiones* ab irritamentis ſalinis acribus acidis ſalſis laceſſentibus excitatæ, gulæ cavitatem ſtringendo imminuentes, & boli quaſi inhærentis ſenſationem inprimentes, quarum exempla Horſtius Decur. V. caſu 2., & Williſius hinc inde referunt: Nec ſilentio relinquendus eſt *œſophagi coalitus* mediante variolarum ſuppuratarum extillante liquamine glutinoſo tenaci ſuperinductus, qualem in filiolo ob denegatum prorſus cibi potusque tranſitum fame & ſiti miſerrimè mortuo obſervavit Joſeph. Lanzonus Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. III. Ann VII. & VIII. Obſ. 47. & in puella annotavit Th. Bartholinus Actor. Hafnienſ. Ann. 1671. & 1672. Obſ. 109. p. 199. ſicuti idem fatum etiam manſiſſet ex eadem cauſa textoris filium ſeptem annos natum, cujus mentio facta à Petro Rumelio Miſc. Nat. Curioſ. Decur. III. Ann. VII. & VIII. Obſ. 47. niſi forte fortuna oblata lucanica, fragrantiſſimo deſiderio aſſumta, vixque tentata maſticatione non ſine dolore abliguriendo quaſi detruſa viam clauſam perrupiſſet, ſicque aſſumtis ad ventriculum iter liberum reddidiſſet.

4. Porrò autem præternaturam viciſſim *ampliari* & *extendi œſophagum* ſciendum eſt, ſive cavitatis mediæ nimia eveniat ſub bolorum fruſtorum aliorumque corporum majorum devoratione plus æquo *expanſio*, ſive à potu ἀπευσι ingurgitati copia *dilatatio*, ſive fibrarum membranoſo-carnoſarum ac nervoſarum paulatina immodica *extenſio*, uti ex Antonio Braſavola Schenckius Obſ. lib. III. Obſ. 1. fidem facit, multos eſſe, qui absque transglutitionis

tionis motu bibunt, ſed deſcendere quod bibunt, ac ſi in phiolam transmittant, & ex Cardani de varietate lib. VI. c. 40. narrat, viſum Germanum quendam militum tribunum, apud Gallos ſtipendia meritum, vinum haurire aſſvetum immoto gutture. Aliàs Petrus Borellus Cent. II. Obſ. 8. memoriæ prodidit, in urbe vivarienſi prope caſtra textorem tanta gutturis amplitudine à natura donatum fuiſſe, ut lucanicæ dimidium palmum, piſces integros, & ova etiam gallinarum integra deglutierit, eaque ad libitum per os reddiderit, exceptis ovis per anum integris rejectis. Sed nec oblivioni tradenda œſophagi *dilatatio* ſub oſcitatione eveniens, tunc enim ductum illum nobis vel invitis ampliari & quaſi à vento quodam inflari & expandi ſentimus, teſte Williſio Pharmac. rationalis Part. I. Sect. I. c. 2. eò quod particulæ halituoſæ ac vaporoſæ ſpiritibus intermixtæ fibrarum ventriculi ac gulæ nervearum ac carnoſarum inflationem moliantur, cui dum inſequens carnoſarum ſpasmodica conſtrictio reluctatur, ſub exſpiratione tardiori ac longiori illæ rurſus exprimi ſolent; Sylvio namque, oſcitationem ab halitibus lenioribus & ob admixtam pituitam inteſtinalem magis flatulentis ad pulmones tendentibus Prax. lib. I. c. 30. §. 82. accerſenti, haud ſubſcribimus, etiamſi fibras incumbentis tracheæ per ſympathiam ex contactu immediato reſultantem ſimili modo affici poſſe non eamus inficias.

5. Præterea nec *à vulneribus gula* immunis habetur, quæ quidem vel *eandem per colli regionem expanſam*, vel *intra thoracis ambitum comprehenſam* & per diaphragma ad ventriculum usque demiſſam lædere ſolent; *priora* ſi exiliora & ſummitati ejus cervici accubanti illata fuerint, curationem admittere, exempla à Schenckio Obſerv.

l. III. 19. & Pigræo exercit. med. & chirurg. lib. IV. c. 12. ac Purmanno in ſeinen Chirurgiſchen Lorbeer-Crantz Part. I. c. 7. prolata confirmant, quia medicamenta commodè illic locorum applicari, futuris vulnuſcula conjungi, & liquida nutrientia traumatica ac glutinantia ſorbillando & lingendo recipi poſſunt; *poſteriora* majora & ampliora ſi extiterint, medelam renuunt, quia nec topica idonea manuum ope admovere, nec futuras inſtituere, adeoque nec alimentorum nec medicamentorum intra thoracis cavum illapſum impedire, nec putredinis lethiferæ vim declinare licet: dum de reliquo Excellentiſs. Bohnius de Renunciatione Vulnerum Sect. II. c. 2. p. 185. adverſus Svevum aſſerentem inciſiones gulæ transverſales longitudinalibus graviores eſſe recte animadvertit, in humano corpore præter tunicam nerveam ex fibris longitudinalibus coagmentatam, carneam duplici fibrarum ſtrato contextam eſſe, exteriori quidem ex ſtaminarum rectarum manipulis craſſioribus, interiori ex transverſalium circulis tenerioribus efformato, ita ut ex transverſis ſimplicioribus ac tenuioribus fibris ſecundum tractum gulæ diſciſſis minor metuenda ſit vulneris apertura, quàm ex longitudinalibus internis pariter ac externis laceratis.

6. Nec *ulcerum* exors exiſtit *æſophagus*, quæ ab ichore acri ſalſo aut acido-ſalino muriatico, ſcorbutico, vel virulento venereo, in glandulis ſtagnante, atque eroſionem fibrillarum membranaceo carnoſo-nervoſarum & ſuperinductæ villoſæ lanuginis moliente, vel liquoribus ſtygiis aut venenis cauſticis, ſimili modo noxiis, gignuntur, atque ex dolorifica mordicationis moleſtia, ab admiſſis acribus exacerbari ſolita, nec non puris egreſſu dignoſcuntur, ac tametſi ægrè conſolidationem, propter

propter deglutitionis motum neceſſarium, morboſi humoris in glandulis hoſpitium commodum, & aeris intemperati occurſum, recipiant, nihilominus eſculentorum & potulentorum abſtergentium mucilaginoſorum, gelatinoſorum gummeorumq; magis quàm medicamentorum uſu ſubinde curantur, uti erudite ex Galeni ſententia lib. IV. & V. M. M. declarat Joh. Vigierius Chirurg. Lib III. c. 48. atque Schenckius l. c. Obſerv. 18 ex Albucaſis Lib. II. c. 36. chirurgia exemplum ſingulare apoſtematis gulæ inciſi & curati proponit.

7. *Contuſionis* noxam *à gula* ſuperior trachea antevertit, nec *rupturæ* periculum membranaceo-fibroſa fiſtulæ cibariæ textura, cedere & amplificari idonea, unquam metuit.

8. *Symptomata* verò eadem ſibi damnoſa experitur plurima: Obvenit enim *dolor* plus minus acerbus, inflammationis, vulnerum, ulcerum, excoriationis, & cauſarum multiplicium unionem continui & contigui in œſophago lædentium ſatelles perpetuus. Adhæc *deglutitio imminuitur* ac *aboletur*, vel *culpâ cavitatis gulæ à tumoribus* ſuperius enumeratis, item *verrucis* ex obſervatione Marcelli Donati Lib. III. de medicâ hiſtoriâ mirabili c. 5. aut obturamentis aliis variis, (de quibus leg. Stalpart Obſ. Centur. I. 31. & 32 cum ſcholiis annexis) aut præternaturali coalitu, *occupatæ, oppilatæ, occluſæ; vel culpâ fibrarum motricium* ſub vulnere, ulcere, eroſione, in unitate continui læſarum, ſicque periſtalticum motum ad deglutitionem requiſitum perficere ineptarum, vel denegato ſpirituum animalium influxu *paralyſi affectarum*, ideoque inſtinctum ad motum neceſſarium haud recipientium, cujus lethalis exemplum legere eſt in Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Anni III. Obſervat. 48. & apud Tulpium Obſervat. Medic. lib. I. c 42.

9. Cete-

9. Ceterum ſicuti *ſolidorum* amplioris molis, quinimo & pilularum mediocris magnitudinis in quibusdam ſubjectis *difficilis* admodum deprehenditur *deglutitio*, peculiari pharyngis & œſophagi conformationi & præcipuè anguſtiæ adſcribenda, ita contra nonnunquam *ſolida* promte, *liquida* nonniſi *cum inſigni niſu*, per gulam ad ventriculum amandari ſolent, id quod vel *epiglottidis* duriorem rigiditatem nactæ, vel *muſculorum ſphænopharyngæorum* ac *ſtilopharyngæorum* ac *ſphincteris œſophagæi culpa* accidere videtur, quatenus *illa* quidem liquidis neutiquam facile cedit, ſicque in altum elata vel reſiliens transgreſſum eorundem remoratur, *hi* verò in munere ſuo deficientes collabeſcere gulam ſinunt, à leviori liquidorum attactu non pari facilitate ac ſolidorum graviori preſſorio impetu dilatandam.

10. *Vitia excretorum* in *gula* adſunt, ſive apertis ruptis aut eroſis aut nimium attenuatis vaſculis ſanguiferis *ſanguinis* hinc *excretio* inſequatur, ſive ex glandulis ipſius tumidis propter inverſum fibrarum motricium motum periſtalticum ventriculi conatum excretorium depravatum excipientem, *aquæ* aut *ſeroſi liquaminis* excretio ſuperiora verſus fiat. *Qualitates* denique *mutatæ* præcipuè in *œſophago* dignoſcuntur, quando ab inflammatione *rubor*, ab eroſione *aſperitas* aut *cruſta ulceroſa* ibidem ſeſe manifeſtat.

SPECIMEN V.

§. 1.

PRopoſita nobis ordinis ratio demandat, ut poſt *morbos & ſymptomata ſuperioris canalis alimentorum* perſpecta, mox inſtituamus *ſcrutinium pathologico-anatomicum* præcipuorum *malorum*, quæ *in ſtatu præternaturali canalem alimentorum inferiorem* nempe *inteſtina* ſubinde manent. Ubi quidem primò compertum habetur, inteſtina tam tenuia quàm craſſa, cum & continuitatis & ſtructuræ reſpectu non immeritò pro ventriculo prolongato habeantur, intemperiem quadruplicem ab iisdem cauſis perpeti, ut adeo temporis pretioſiſſimi dispendium & repetitæ enumerationis tædium evitaturi, illis recenſendis heîc imorari nolimus, hoc ſaltem monituri, perniciem inteſtinis ſæpius minari *inflammationem*, ſive ab aſſumtis quà eſculentis quà potulentis calidioribus, quin & purgantibus draſticis, ſanguinem plus ſolito rarefacientibus, fundentibus & ad influxum impetuoſiorem ſtimulantibus, ſive ab illis frigidioribus repente ſuſceptis ſanguinem in reciproco commeatu intercipientibus, ſive à bilis acrioris & fervidæ factâ effuſione, ſive à corporis motu vehementiori, aut hujus æſtuantis ſubitanea refrigeratione, aut abdominis alliſione, contuſione & lapſu vehementiori, aut dolore prævio enormi, aut nexu cum meſenterio ſoluto, aut ſitu mutato, aut ſpasmodica conſtrictione, aut alvinarum fæcum ſuppreſſione, aut vaſculorum ſanguiferorum aliis etiam de cauſis inductâ oppilatione, preſſione, conſtrictione, & hinc inſequente ſanguinis in motu & craſi turbatione, evenerit.

2. *Angustiam* dein *morbosam* habent intestina, sive ab ortu connatam, sive à diuturna inedia, fame, nausea & vomitu perpetuo, contentis alias cavitatem intestinalem replentibus denegatis imputandam, sive à terreostypticorum, martialium & cydoniatorum abusu insecutam, sive à scybalorum duriorum, aut calculorum, vermiumque, item coaguli pituitoso-viscidioris stipatione evenientem, sive à spastica fibrarum motricium corrugatione, sive à tumorum inibi genitorum, aut viscerum proximorum accumbentium, aut eveniente sub herniâ pressione, profectam, sive à coalitu post alvi suppressionem aut ulcera consolidata relictam: Vid. Marcell. Donat. lib. IV. de medica historiâ mirabili cap. X. Fernel. lib. VI. de partium morbis & symptomatibus cap. IX. Hollerius lib. I. de morbis internis c. XLI. in Scholiis p. 189. Sennert. Med Practic. lib. III. Part. II. Sect. I. cap. III. Miscellan. Nat. Curiosor. Decur. II. Anni IX. Obs. IX.

3. Viceversa *amplitudinem* quoque acquirere possunt extraordinariam, bibacibus & edacibus familiarem, aut importunæ flatuum concluforum expansioni, aut contentorum distributioni & motui suppressis, aut sub inflammationis dolorisque vehementia spirituum animalium explosivæ evibrationi adscribendam. Vid. Miscell. Natur. Curios. Decur. II. Anni X. Obs. CCIV. cum annex. scholiis, Fernel. lib. citat. c. X.

4. Adhæc *intestina* à vermibus & lumbricis *perforata* visa sunt, uti constat ex Miscell. Nat. Curios. Decur. I. Obs. CXLVI. Decur. II. Ann. I. Obs. CXX. Decur. II. Ann. III. Obs. CXLI. Decur. ejusd. Anni VI. Obs. CXCI. Nec minus verò illa ab abscessibus & ulceribus vel assumtis acribus ac corporibus acutis devoratis pertusa fuisse historiæ loquuntur plurimæ.

5. Læ-

5. Lævitatem etiam *inteſtina* acquirunt morboſam ſuperficiei internæ, valvularum conniventium & tunicæ easdem efformantis rugoſæ ac cruſtæ ſupertextæ villoſæ lævori ac laxitati imputandam, ſive tali potulenta uberius hauſta, aut ſeri ex glandulis nimius affluxus, aut prægreſſa immoderata extenſio, aut poſt exulcerationem ſubnatæ cicatrices anſam præbuerint.

6. Nonnunquam *eadem* proprii corporis menſuram ceteroquin aliquoties ſuperantia plurimisque gyris circumducta, ut accepta diutiùs remorari ac aſſervare queant, *breviori ambitu* & *flexu* circumvoluta obveniunt, ſic in Miſcell. Natur. Curioſor. Decur. I. Anni IV. & V. Obſ. XXX. recenſetur exemplum Illuſtriſſimæ cujusdam Baroniſſæ hydrope tympanitide defunctæ, ubi poſt mortem tria tantum inteſtina, jejunum, colon amplius craſſum, & rectum, ſectio inſtituta exhibuit, quorum longitudo non quatuordecim ulnarum Patavinarum ſecundum Spigelium, ſed tantum trium viſebatur.

7. Citra naturæ ordinem *inteſtina circa umbilicum* multis in locis *peritonæo* ac *muſculis abdominis mediante membrana craſſa arctiſſimè connexa* memorat Obſervatio XV. Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Anni VII.; cœcum & colon per umbilici foramen anguſtum extra abdomen fœtus ſub malâ conformatione protruſa, pro ſarcomatis ſpecie viſa, & à Chirurgi manu temere reſecta prodit Decur. III. Anni II. Obſ. CLXXXIII.; ſic etiam Decur. II. Ann. III. Obſ. CXXVIII. in ſcholio annotatum eſt, in geminis ſubjectis, hernia umbilicali affectis, inteſtina mirè implicita firmiſſimisque membranis cuti extenſæ ac ſibimetipſis tenaciter fuiſſe agglutinata.

8. Similiter *morbis in ſitu* inteſtina ſuccumbunt diverſis, dum vel ab ipſo ortu extra naturalem locum

ſcil. abdominis cavitatem propendent, uti poſt aliquot adductas obſervationes gemina hiſtoria à ſe annotata declarat Illuſtris Academiæ noſtræ Leopoldino-Imperialis Naturæ Curioſorum Præſes ſumme per omnia meritus Excellentiſſ. D. D. Schröckius, Fautor noſter honoratiſſimus, Miſcell. Nat. Curioſor. Decur. I. Anni VI. & VII. Obſ. CCXXXII. conferatur Decur. II. Ann. IX. Obſ. XCVIII; vel in *herniis* extra determinatum à natura peritonæi ambitum aut limites erumpunt, de quibus vid. Speciminis ſuperioris II. §. 12. vel facta eorundem quadantenus à meſenterii fimbriis tendinoſis avulſione, inteſtini portio abrupta ſuperior intra inferiorem detruditur, ſive inferior dimota ad ſuperiorem propellitur.

9. *Vulnera inteſtinis* inflicta mortem minantur, ſive ampliora ſive profundiora ſive transverſa extiterint, aut cum inſigni contuſione aut dilaceratione & violentia ac necroſi obtigerint, aut diverſis in locis eadem ſimul penetraverint, aut vaſa majora læſerint, tùm quod ab aëre & contentis aliis quà fluidis quà ſolidis expanſa, aut ſub motu periſtaltico ſubinde exagitata, fibrarum deſideratam unionem & nexum renuant, ſanguinis, chyli ac alvinarum fæcum ad abdominis cavum profuſionem inferant, & inflammationem gangrænamque exitialem pediſſequam habeant, ac ſæpius medicamentorum decenti applicationi ſeſe ſubtrahant: lethalia plerumque habentur *tenuibus inteſtinis* advenientia, non tam ob fibrarum teneritudinem, quàm potius motus periſtaltici crebriorem & citatiorem actum, vaſorumque ſanguineorum & lacteorum numeroſiorum ſolutam unitatem, niſi inteſtini vulnerati portio extra abdomen protruſa contentis exitum etſi inſuetum pandat, vel medicamentis admovendis pulveribusque glu-

tina-

tinatoriis aſpergendis, vel fortean ſuturæ artificiali inſtituendæ ſeſe exponat; benigniorem naturam experiuntur *craſſorum inteſtinorum vulnera*, ſiquidem mediante coalitu cum peritonæo contiguo & inprimis incumbentibus abdominis muſculis ac integumentis, vel beneficio intertextæ ſubſtantiæ carnoſæ craſſioris, conſolidationem recipere poſſunt. Sic e. g. inteſtinum colon quoniam peritonæo & muſculis ac integumentis communibus admodum propinquum eſt, id anno ſuperiori in centurione quodam ſub conflictu propeHöchſtett globulo ſclopeti circa os ilium dextrum ſauciatum cum muſculis & integumentis adſcitis unionem ſalutarem ſubiiſſe vidimus. Conf. Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Anni I. Obſ. XX. & ſcholion additum.

10. *Abſceſſum* in colo inteſtino, ex graviſſimo dolore cum ventris conſtipatione neglecto, ſubnatum deſcribit Hildanus Centur. II. Obſ. LXXIV. *alium* à vermibus inductum recenſet Celeberrimus Schelhammerus Miſcell. Nat. Curioſor. Decur. II. Ann. V. Obſ. X. Ceterum autem *ulcera* tùm ſub dyſenteria emergentia, tùm à cauſis aliis ſecando, pungendo, adurendo, erodendo, lacerando, contundendo, ſolutionem continui ulcerоſam in ſubſtantia inteſtinorum membranaceo-carnoſo-glanduloſo-vaſculoſa efficientibus pronata, materiam purulentam & ſubcruentam fundentia, torminibusque ſenſilibus ſtipata, curationem pro diverſa ægrorum temperie, humorum ad ſentinam corporis publicam confluentium majori vel minori acrimoniâ, vitæque regimine, diverſimode admittunt vel reſpuunt.

11. Hiſce namque aliquando ſupervenit *gangræna & ſphacelus*, quæ mala etiam inflammationem minus dextre curatam, vel dyſenteriam malignam, vel ſub vulnere inteſtina aeris intemperati contactui diutius expoſita,

vel ſub hernia incarcerata, vel ab humoribus acribus & ſepticis intentatam illis ſiderationem, inſequi ſolent: cujus poſtremi aſſerti majorem fidem facit Miſcellan. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. I. Obſ. CXLIII. ubi in viro quopiam literato quadragenario majori, melancholicæ & dum viveret valetudinariæ conſtitutionis, poſt mortem aperto corpore, in dextro latere inteſtina livida nigricantia & ſphacelata vaſaque meſaraica in inteſtina deſinentia ſanguine nigricante turgida ſeſe conſpicienda præbuerunt.

12. Infenſi inteſtinis hoſpites ſunt *vermes*, ex ſeminio verminoſo ſive ovulis potius minimis cum aſſumtis liquidis aut ſolidis, lacte cumprimis & farina ad inteſtina delatis, & intra horum cellulas ac valvulas conniventes ibidemque depoſitum tunicæ vaſculoſo-glanduloſæ vel periſtromatis villoſi mucum pituitoſo-putrilaginoſum, permittente bilis inertiâ, hoſpitium ac uterum, ubi & foveantur & excludantur, commodum nactis pronati, longitudine figura ac mole numeroque diverſo conſpiciendi: obveniunt enim modo *longi teretes lumbricorum* nomine compellari ſoliti, nonnunquam *in gyrum convoluti* vid. Miſcell. Nat. Curioſor. Decur. II. Ann. V. Obſ. LXI. modo *lati* membranæ tenuis ad inſtar ad aliquot ulnarum longitudinem protenſi *tineæ latæ* nomine venientes, modo ſeminis cucurbitæ ſpeciem referentes *cucurbitini* hinc denominandi, modo *cornuti*, modo *bicipites*; inteſtinum autem rectum occupantes termitibus ſimiles *aſcarides* nuncupari conſueverunt. Vid. Sennert. Med. Practic. lib. III. Part. II. Sect. I. c. 5. Fr. Joel. lib. IV. Practic. Sect. III. 8. Ettmüller. Oper. Tom. II. p. 179. Binninger. Obſerv. & Curat. Medicinal. Centur. I. Obſerv. XCVII. & Centur. III. Obſerv. LXXXIX.

13. Sed

13. Sed & *calculi* in tubo inteſtinali diverticulum inveniunt, ſive cum bile calculoſa per meatum cyſticum & ductum cholidochum illuc deferantur, qualem obſervationem antehac exhibuimus in Miſcell. Nat. Curioſor. Decur. II. Ann. VII. Obſ. CCXLIV. ſive ex materia tartareo-ſalina coagulabili intra cœci inteſtini anguſtiam aut cellularum valvularumque conniventium intercapedines cum pituita inteſtinali viſcoſiori conglutinentur; teſtatur ſiquidem ejusd. Decuriæ Anni VIII. Obſervatio CLXXXIV. calculum prægrandem pondere ʒiß & ʒij, ponderis civilis, figuram inſtar ovi gallinacei in inteſtino colo abſconditum, tandem maximo cum niſu per alvum excretum, & Decur. III. Ann. IV. Obſ. CXI. dictum inteſtinum undecim lapidibus magnitudine ovi gallinacei repletum prodit.

14. Porrò ſingulatim *inteſtini recti extremum* occupat ſæpius *inflammatio*, ex dolore inſigni pulſatorio, cum ardoris ſenſu, vel circulo ani introrſum retracto, dignoſcenda, nunc à cauſa interna ſanguinis ſulphureo-ſalini acrioris impetuoſiori affluxu aut ejusdem acidoſalino-viſcoſioris intra vaſa hæmorrhoidalia tumentia ſtagnatione, nunc à cauſa externa, violentâ ſcilicet concuſſione, contuſione, equitatione celeri diutura, chartarum piperatarum aut ⊕latarum pro anitergio abuſu, inducta.

15. Illi autem niſi per remedia repellentia reſolventia & discutientia ſub certo reſpectu ordinanda maturè ſuccurratur, ſuccedit *abſceſſus*, ex ſanguine in motu ſuo intercepto, puris corruptelam aſſumente atque tunicarum ſubſtantiam depaſcente enatus, haud rarò in *fiſtulam* curatu difficilem terminari ſolitus.

16. Peculiaris morbus etiam proſtat *ani procidentia, culpâ fibrarum motricium muſculorum ani levatorum ſimiliumque*

que inteſtinum rectum cum oſsis ſacri extremo & oſſiculis coccygis *firmantium*, propter fæcum duriorum violentam egeſtionem, laborioſam fœtus excluſionem, continuum, ſub teneſmo aut hæmorrhoidum cœcarum tumore, aut apertarum acriori fluxu, aut ſeri ſalſuginei acrioris ex glandulis illuc facto decubitu, aut calculi veſicæ imminentis, aut ſuppoſitoriorum crebrius intruſorum irritatione, obvenientem ad motum ſtimulum, *nimium relaxatarum* aut *abruptarum*; vel *culpâ earundem* ſub violento corporis ad os ſacrum & lumbales vertebras facto lapſu, aut frigoris immodici incautâ admiſſione, ſpirituum animalium intercepto affluxu aut ſuppreſsâ energia, *paralyſi* affectarum, oriunda.

17. *Ani pruritus* ſcorbuticis nonnunquam accidit, à ſero acriori ſalſo ad muſculum ani ſphincterem effuſo, ejusdemque fibras laceſſente ac ſuperficietenus rodente, cum madore notabili, obveniens; non minus ab eodem ſero miasmatibus virulentis venereis coinquinato modo *rhagades* & *fiſſuræ* per fibrarum carnoſo-membranacearum eroſionem, modo *verrucæ, thymi* & *condylomata*, per effuſi hinc inde ſucci nutricii concretionem, exſurgunt; ſed & per attritum, urinæ ſalſugineæ alluviem, aut excrementorum adhærentium ſorditiem acrem, *intertrigo* ibidem ingenerari ſolet.

18. Nec reticenda eſt *ani clauſura*, à nativa vitioſa conformatione eveniens, ab artis & inciſionis miniſterio medelam recuperans, vid. Horne in Microtechn. Sect. I. §. 15. & Sect. II. Part. I. §. 31. nonnunquam nullam admittens, vid. Miſcell. Nat. Curios. Decur. III. Ann. I. Obſ. CXXIII. Atque illuc etiam ſpectat, inteſtino recto ceteroquin recte conformato, ſphincteris ani carne facta *oppletio*, uti ex Benivenio C. XXX. de abditis conſtat, confer. Miſcell. Natur. Curioſor. Decur. I. Ann. I. Obſ. XI.

Obſ. XI. & additum Scholium, aut inteſtini recti ad inſtar funis *contorſio* annotata in Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. I. Ann. III. Obſ. II. aut ejusdem poſt ulcera conglutinata *coalitus*, aut à phlegmone & hæmorrhoidum tumore inducta *anguſtia & obturatio*, aut ſpasmodica ſphincteris *conſtrictio*. Singularem hiſtoriam legimus apud Hildanum Centur. I. Obſerv. LXXV. pueri clauſo ano nati, & excrementa alvi ſimul & urinam per urethram excernere viſi, in cujus diſſecto cadavere inventum eſt inteſtinum rectum fundo veſicæ implantatum.

19. Inter *Symptomata Inteſtinorum* primum nobis enumerare placet *dolorem* & *tormina*, *quæ* propter *ſolutionem continui inteſtinorum*, præſertim *ilei* ac *coli*, ſed & ſæpiùs connexi *meſenterii*, *membranis* & *fibrillis motricibus* ac *ſenſilibus plexibusq; nervoſis*, à ſanguine ejusque vehiculo ſero recrementis ſcorbuticis intemperatis referto, à bile ſalina acriori, ſucco pancreatico, lympha inteſtinali, & pituita vitreâ, acidis aut acido-auſteris, mucagine viſcida, excrementis alvinis ſcybalisque retentis, vermibus incluſis, fermenteſcibilibus, flatulentis, acidis, pinguibus, purgantibus reſinoſo-acrioribus colliquativis, aſſumtis, flatibus concluſis, ſitu mutato, aut facta compreſſione, aut prævia inflammatione, vulneratione, contuſione, alliſione, avulſione, refrigeratione intempeſtiva, &c. *inductam* ingraveſcunt.

20. *Chyli* ab alvinis fæculentiis in duodeno & jejuno *ſeparatio* & *attenuatio* læditur: *vitio*, vel *bilis* inertis, aut oleoſæ & pinguioris, aut aquoſæ, aut terreæ, aut deficientis nec in quantitate debita affluentis, vel *ſuccî pancreatici* minus ſpirituoſi, aut acore aut auſteritate corrupti, vel *pituitæ inteſtinalis* plus æquo glutinoſæ, vel *alimentorum* imperfectè in ventriculo præparatorum.

21. *Inteſtinorum motus periſtalticus invertitur & depravatur* ex parte *in vomitu*, præcipuè in *cholera* tam *humida* recrementa bilioſa acria ſalina ἄνω καὶ κάτω eliminante, quàm *ſicca* ſimiles halitus per utramque portam expellente, tum in *volvulo*, *gangrenâ*, *iliacâ paſſione* ac *miſerere mei* contenta inteſtinalia aſſueta quin & enemata ac ſuppoſitoria ſuperiora verſus ad os retundente *valvulâ inteſtini coli* tunc ſimul ſe male habente, & p. n. laxatâ, divulsâ aut abruptâ; *idem motus intenditur* ſub *alvi fluxu* quocunque *ſpontaneo* aut *coacto*, tum & *tenesmo*; inſuper *imminuitur* ſub *inflammatione*, *inflatione*, *diſtenſione*, & incipiente *necroſi*, demum ſub *paralyſi* & *ſphacelo* conſummato aboletur.

22. Ad *excretorum vitia* referenda ſunt aſſumta in *lienteria* immutata, in *cœliacâ paſſione* ob chyli prohibitam ſecretionem & diſtributionem chyloſa, in diarrhœa ſeroſa bilioſa pituitoſa, in dyſenteriâ mucoſa purulenta & ſubcruenta, in *fluxu epatico*, rectius *inteſtinali* aut *hæmorrhoidali* nuncupando, ſeroſo-ſanguinolenta, per guttur inferius egeri ſolita: huc etiam pertinet excretio per alvum, *pelliculârum membranacearum innumerarum* in perilluſtri quapiam perſona obſervata, aut *glandularum* annotata à Peyero de glandulis inteſtinalibus Exercit. II. pag. m. 38. & Parerg. I. Cap. XII. *aut corporis membranoſi* geminum quaſi inteſtinum cœcum referentis conſignata in Miſcellan. Natur. Curios. Decur. I. Anni IV. & V. Obſ. LXVIII. aut *portionis inteſtinalis* relata Dec. II. Ann. III. Obſ. CXXIX. & Dec. III. Ann. V. & VI. Obſ. CLXX. neque hîc indicta relinquenda *excrementorum alvinorum per alienum locum egeſtio*, ſic in Miſc. Nat. Curios. Dec. II. Ann. VIII. Obſ. CXXIX. refertur fæcum per inteſtini reſecti, & cum cute per coalitum junctî, parte in latere dextro ſub umbilico ad appen-

ſam

ſam veſicam exoneratio in viro ſexagenario majori annotata; & apud Hildan. Cent. I. Obſerv. LXXIV. mentio fit excrementorum per inguen egeri ſolitorum; miraculo proximam dixeris hiſtoriam in Miſcell. Nat. Curios. Decur. II. Anni VI. numero CCV. legendam mulieris ſeniculæ, cui ob herniam prolapſa inteſtina ſphacelo abſumta per relictum in inguine foramen fruſtatim unà cum alvi fæcibus ſenſim abceſſerunt, ventriculo ſe per abdominis cavitatem vacuam inclinante, & orificio ſuo inferiori per dictum foramen ad duorum digitorum latitudinem inſtar colli lagenæ vitreæ proeminente, & excrementa reddente.

23. Ad *retentorum vitia* alvinarum fæcum ſcybalorumque ſuppreſſio, chyli cohibita diſtributio & ſecretio, flatuum intercepta excretio, vermium fomentatio, calculorum detentio &c. ſpectant.

24. Hîc verò etiam *morbida hæmorrhoidum diatheſis* conſiderari poterit, ſive à ſanguinis fervidi commeatu intercepto *inflammentur*, ſive ab illius viſcoſioris coagulati infarctu tumidæ *cæcæ* dictæ promineant, ſive à ſanguinis copiâ *anaſtomoſin*, aut ab ipſius aquea tenuitate *diapedeſin*, aut ab iſtius acrimoniâ ichoroſa *diabroſin* perpeſſæ ſanguinem plus æquo fundant, ſive demum à puris geniti acrimonia *exulcerationem* acquirant. Nasdam glanduloſam in recto inteſtino venis ac arteriis hæmorrhoidalibus adhærentem, ʒiiij cum dimidia pondere, à natura ſeparatam ſubſecutâ periculosâ hæmorrhagiâ memoriæ prodidit Obſerv. LXVII. Miſcell. Nat. Curios. Decur. II. Ann. VIII.

25. *Qualitates* tandem *mutatæ* præterquam in *excrementis* à naturali habitudine degenerantibus, purulentis, ſuberuentis, inſtar picis atris, &c. ſubinde notentur, inſuper in *inteſtinis* ſub inflammatione rubentibus,

ſub

ſub ſphacelo nigricantibus, à bile effuſa & imbuta flavidine tinctis, &c. discerni poſſunt.

26. Reliquum eſt, ut *Meſenterii*, inteſtinis utpote connexi, præternaturalem *diſpoſitionem* aliquantisper contemplemur, idem verò ab humorum affluentium & ſubſiſtentium dyscraſiâ *intemperiem* contrahit, à *ſteatomate*, *ſcrophulis glandulis ſcirrhoſis* & *calculis* adnatis indureſcit, *pinguedinis* copia obrutum vel *pituitæ* infarctu oppletum incraſſeſcit, *ſuppuratione* & *abſceſſu* itemque *ſphacelo* abſumitur, *dolore* ab ichoribus acribus membranaceas nerveasque fibrillas laceſſentibus inducto afficitur; *lymphæ* & *chyli* in vaſa lymphatico-lactea ibidem notabilia *ingreſſus* à periſtromate villoſo inteſtinali propter pituitam craſſiorem obturato, & oſculis nominatorum vaſorum illuc aliàs hiantibus ideò ſimul occluſis, impeditur, *progreſſus* intercipitur à glandulis meſentericis ſcirrhoſis, aut à materiâ tartareo-ſalinâ gypſeâque oppletis, hinc dein eveniente corporis atrophiâ, aut vaſorum lymphatico-lacteorum nimia extenſione ac ruptura hydropem aſcitem pariente: *vaſa meſenterica* & *meſaraica* præternaturaliter ad inteſtinorum cavitatem *dehiscentia* aut *conniventia* fluxum epaticum mentiri, *obſtructa* vero *oppilata* ſpasmodice affecta hypochondriacis ſuppetias noxias largiri poſſunt. Plura vid. apud Martin. de morbis meſenterii abſtruſioribus, Miſc. Nat. Curioſ. Dec. I. Anni I. Obſerv. XXXII. Anni II. Obſerv. XXXII. Ann. VIII. Obſ. L. Decur. II. Anni IX. Obſerv. IX.

SPECIMEN VI.

§. I.

PAncreas nunc ſcrutinio pathologico ſubjicere lubet præternaturaliter conſtitutum: Idem verò præterquam quod *intemperiei* diverſæ, pro *variante* ſanguinis & ſeri lymphatici ac ſpirituum *dyscraſia*, obnoxium habeatur, ab intercepto fluidorum catholicorum intra compagem glanduloſam conglomeratam *motu tumoribus* ſuccumbit, ſic Nicol. Tulpius Obſerv. Medic. lib. IV. c. XXXIII. in juvene notavit *pancreas*, ſupra infraque ut *extuberans* ac *turgidum*, ſic intus ſordido *pure* ac viſcida *pituita* impendio nimis *infarctum*, ut hujus pondere depreſſis occluſisque venæ cavæ ac arteriæ magnæ tunicis, viſceri huic ſuppoſitis, emarcuerit juvenile hoc corpus genio ſuo defraudatum; nec minus Riolanus Anthropograph. lib. II. c. XVI. in multis natura ſua & corporis habitu melancholicis *Pancreas epatis molem æquaſſe* deprehendit, & ſpeciali in Auguſto Thuano habita obſervatione confirmavit, cujus pancreas amplitudine ſua epatis ponderi haud dispar totum *ſcirrhoſum*, multis *globulis ſpecie ovi columbini* differtum conſpiciendum fuerat; *abſceſſus* in pancreate hiſtoriam conſignavit Aubertus progymnaſm. ad lib. abdit. Fernel. exercit. XLIV., ſimiliter *tumorem ſcirrhoſum ſuppuratum* inſtar *ſteatomatis* magnitudine duorum pugnorum in fabro quodam lignario reperit Guil. Fabr. Hildanus Cent. I. Obſ. LXXI.: *Cancroſum* pancreatis duas ſpithamas longi & duas manus transverſas lati *ulcus*, quod non ſolum corroſivo ſuo acido diaphragma perforaverat, ſed & ſpinam dorſi ac ipſam venam cavam arroſerat, conſignavit Illuſtris Hertodus Miſcell. Natur.

Curioſ. Decur. I. Ann. I Obſ. XCIX. Excreſcentiam *Pancreatis glanduloſam* cum vaſis amplis in varicoſos ramos diſperſis in puero illuſtri domo nato Salamon Reiſelius Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. I. Ann. VIII. Obſ. XXXI. memoravit. Totum *lapidoſum pancreas* in vetulâ conſpexit Panarolus Obſervat. Pentecoſt. I. Obſerv. XLIV. vomitum quotidianum poſt prandium & cœnam paſſa, & demum atrophiâ mortuâ; & anno 1667. Pariſiis D. Gajea Chirurgus atque Anatomicus inſignis in nobile triginta annorum catarrhis admodum obnoxio in pancreate circa exitum ductus pancreatici ſeptem vel octo *calculos* majoris ciceris magnitudinem habentes collegit, referente Regn. Graff. in Tract. Anatomico-Medico de ſucci pancreatici natura & uſu c. VII. p. 587. qui etiam in canis ductu pancreatico, eo in loco, ubi aſcendens cum deſcendente concurrit, atque tantum ſimplex eſt, circumcirca ductum & ejus exitum *extimam cartilagineam excreſcentiam* contemplatus eſt, quæ inſtar papillæ craſſitie digitum æquantis in inteſtinis prominebat, & in ſui medio ſucco pancreatico allabenti exitum ſatis magnum concedebat. Ceterum tametſi in canibus inſtituto ſæpius experimento *pancreas extirpari* poſſe, & ſalvis relictis plerisque vitæ muniis ex celeberrimi Brunneri experimentis novis circa pancreas habitis in Idea noſtra machinæ humanæ Anatomico-Phyſiologica p. 43. probaverimus, in *homine* tamen *ejusdem* ad *vitam neceſſitatem* omnino aſſeveramus, perſuaſi, nec abſque ſucci pancreatici admiſcela chylificationis opus rite abſolvi, nec bilis acrimoniam noxiam futuram rite demulceri: Hinc etiam Excellentiſſimo Bohnio in Vulner. lethal. Examine p. 362. *pancreatis plagas* non, niſi arteriarum ac venarum tranſeuntium ac perreptantium occaſione, *mortiferas* auguranti, quatenus organi hujus

jus actio seu usus non tantus, quantum olim Gräff aliique venditabant, haud prorsus suffragamur, dictæ partis *vulnera* ob profunditatem & medicamentis applicandis denegatam sedem aut opportunitatem, succi extravasationem, ac putredinis in glanduloſa laxiori substantia metuendæ periculum *omninò pernicioſa* pronunciantes.

2. Adhæc verò ulterius in *ſucci pancreatici morbidam* à naturali desciscentem *indolem* inquirere è re erit. Quò quidem referri poterit: (1.) ejusdem *defectus* & insufficiens in duodenum *effusio, culpâ idoneæ* à sanguine & spiritibus haud subministratæ *materiæ* seroso-lymphaticæ, aut *pororum* in *moleculis glanduloſis* aut *ramorum lateralium* in *ductu* à tenacibus mucosis glutinosis tartareo-salinis recrementis *obſtructorum* & *oppilatorum* eveniens, insequente hinc chyli lentore, ab alvinis fæculentiis difficiliori secretione, & in lacteo-lymphaticorum vasculorum oscula impedita receptione, cum notabili languore & atrophiâ, tum & bilis acrioris frustrata attemperatione, vomitus bilioſos dein concitante. (2.) *præternaturalis exuperantia & uberior effusio* à sanguinis & spirituum tenuitate serosâ aut ichoroſa in glanduloſo pancreatis corpore copiosè imbibita pleno gutture redundans, superveniente nonnunquam diarrhœa seroſa, vel intumescentia corporis cacochymica: (3.) *acrimonia vel muriatico-⊖ſa* similis seri genio respondens, dolorem obscure urentem ac rodentem inferens; (4.) vel *acida* depressis particulis sulphureo-spirituosis & in fluorem evectis salinis emergens, frigoris sensum in dorso lumborumque finitima regione pariens, lancinationes dolorificas in intestinis adaugens, bilemque atram ac æruginoſam reddens, nec non ad coagulum disponens. (5.) *lentor glutinoſus* ac *viſcoſus* cum *tardiori effluxu* conjunctus

ctus ſecernendo chylo remoram injiciens, pituitam inteſtinalem ſimiliter vitiosè disponens, alvique ſegnitiem fovens.

3. Pancreate relicto ad *Epar* nos recipiemus, notum ſeculis, ſed ignotum naturæ, quod nominis majeſtatem & dignitatis fama firmavit, opinione conſervavit, & tamdiu coxit, donec cum cruento imperio ſeipſum decoxerit, uti in ultimæ devotionis inſcriptione tumulo illius conſecrata olim luſerat Th. Bartholinus in epatis exſequiis vaſis lymphaticis noviter inventis ſubnexis, cujus adeo miramur ne *veſtigium* quidem deprehenſum in abortu humano monſtroſo juxta obſervationem Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. II. CXLIII., ſicuti in Matthia Ortelio Mercatore Antverpienſi tanti momenti aliàs habitum *viſcus* plane *defuiſſe* jam olim annotaverat Schenckius Obſervat. Medicinal. lib. III. Sect. poſterior. Obſ. 7.; etiamſi M. Malpighius in Exercit. de Epate cap. VIII. exiſtimet, vulgatam Ortelii ſectionem, quæ multorum torſit ingenium pluribusque impoſuit, ſi ad trutinam eſſet revocanda, utique patere, non defuiſſe jecur, ſed in opportuniori forte ſitu ſecundum inteſtinorum longitudinem (quorum ſubſtantiam ideo ſectores ſolidiorem & carnoſam viderant) locatum extitiſſe, ut ſecreta bilis illuc derivaretur; ſed & in femina ex menſium retentione tympanitide extincta ad vicem epatis *maſſam carneam* ab epatis regione ad umbilicum extenſam, XXXVI. librarum pondus adæquantem Zacutus Luſitanus prax. medic. admirand. lib. II. Obſerv. XXXVIII. memoriæ prodidit.

4. *Situm Epar* mutaſſe, & in *ſiniſtro*, lienem contra in dextro *latere* recubuiſſe Cornelius Gemma Coſmocrit. lib. I. c. VI. annotavit, *ſimilem* etiam *obſervationem* à Fa-

à Fabricio Aquapendente in molitore Patavino habitam refert Rolfincius in Differt. de hepate cap. I., ſubditque prodigioſum eſſe omninò, quod *epar* aliquando in thorace ſub dextra mammilla fuerit repertum; laxatis autem ligamentis, quibus diaphragmati & cartilagini xiphoidi devincitur, ultra nothas coſtas ad umbilicum *idem* usque *deſcendiſſe* ſcribit Joh. Riolanus Enchirid. Anatom. lib. II. c. XXV.

5. *Intemperiem* ab *humorum affluentium* & *ſubſiſtentium dyscraſia* intra ſubſtantiam ſuam glanduloſam conglomeratam admittit *Epar* variam, & gravem nonnunquam ſuſcipit *inflammationem*, poſt vehementiorem contuſionem aut lapſum ab alto ad hypochondrium dextrum factum, aut potus frigidiſſimi ingurgitationem, aut emplaſtrorum aut linimentorum calidiorum incautam admotionem, aut cucurbitularum impoſitionem, occaſione ſanguinis inde inducta coagulatione & in commeatu reciproco interceptione enatam. Vid. Foreſtus lib. XIX. Obſ. VII. VIII. IX. Hildanus Cent. II. Obſ. XLVI. & XLVII. Panarol. Pentecoſt. I. Obſ. XXXVII. Tulpius Obſerv. lib. II. cap. XXVII.

6. *Inflammationi*, ſanguine chyloſo extravaſato in pus per acidum putredinale mutato, ſæpius ſuccedit *abſceſſus*, *apoſtema*, *ulcus*, & materia purulenta peculiari folliculo concluſa *vomica*, de quibus vid. Foreſtus lib. XIX. Obſ. IX. & X. Schenckius Obſerv. Medicinal. de epate lib. III. Obſ. 19. Miſc. Nat. Curioſor. Decur. II. Ann. V. Obſ. XI. & Ann. IX. Obſ. XXXI.

7. Nonnunquam eidem ſupervenit, vel ſponte ſua gignitur *ſcirrhus epatis*, portionibus ſanguinis & lymphæ fluidioribus reſolutis, diſcuſſis, abſumtis, relictis craſſioribus mucaginoſo terreo-ſalinis in coagulum condenſatis, poros acinorum glanduloſorum & vaſorum mea-

tus obstipantibus; vid. Amat. Lusitan. Cent. III. Cur. 48. Foreſt. lib. XIX. Obſ. XIII. & XIV.

8. Nec multum absimili modo *obstructio* in *epatis textura glanduloso-vasculosa* à recrementis chyli, sanguinis, lymphæ, ac bilis induci solet, non sine vano icteri aut hydropis mox subsecuturi metu: Quid quòd & *materia ♀eo-salinâ illuc deposita lapides* in epate genitos observationes testentur, Miscell. Natur. Curios. Decur. I. Ann. I. Obſ. LXVI. cum annexo scholio, Ann. II. Obſ. CVI. Decur. II. Ann. VIII. Obſ. CXLVII. confer. Decur. II. Ann. IV. Append. p. 211. Decur. I. Ann. IX. & X. Obſ. XX. p. 70. & Obſ. CIV.

9. Sic & præter naturæ ordinem obtingit, ut *epatis acini lobuliq; glanduloſi* aut à sanguine acriori ♀eo-salino, aut ichoroso aut aqueo tenuiori, laxata nimium sui compage, *molleſcant*, & *rimas fiſſuras q;* agant, uti Excell. Hartmann. Misc. Nat. Cur. Dec. II. Ann. V. Obſ. LXII. in phrenitico invenit epar magnitudine vastum, & pondere grave, friabile, minus soliditatis habens, leviſſimo contactu in rimas ac fissuras dilabens, & Riolanus Enchirid. Anatomic. lib. II. c. XXV. se bis aut ter vidisse rimas in epate arido, quibus uti in olla sciſſa serositas quædam exsudaverit, scripsit. Interim tamen *epatis compagem* uti nonnulli somniant, penitus *diſſolvi, liquari*, & per alvum *excerni*, superstite vita, fabulam censemus per eburneam illam portam ad nos delatam, qua falsa ad cœlos mittunt insomnia manes.

10. Id verò facilius quis conceperit, *epatis ſubſtantiam glanduloſo-vaſculoſo-membranaceam* aut à *primo ortu* ampliorem *molem* nanciſci, aut ab uberiori humorum affluxu & portionum nutriciarum aut recrementitiarum accremento adipiſci poſſe, sicuti exempla ab Hildano Cent. II. Obſ. XLV. Bartholino Cent. IV. hiſtor. LXXI. & in Schol.

ad

ad Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. I. Ann. I. Obſ. II. & ejusd. Decur. Ann. IV. & V. Obſ. CXLII. Decur. II. Ann. II. Obſ. LXXI. abunde comprobant.

11. Prodigioſum dixeris, hominis epar *vermiculis* ſcatere, quales per microſopium à Benedicto Spinoſa inſigni Mathematico ſibi datum tamen obſervaſſe Theod. Kerckringium confirmat Scholion ad Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. I. Obſ. L., atque à Th. Bartholino quoque notatos refert.

12. *Vulnera epatis* lethalia triſtis eheu eventus nobis bis comprobavit, idque ob vaſculorum innumerorum inevitabilem læſionem, & ſanguinis maximam inde evenientem vel extra corpus vel in abdominis cavum profuſionem; quod ſi tamen aliqui inde evaſerint, vel læſioni ſaltem ſuperficiariæ & leviori, vel vaſorum minorum disciſſioni, vel viæ ad medicamentorum congruorum applicationem neceſſariam patefactæ, vel cum carnibus & integumentis propinquis ſuperinductæ unioni & redintegrationi, vel rarius obtingentibus fortunæ caſibus merito adſcripſeris, conf. ſi lubet Excell. Bohn. Exam. Vulner. lethal. p. 364. & ſeqq. Hildanus Cent. II. Obſ. XXXIV. Miſc. Nat. Cur. Dec. II. Ann. V. Obſ. IX. Schol. ad Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. III. Obſ. LXXIV. Schenckius Obſ. lib. III. de Epate XXXVIII.

13. Nec *ulcera* latè ac profundè ſerpentia, aut *phagædenica*, aut *cancroſa* & *gangrænoſa* ſalutis recuperandæ ſpem nobis facere poſſunt, ad quam tamen aliquando fortean illi redire poterant, quibus talia *minora* obtigerunt, & aut à naturæ Critico molimine intus repurgata, aut facta apertione, per medicamenta immiſſa mundificantia & conſolidantia denuo ſanata fuerant, leg. Capivaccius l. III. Med. pract. c. III. Schenckius Obſ. Medicinal. lib. III. de epate XXI. & XXII.

14. In-

14. Inter *ſymptomata* epatis *dolor* ſe etiam ſiſtit *pulſatorius*, *punctorius*, *gravativus*, *diſtenſivus*, *preſſorius*, intentatæ fibrillis membranaceo-nerveis ſenſilibus à ſanguinis quantitate, fervore, acrimonia, cohibito motu, lentore, aliisque præternaturaliter ibi detentis aut extrinſecus violenter adventantibus, ſolutæ unitati imputandus.

15. *Actio* epatis *bilis ſecretoria* & *excretoria* imminuitur & impeditur aut *epatis glanduloſis acinis* ſub ſcirrho *obſtructis*, aut *vaſis ductibusq; biliariis* à *materia pituitoſa viſcida*, *gypſea*, *calculoſa*, *verminoſa &c.* obſeſſis.

16. *Excretorum vitia* in epate potiſſimum exhibet: (1.mo) *bilis*, ſive in *nimia copia* à ſanguine ſeparetur, & ad duodenum effuſa, vomitum & alvi fluxum bilioſum quandoque concitet, aut per pylorum ad ventriculum regurgitando amaritiem notabilem inde aſſurgentem bulimumque ſaltem inducat, ſive haud ſufficienter ſegregata, icterum, chyli lentorem, cachexiam, & hydropem inferat; ſive *ſolito acrior ſalina & fluxilis* choleram, vel diarrhœam bilioſam, vel icteri alteram ſpeciem, cruditatemque nidoroſam pariat; ſive *inertiâ ſua terrea*, *aquea*, *aut oleoſa*, chylificationem imperfectam relinquat, & ad ardorem ſtomachi concurrat; ſive *æruginoſa* icterum nigrum corpori conciliet, fæcesque alvinas ſimili colore inquinet; ſive denique *calculoſa* calculos in folliculo vaſisque biliariis concreſcere faciat. (2do) *Lympha* ſive non rite à ſanguine circa epar *ſecedat*, & in vaſcula propria colligatur, ſive *lentore* ſuo eadem infarciendo ac denique rumpendo aut *acrimonia* erodendo in abdominis cavum effuſa hydropem aſcitem accieat: dum de reliquo *fluxus epaticus* olim dictus, rectius à ſanguine inteſtinali vel hæmorrhoidali acriori ichoroſo ſub vaſorum diapedeſi diæreſi vel diabroſi intra canales inteſtinorum effuſo, hodie deduci ſolet.

17. *Quali-*

17. *Qualitates mutatæ* in epate ſenſibus obveniunt, quando *tuberoſis eminentiis duriuſculis & albicantibus* ubique, non tantum quoad ſuperficiem, ſed etiam ſubſtantiam internam ſimilibus variæ magnitudinis nodis ſcatere viſum eſt, Miſcell. Natur. Cur. Decur. II. Ann. II. Obſ. LXXVI. vel ſub inflammatione plus ſolito rubet, aut ſub ſcirrho indureſcit, palleſcit, ſub icteро flaveſcit &c.

18. Quin & *veſicula fellea* ſuos quoque patitur morbos: dum vel *à bilis* concluſæ *copia* plus æquo turget & protuberat, vel *bile pene vacua* apparet, vid. Decur. I. Ann. IV. & V. Obſ. XXXII. vel *calculis* referta eſt, ſicuti Excell. Dn. D. Steinius, Conſiliar. & Archiater Barutho-Brandenb. celeberrimus, Fautor & Affinis noſter honoratiſſimus, in Sereniſſ. Marchioniſſâ Baruthina tales CLXXXI. ibidem conſpexit, & deſcripſit in Lithographiâ curiosâ §. XXIV. p. 24. conf. Excell. Bergeri phyſiolog. Medic. cap. XIV. p. 219. & ſeq. Ceteroquin *rupturam* ejus ſub vomitu diuturno prægreſſo lethalem factam propalavit Georg. Berlinus med. lib. XII. cap. 1, ſimilem ab ictu ſubſecutam notavit Celeberrimus Joh. Matth. Faber. in addend. ad Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. VIII. p. 466. ut propterea etiam vulnera folliculi lethalibus annumerare ſana ratio perſuadeat, defuiſſe nihilominus illam in femina fidem facit Hartmannus Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. X. Obſ. CLX.

19. Ab epate ad oppoſitum tranſimus *Lienem*, aut *morbis* pluribus obnoxium aut ex iisdem condemnatum. Hîc verò primum mirari ſubeſt *Liene* quædam ſubjecta ab ortu deſtituta fuiſſe, uti patet ex Becker. Cultrivor. Cur. p. 83. & Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. Anni II. Obſ. CXLIII., nec minus eodem ſectione ablato ſupervixiſſe, confirmantibus hiſtoriarum fidem Miſcell. Nat. Cur. Decur. II. Ann. III. Obſ. CXCV. & Boneti Med. Septentrion. collatitiæ lib. III. Sect. XX. c. XII.

20. *Lienem parvum*, ut pollicem majorem vix æquaret, in femina Lipſienſi annotavit Ph. Salmuth. Obſervat. Medicin.

Cent. I. XXI. epate contra maximo, non dextrum ſolum hypochondrium, ſed & omnem ventriculi regionem ſicque ipſum fere totum hypochondrium ſiniſtrum occupante.

21. *Magnum* ſæpius *Lienem* intueri in hypochondriacis hominibus datur, viſcere ob laxitatem ſubſtantiæ innumerasque arteriarum in ſpiras quaſi ac helices contortarum ac revolutarum, ac dein in venarum & lymphæductuum radices deſinentium, *infarctui* & *extenſioni* præternaturali cumprimis obnoxio, ſuppetias ſimul ferente vita ſedentaria, aut victu craſſiori, flatulento, indigeſto; adeo Cappadox apud Plautum in Curculione non immerito querelas olim haſce movit:

Nam jam quaſi zona liene cinctus ambulo,
Geminos in ventre habere videor filios,
Nihil metuo, niſi ne medius disrumpar miſer;

& Hippocrates de locis in homine t. XXXVI. edit. Lindenianæ, ὅτι ἰσχνὴν χώλῃ, τὸ σῶμα φθίνῃ ſcripſit: Henricus ab Heer autem Obſerv. Medic. lib. I. Obſerv. 1. nobilem annos natum ſedecim in Spa veniſſe refert, magno laborantem liene, qualem depinxit Hippocrat. libr. de Affectionibus edit. Foëſian. in fol. Sect. 5. fol. 81. genitum & ipſum patre lienoſo, adhuc poſt annum quinquageſimum cetera ſano; & Hartm. Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. X. Obſ. CLX. in femina vidit *lienem vaſtum*, ex vaſis inciſis cruorem tetricum & atrum ac lentum extillantem, circum circa pluribus fiſſuris inciſum σπληνοειδὲς non rhomboidem. Similiter Anton. de Pozzis Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. IV. & V. Obſ. XXX. *lienem* recenſet ponderis librarum ſex cum dimidia, *novem contextum denſis membranis*, inter quas aquæ limpidiſſimæ portio continebatur, hypogaſtrium præ pondere occupantem ſpatio 24. annorum, dum femina interea ter ſobolem utero geſſerat: adhæc *vaſtum* admodum *lienem* in lobos diviſum in fure diſſecto contemplatus eſt Hartmannus Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. IX. Obſ. XI. quem etiam revera ſplen ridere fecit, ſi quid riſus hujus viſceris magnitudini debetur,

nam

nam nec is coram judicio à risu sibi temperare poterat, quando sua recenseri scelera audiverat. *Inflationem lienis* ac tensionem peculiarem legere est apud Forestum Observ. lib. XX. Obs. IV.

22. Adhæc *lienes duos* in juvene mortuo visos, alterum majorem, alterum minorem, & illum quidem in superiori hypochondrii sinistri regione totaliter ab hoc sejunctum, atque unumquemque suis splenicis ramis dotatum recenset Panarol. Pentecost. I. Obs. 2. Bened. Cabrolius Obs. XV. allegatus à Morono in Directorio Medico practico p. 263. *tres* in cadavere Patavii publicè secto, unum justæ magnitudinis, alterum dimidio minorem, tertium verò magnitudinis ovi columbini, & quemlibet suis venis, arteriis & nervis instructum, demonstravit Fallopius, & recensuit in Observat. Anatomic. ad Petr. Mannam Medicum.

23. *Lienem inflammatione* corripi arteriolarum per tunicam geminam numerosa distributio credere facit, & confirmat Forestus lib. XX. obs. V. *Scirrho* indurari intricatus vasorum plexus glanduliformis juvat, *hydatidibus* aut *vesiculis* sero limpido turgidis obsideri vasorum lymphaticorum obstructio efficit.

24. *Lienem* dimidia ferme sui parte *osseâ cartilagine* incrustatum descripsit Rudnicius Miscell. Nat. Curios. Decur. I. Ann. III. Obs. CLVIII. & *tunicam* ejusdem *extimam* in senescentibus plurimum sæpe indurari, ut & *osseam* ac *cartilagineam* evadere annotavit Th. Bartholinus Anat. reformat. lib. I. c. XVI. p. 159. plura vid. Miscell. Nat. Curios. Decur. I. Ann. VI. & VII. Obs. CXXXIII. & in Schol. Porrò *os cruciforme* in *liene* Petrus Borellus Cent. I. hist. IV. recensuit, & lapidem in liene nobilis & generosæ fœminæ castaneæ magnitudine, subalbidum, alabastri mollitie, pondere ʒiiß. & ʒj., laminis, ovorum putaminibus invicem crustatim involutis, similibus concretum *Turneisserus* in Exam. urinarum retulit.

25. Lienis *tumorem* ex febre *tertianâ* Riverius Obs. Cent. I. Obs. L. ex *quartana* Amat. Lusitan. Cent. VI. Cur. XXXIX. & Forestus lib. XX. Obs. IX. consignaverunt; *steatoma* capitis magnitudine, ad regionem lienis protuberans & lethale in Viro communicavit Lotichius Observat. Medicinal. lib. VI. c. III. Observ. XI. *tumorem aquosum* sive *hydropem particularem* lienis annotavit C. Piso select. observat. & consilior. de morbis à serosa colluvie & diluvie natis p. m. 320.

26. *Vulnera lienis* mortiferis accensere haud veremur, habita vasorum sanguiferorum per viscus hocce distributorum innumerorum, ac texturæ membranaceo-fibrosæ ratione, hincque cum Celso Romano Hippocrat. lib. V. de re medica c. XXVI. vix ad sanitatem pervenire arbi-

arbitramur, quibus lien vulneratus fuerit, tum ob ſanguinis copioſam extravaſationem, tum ob ſpasmodicam fibrarum conſtrictionem interpolatam conſolidationi renuentem.

27. *Ulcera lienis* dubii judicamus eventus, ſæpius tamen funeſti, curationi obſtante viſceris mollitie, uberiori ſanguinis & ſeri affluxu, ac continua agitatione, hinc in tympanitico quopiam lien ſphacelatus putredine ac nigrâ amurcâ diffluens ſeſe viſui obtulit J. P. Albrechti Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. VI. Obſ. XI. A ſcipionis ictu ſuſcepto in juvene XIV. annorum lienis viſcus molle medium diffiſſum, licet foris nullum conſpiceretur vulnus, poſtridie ejus diei eodem vitam cum morte commutante, teſtis eſt Tulpius Obſerv. Medic. l. II. c. XXIX. qui textorem etiam à ſimili ictu inopinatè vidit occiſum.

28. *Dolor* Lieni etiam inducitur à cauſis variis tam internis quàm externis, diſtendendo, lacerando, rodendo, rumpendo, contundendo, ſolutionem continui in fibrillis membranaceo-nerveis molientibus, nec enim cum Aretæo lib. I. de cauſ. acut. cap. XIV. quispiam recte dixerit ἐπαναίσθητον ϗ ἐν ὑγίει τὸ σπλάγχνον valde inſenſile etiam in ſanitate viſcus lienem eſſe, nam præterquam quod modernos Anatomicos ad reconditos lienis receſſus geminum nervulum dispergi avtopſia edocuerit, argumento ſenſus ſatis exacti eſſe punctiones viſcerum, quibus multi etiam ſani ſunt obnoxii, ſi vel modicè incaleſcant, antehac jamdum ex vulgata experientia annotavit Lindenus Med. Phyſiolog. cap. V. Articul. II. §. 26. p. 69.

29. *Excretorum vitia* in *Liene* quoque indaganda obveniunt, ita Excell. Wedel. Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. IX. & X. Obſ. XX. deſcribit *vomitum cruentum*, culpa *vaſis brevis* calamum ſcriptorium majorem æquantis, à liene in ventriculum hiantis, illucque ſanguinem profundentis, (reſerata ſcil. aut eroſa à ſale acri ſcorbutico alias id inhibente valvulâ) ſubſecutum, qualem etiam beatus Parens noſter ex compreſſione hypochondrii ſiniſtri quondam obſervaverat: nec minus *lympha* à refluxu per vaſa propria, occluſa aut disrupta, detenta ad ſpatiola membranacea lienis p. n. excavata effuſa veſiculis tumoribusque ſeroſis inibi oriundis materiam ſuppeditare, aut in abdominis cavum prorſus evacuata hydropi ſcaturiginem addere poteſt.

30. *Qualitates* denique *mutatas* ſub inflammatione intenſe *rubente*, ſub hydrope *albeſcente*, ſub calculoſa aut ſcirrhoſa duritie nimium preſſioni *renitente*, tum & aliis vitiis organicis jamdum expoſitis colligere in promtu erit.

SPECIMEN VII.

§. I.

PArtes *urinæ ſecretioni*, *collectioni*, & *excretioni* deſtinatæ, quia ſuos etiam patiuntur manes, à nobis non immerito disquiſitionem pathologicam expoſcunt. Hîc vero tametſi ceteroquin *renes*, ob muneris neceſſitatem, atque ſeri excrementitii, quod ſegregare debent, copiam, *bini* plerumque exiſtant, *unum* tamen quandoque deeſſe, obſervationes confirmant: ſic Panarolus Iatrologism. Pentecoſt. I. Obſ. III. in juvene ſatis carnoſo *renem unum*, non in medio ſpinæ, ſed in parte ſiniſtra juſtam quantitatem non excedentem, cum duobus tamen infundibulis duobusque ureteribus inde exporrectis vidit, & Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. I. Obſ. XXXV. in puella XIII. annorum *renem dextram* cum *ſuccenturiato* proximo *defeciſſe* Excell. Harderus annotavit, in ejusdem vices natura *veſicis pluribus maximis minutis & minutiſſimis*, in quæ vaſa emulgentia egregie inſerebantur, corpuſculo proſpiciente. Non minus *renem dextrum* totaliter *conſumtum*, ejusque loco *maſſam* XXII. uncias pondere ſuo adæquantem, fœtidiſſimo pure repletam, & quamplurimis membranis, quas natura in auxilium fecerat, circumvolutam Greiſelius Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. I. Obſ. LXIV. memoravit: Similiter *renem ſiniſtrum* à *calculo* totum *contritum* & *deperditum*, ut nihil præter membranam reſtaret, ex Fr. Losſii Lib. III. Obſ LII. Cl. Vieuſſens in novo vaſorum corporis humani ſyſtemate p. 194. conſignavit; & Ingenioſiſſimus Williſius in Tr. de Anim. brutor. Part. 2. Pathologic. c. XIV. in viro ex nephritico arthritico facto *renem dextrum* jam pridem fere

absumptum, superstite tantum exiguo *glandularum acervo*, vasis omnibus & uretere coalitis, & penitus occlusis, deprehendit, plura vid. apud Schenckium Observat. Medicinal. Lib. III. de Renibus CLXXII.

2. Quin & aberrantis à solitâ *formâ* Archei lusum circa renes deprehendere licet, siquidem renem fœtus ex *unica glandula* efformatum Kerckringius Spicileg. Anatomic. Obs. XLIX. conspexit, per *fissuras quatuor* renem sinistrum maximum quasi *divisum*, carne satis compacta, idem Harderus in citata modo observatione deprehendit, atque in scholio annexo subdidit, se in cadavere puellæ phthisi defunctæ in rene dextro, eo loci, ubi alias vasa emulgentia ingrediuntur, *fissuram amplam* & *cavam*, vasis stipatam duplicatis, binis viz. arteriis & binis venis, sinistro altero pari carente, reperisse: adhæc juxta Misc. Nat. Curios. Decur. I. Anni II. Obs. XXII. in fœtu renum loco *glandulas* tantum *renales*, *irregularis figuræ*, substantia solito solidiori præditas, & admodum compressas, ramusculis nihilominus ex aorta & cava descendente oriundis, emulgentes arterias & venas supplentibus, adhærescentes Laur. Wolffstriegelius spectatoribus monstravit.

3. Miraculo tantum non proximum fuisse dixeritis, *renem* perfecte *siliceum*, è cadavere Norwagi cujusdam excisum, aliquot uncias pendentem, uti recenset Cl. Paullinus in Appendic. ad Miscell. Natur. Curios. Decur. II. Anni IV. num. L. p. 211., confer. Ejusd. Decur. Ann. VI. Appendix numero XL. p. 48.; sicuti Celeberrimus Cnöffelius Miscell. Natur. Curios. Decur. I. Ann. IV. & V. Obs. LXIV. in filiola octo annos nata *renem dextrum*, remoto adipe à parte mediâ, ubi pelvis incipit, *penitus incrustatum* & quasi *lapideum* detexit, tactu durum, & materia *calculosa* quasi *gypsea* circumcirca obductum;

ductum, à sanguine siquidem recrementa tartareo-salina hinc inde deposita, & vel diverticulum quò secedant, vel adnascantur, nacta, vel glutine viscoso & tenaci vel acido coagulo accedente combinata, concrescere, lapideæque substantiæ accessione nativam pristinamque faciem immutare possunt.

4. Nec verò porro novum aut insolitum malum habetur *Renum inflammatio*, νεφρίτις & nephritis aliàs dicta, tumor scil. eorundem præternaturalis phlegmonodes, cum vehementi dolore, urinæ difficultate, fibrosis aut arenosis quandoque cruentis excretionibus, item febre, aliisque symptomatibus stipatus, & à sanguine sulphureo-salino aut salino-sulphureo intra membranarum glandularum tubulorumque renalium meatus ex arteriis emulgentibus effuso, ac à refluxu reciproco libero per venas socias impedito pronatus, cui quidem vel sanguinis copia aut intermissa assueta evacuatio & imminutio, aut præternaturalis incalescentia, aut impulsus concitatior impressus, aut repentina coagulatio, aut extravasatio, aut à causis violentis externis in membranis glandulis & tubulis turbatus meatuum ordo, aut denique spasmodica fibrarum ipsarum renalium strictura per distensionem, laceration em, lancination em, pressionem, punctur am, inducta ansam præbent: vid. Miscell. Nat. Curios. Decur. II. Anni V. Obs. CCXVII. Forestus lib. XXIV. de renum morbis Obs. XXX. Rarius animadvertitur *intemperies renum frigida & humida*, sanguinis dyscrasiæ ichorosæ aut seri exuperantiæ imputanda, aut tubulis fibrosis glandulisque laxioribus adscribenda, aut ab actuali extrinsecus admisso frigore suscepta, uti exemplum habet Höchstetterus Observat. Med. Decur. V. cas. X. cujusdam Viri nobilis, qui podagricis offensionibus laborans, renes,

ne à diuturno decubitu incaleſcerent, marmore, quod gelu à nive contraxerat, regioni eorum admoto, peſſundederat; rariſſime obvenit renum *intemperies ſicca*, aut à ſeri affluxuri inopia, aut aliorſum facto decubitu, aut profluvio, aut ſtrictiori canaliculorum fibroſorum glandularumque compage, aut eorundem prægreſsâ obſtructione itemque compreſſione, nec non anguſtia, aut viceverſa vaſorum lymphaticorum ſerum repente nimis abſorbentium amplitudine, inſequens.

5. Sed quemadmodum aliorum organorum ſecernentium, ita pariter *Renum* ſæpius p. n. obtingit *anguſtia* & *obſtructio*, in *glandulis, fibris tubulatis*, & *pelvis cannulis* fundata, & vel ab enati tumoris phlegmonodis aut ſcirrhoſi comprimente pondere, vel ab humorum pituitoſorum oppilante lentore, vel à ſanguinis in vaſis turgeſcentis, aut extravaſati grumoſi, aut puris illuc depoſiti, vel ſabuli calculique ibidem impacti, obturante obſtaculo inducta, leg. Tulpius lib. II. Obſ. XLIII. & XLIV. Foreſtus lib. XXIV. Obſ. XV. Salmuth. Cent. III. Obſ. XXX.

6. Contra in quibusdam ſubjectis *earundem partium renes conſtituentium* quandoque peccat nimia *amplitudo* & *laxitas* ac quaſi ἀτονία, nimiæ potulentorum ingurgitationi, aut aliàs uberioris ſeri affluxui, aut medicamentorum diureticorum, balneorum item & fomentorum humectantium abuſui, aut connatæ ab ortu debilitati ſuccedens; atq; hîc etiam recenſeri poterint *vaſculorum ſanguiferorum renalium* ἀναῤῥώσεις à contenti ſanguinis copia extenſiva, aut acrimonia corroſiva, aut medicamentis & venenis cathæreticis aſſumtis, aut calculis acutis & aſperioribus, dein διαπήδησις ab ichoreſcentis ſanguinis per tunicas vaſorum extenuatas & rarefactas tranſudanti-

dantibus quibusdam particulis, tum Δυσβρωσις à pure ex abscessu genito, vel materia tartareo-salina acriori, progeniem suam habentes morbificam.

7. *Figura* renum phaseolum repræsentans, *superficiesq;* in adulto homine polita æquabilis continua in statu præternaturali nonnunquam vitiari solet, quod testatur Misc. Nat. Curios. Decur. I Ann. I. Obs. XLIII. ubi delineatus prostat ren dexter in parte superiori extrorsum *cysti* ad magnitudinem pilæ lusoriæ fero subflavescente turgida deformis, & Miscell. Nat. Curios. Decur. II. Ann. VI. Obs CCXXXIV. ren sinister in maniaco tunicis evolutus exterius *sex hydatidibus* consitus fuisse legitur, quarum una & maxima ovum columbinum æquaverat, ad latus vasorum emulgentium appensa, quales procul dubio à lymphæ intra vascula propria restagnatione, vel intra membranacea interstitia effusione emersérunt. Nec minus renum superficies *varicosa* & innumeris *tuberculis* sæpe scatens à Barthol. Eustachio notata est in Tr. de Renibus c. XLV.

8. *Magnitudo* renum *naturalem* etiam *excedit* interdum *mensuram*, adeo ut Diemerbrockius Anat. lib. I. c. XVIII. in cadavere quopiam singulos renes dimidii capitis magnitudinem excessisse, per autopsiam à se A. 1658. habitam fidem faciat, & ego triennio abhinc in principissa bimula, insatiabili bibendi desiderio dum viveret flagrante, & copiosissimas urinas reddente, renem dextrum adulti hominis reni parem, instituta post mortem disectione, miratus sim, dum ceteroquin ab humorum circulantium reciproco intercepto commeatu, aut urinæ ad ureteres denegato progressu, *tumoribusq;* hinc enatis accrescentibus, incrementum etiam renes capere immodicum palam est. Enimvero & viceversa determinatam à natura quantitatem interdum haud

adimplet, vel *amittit renum parvitas*, minimi namque renis meminit Rhodius in Mantiſs. Anatom. Obſ. XXXVII. ſimilis in Bonifacio Corneo nobili peruſimo diuturno renum dolore & calculo interemto adeo imminuti, ut magnitudine parvam caſtaneam vix æquaret, mentionem fecit Euſtachius paulo ante citatus. Atque hîc etiam meminiſſe licebit *renum tabis*, ſive ea tantum quoad *pinguedinem* exteriori membranæ circumfuſam, cum univerſali corporis contabeſcentia, à variis cauſis chylum intricium ſufficientem haud ſuppeditantibus vel colliquantibus vel pervertentibus & corrumpentibus vel abducentibus obtingat, exemplo id confirmante Foreſto lib. XXIII. Obſ. III., ſive in *ipſa renum ſubſtantia* ab ichore aut pure acri erodente, aut calculo & ſabulo atterente, aut pharmacis deleteriis depaſcentibus inſequatur, ſic namque in Miſcellan. Natur. Curioſ. Decur. I. Ann. III. Obſ. CCXXVII. renum portiones cum urinâ excretas deſcripſit Georg. Segerus: Interea cum in neogamis & ſalacibus tabem iſthanc neophriticam contigiſſe adverterit Riolanus Encheirid. Anatom. lib. II. cap. XXIX. conſider. Medica male hinc concluſit, ſeminis materiam à renibus profluere, & ad uſum venereum plurimum valere, ſiquidem cauſa noxii hujus effectus à ſanguine detractis nimium particulis chyloſis balſamicis ſeminalibus acriori relicto, aut plus æquo ſub συνουσία conjugali incaleſcentibus renibus, & fortean tubulis renalibus disruptis, repetenda videtur, ut proin etiam immerito miratus ſit Excellentiſs. Hertod. à Todenfeld corruptis renibus aliquem generaſſe, vid. Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. I. Obſ. XCIX.

9. *Numero* renes culpabiles eſſe *deficiente* jamdum oſtendimus, an autem *excedente eodem* dicendi ſint nota affecti morbida, nullo hinc eveniente ſymptomate, ambi-

ambigo; etenim Schenckius l. c. CLXXIII. & seq. tres quatuorve visos renes ex Gemma, Eustachio, & Botallo enarrat.

10. *Situ mutato* renes præter naturæ consuetudinem morbidos evadere autor est Riolanus l. c., dum scribit, quamvis renes adipis glutine videantur tenaciter affixi lumbis, interdum tamen luxari & antrorsum procumbere, interdum in hypogastrium delabi non sine vitæ detrimento, hocque ita verum esse, ut nullo modo sit dubitandum, & potissimum accidere, non tantum liquata pinguedine, qua sunt obvoluti, sed etiam expondere, ubi tam grandes sunt ex tumore vel calculo in cavitate concluso, ut suis retinaculis in sua sede contineri nequeant, tumque ibi aliquandiu subsistant, tandem putrescant & abscessum patiantur. Conf. Schenckius l. c. CLXXVI.

11. *Calculis* sive coagulis *præternaturalibus variæ formæ & magnitudinis*, ex chyli lymphæ ac sanguinis particulis recrementitiis ♆eis fæculentis viscosis ac bituminosis, acido-coagulanti connubentibus progenitis, renes dolorifice affligi, illosq; modo alicubi in fibrosa tubulata compage, modo vasis, pelvi, ac ureterum inde exporrectis canaliculis hærere, modo universam eorundem substantiam occupare & depopulare, numero plures aut pauciores, magnos, mediocres, aut parvos, friabiles, granulatos, aut læves siliceos, Medicorum observationes confirmant, de quibus videantur histor. calculor. humanor. Jenæ à Joh. Carolo Heinlein A. MDCLXXVI. editâ, Charteton. Diatrib. de Lithiasi Sect. II. c. 1. Theophilus Bonetus sepulchreti pag. 901. 1205. 1279. & seq. Miscell. Natur. Curiosor. Decur. II. Ann. X. Obs. CLX. Forestus lib. XXIV. Obs. XXI. & seqq. Exc. D. D. Stein Consiliarius & Archiater Brandenburgo-Baruthinus Lithograph. curios. §. XXIX.

12. Hospi-

12. Hoſpitium porro in renibus quærunt & inveniunt *Vermes*, non ex cibo aut chylo corrupto, ſed ſeminio potius verminoſo cum alimentis vel potulentis oblato ibidem animato pronati, vid. Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. I. Anni III. Obſ. CCLXI. Sennert. Medicin. Practic. Lib. III. Part. VII. Sect. I. cap. VII. Mœbius Fundam. Medicinæ Phyſiolog. cap. XVII. p. 441. & ſeq.

13. Nec intactus relinquendus eſt *Renum ſcirrhus*, confirmatus peculiari obſervatione ab Excellentiſſ. P. J. Hartmanno Miſcell. Nat. Curioſor. Decur. II. Ann. V. Obſ. LXX. confer. Ejusd. Decur. Ann. VIII. Obſ. CLIII. Sane enim cùm renes glandulis ſtipatæ ſint quamplurimis, hasce verò ſeri particulæ chyloſæ glutinoſæ mediante acido in coagulum tenax concretæ infarcire omninò poterint, ecquis ſcirrhum renum tanquam non ens cavillari auſit?

14. *Vulnera Renibus* etiam obtingunt, quæ per dolorem ad inguina teſticulosque deſcendentem, urinam difficulter reddendam, eamque aut cruentam, aut cum cruore ferri ſolitam veluti ſigna ſeſe prodentia juxta juxta C. Celſum lib. V. de re Med. c. XXVI. plerumque lethalia cenſentur, conſentiente Avicenna lib. IV. Canon. Fen. IV. Tract. I. c. 2. eò quod renibus læſis iſchuria ſuperveniens, & laticis urinoſi ad cavum abdominis rejectio, necem inevitabilem minetur, vulnera talia ob affluxum ſeri urinarii ſalſi difficillime conſolidari queant, & vaſis emulgentibus amplioribus læſis ſanguinis nimia profuſio eveniat; quod ſi tamen leviora eadem fuerint, nec etiam ſubſtantiam renum altius penetraverint, curationem quandoque recipere concedimus aſſerentibus, Melchiori Sebizio Examin. vulnerum partium diſſimilarum Part. III §. 137. Bernhard. Svevo Tr. de inſpectione Vulnerum cap. XIV. confer. Welſch.

in

in Rational. Vulner. judicio cap. XII. Bohnio de Renunciatione vulner. cap. IV. p. 384. & seq.

15. Sed & *ulcera renibus* infensa notantur, *solutione continui purulenta*, aut ab alimentis aut medicamentis acribus, aut humoribus similibus, item virulentis venereis, illuc transmissis vel ibi collectis, aut à vasculis sanguiferis læsis erosisve, aut sabulo calculoque asperiori & inæquali, aut rupto abscessu, ibidem facta; ex dolore ac gravitate in lumborum regione, pure minus fœtente urinæ mixto egrediente, & malo adaucto abrasionibus rubris veluti carunculis in urina subsidentibus discernenda, vid. Hieronym. Vigierii Chirurg. lib. III. cap. LIX.: qualia quidem ob renum perpetuam humiditatem, & à sero excrementitio salino evenientem quasi elutriationem, in senili præcipue corpore, aut difficulter aut rarò admodum consolidantur, leg. Historia pathologica de rene exulcerato ad B. Parentem meum à Joh. Lechelio Brunsvicensium Medico quondam celeberrimo perscripta, Theoph. Bonet. Polyalth. Tom. II. lib. IV. in Not. ad cap. LX. p. 1065.; nihilominus si recentia fuerint, in corpore vegeto juvenili, vel virili robusto, medelam nonnunquam admittunt, uti constat ex Miscell. Natur. Curios. Decur. II. Anni III. Observ. CXXXIX., Ejusd. Decur. Anni VI. Obs. XLIV. Cl. Paullini in appendice p. 52., Foresto in Scholiis ad Observ. XXXVII. lib. XXIV.

16. Inter *Symptomata Renum* frequens notatur *dolor*, à causis variis fibrillis membranaceo-nerveis solutionem continui intentantibus, scil. inflammatione, vulnere, ulcere, abscessu, erosione, lapsu, contusione, calculo, vermibus, sed & pure aliunde transmisso & glandulas fistulasque renales transeunte introductus, sic

antehac Illuſtriſſimo cuidam S. R. I. Comiti poſt pleuritidem empyico facto, pus renibus cum ſanguine transmiſſum ſub tranſitu acerrimum renum dolorem peperiſſe etiamnum recordor, ſanitati, Divinâ gratiâ curationi adminiculante, tamen reſtituto, nuncque pancratice valenti.

17. Præterea *Renum actio ſeri urinarii ſecretoria* nimium intenditur & augetur in *diabete* vel *lienteria nephritica*, eademque vel *notha* ac *ſpuriâ*, quando urina pinguis ſeu oleaginoſa cum æſtu febrili & colliquativa corporis contabeſcentia copiosè nimis profunditur, ob diatheſin ſanguinis, nec non intemperiem renum, acriorem alcalicam colliquativam, chyloſas ac balſamicas portiones in liquamen ſeroſum fundentem; vel *vera*, quando potulenta, eadem qua ſuſcepta erant intra corpus forma, ubertim rurſus egeruntur, (uti Bartholinus quempiam vinum Rhenanum epotum immutatum mingentem, & Benedictus Sylvaticus alium vinum rubrum eo colore & odore, quo fuerat hauſtum, per urethram refundentem memoravit) propter liquoris gaſtrici deficientem activitatem, aut meatuum pororumque in ventriculo & inteſtinis renibusque nimiam laxitatem & ἀτονίαν, aut fortean viarum, etſi nondum ſatis perſpectarum, à ventriculo ad renes exporrectarum extraordinariam apertionem, ſicuti è recentioribus Cl. Vieuſſens peculiares ſtatuit tubulos ſecretorios lymphatico-nerveos, iisdemque mediantibus acidularum portionem, quæ ad inteſtina tenuia defluit, cito ad renes ferri contendit, vid. novum vaſor. corporis humani ſyſtema p. 25.

18. Eadem *actio* quoque *imminuitur* ac nunquam *aboletur* in *iſchuriâ renum* ac *ureterum culpa* eveniente, & qui-

& quidem vel à *nimiâ ſanguinis copiâ* vaſa renum emulgentia plus ſolito dilatante, fibras glandulasque tubulatas renales urinæ ſecernendæ & excipiendæ deſtinatas comprimente, vel à renum *inflammatione* eodem modo nocente, vel à *muco viſcoſo pituitoſo* aut *tartareo-ſalino* meatus renales oppilante, vel à *calculo*, dolorifica ſua punctura aut diſtenſione aut preſſione ſpasmodicam fibrarum renalium tubulatarum conſtrictionem inferente, itemque pelvim & hinc exporrectos canaliculos membranaceo-nerveos obturante, aut talem etiam extrinſeca frigoris incauta admiſſione pariente, vel denique; ab *ureteribus* anguſtatis, ſpasmodicè contractis, à calculo occluſis, aut ſanguine grumoſo, aut muco viſcido, aut cruſtâ tartareo-ſalina, nec non lapillis oppletis, aut à tumore quovis compreſſis, Vid. Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. I. Anni II. Obſerv. XXIII. Ejusd. Decur. Ann. III. Obſerv. XXXIX. Laz. River. Centur. I. Obſerv. I. Amat. Luſitan. Centur. VI. Curat. XII. Höchſtetter. Obſerv. Decad. V. Caſu X. G. F. Hildanus Centur. IV. Obſerv. LII. Centur. V. Obſerv. LIX. Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. II. Ann. III. Obſerv. CLXXXV. Decur. I. Ann. II. Obſerv. XXIII. & Anni IX. ac X. Obſerv. CLXXIX. Bened. Sylvaticus Centur. III. Conſ. XLV. Panarol. Pentec. X. Obſ. XL. Fr de le Boë Sylvius Prax. Med. lib. I. c. LVI.

19. *Depravatur* denique *actio ſecretoria*, in *mixtione cruenta renali*, aut à calculo diſtendendo, pungendo, lacerando, aut à vermibus rodendo, aut à vaſculorum ſanguiferorum ibidem diverſimode, uti jamdum expoſuimus, facta anaſtomoſi, diapedeſi, diæreſi ac diabroſi, cumprimis à cantharidibus aliisque acrioribus aſſumtis, aut fortuito

violentorum externorum ſub ictu lapſu contuſione occurſu, ponderis gravioris elevatione, aliisque cauſis continui unitatem in renibus lædentibus, ſanguiniſque alienam ad effluxum per ureteres viam pandentibus, proveniens, quandoque etiam à ſanguine extravaſato aliunde eo transmiſſo oriunda, vid. Miſcell. Nat. Curioſor. Decur. I. Ann. III. Obſ. CCCIX. Decur. II. Ann. VIII. Obſ. CXXI. Decur. II. Ann. VI. Schol. ad Obſ. CCI. G. F. Hildanus Cent. II. Obſ. XI. Braſſavol. in Comment. ad Hippocr. Sect. IV. Aph. LVII. Foreſt. lib. XXIV. Obſ. VI. & ſeq. usque ad Obſ. XIV. Matth. Moronus in directorio Medico-Practico ſub titulo ſanguinis mictus pag. 392. & ſeq.; dein in *mictione purulenta* pure ex abſceſſu aut ulcere in renibus producto, aut aliunde transmiſſo, vid. §. anteced. 15. & 16. Miſc. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. VI. & VII. Obſ. XXXIX. Decur. II. Ann. VI. Obſ. C. Ejusd. Decur. Ann. IX. Obſ. CX.; in *mictione pultacea*, à chyli portionibus crudis indigeſtis acore ſcorbutico infectis emanans, vid. Drawiz. de Scorbuto cap. IX. Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. I. Obſ. LXXXIX. addit. ſchol.; in *mictione pediculari*, de quâ vid. Miſcell Nat. Curioſor. Decur. II. Ann. VII. Append. Cl Paullini Dec. I. Obſ. III. p. 130. & ſeq.; in *mictione verminoſa* vid. Miſc. Nat. Curioſ. Dec. III. Ann. III. Obſ. CXVII.; in *mictione pilari ſive Trichiaſi* nempe urinæ filamentis mucoſis piliformibus ſcatentis excretione, à portionibus chyli ſalinis volatilibus oleoſis, viſcidis, ac quaſi bituminoſis cum latice aquoſo intra renum tubulos coagulatis, & in pilorum ſpeciem concretis; cujusmodi affectum bis mihi hîc obſervari licuit, primo quidem in puero calculo veſicæ gemino cruciatim ſibi incumbente miſerrime afflicto & mortuo, à B. Parente meo diſ-

ſecto

ſecto, deinde in ſtudioſo pauperculo pane atrato ex jure heſterno comeſto latrantem ſtomachum ſopire coacto, conf. Miſc. Nat. Curioſ. Dec. I. Ann. IV. & V. Obſ. CXLVIII. p. 179. Decur. III. Ann. V. & VI. Obſ. CCXIV.

20. *Qualitates habitudini naturali adverſas circa renes* demum discernere licet, quando iidem rubri reſplendeſcentes, interdum obſcuri & ſubnigri, pallidi, ſubalbidi, duri, denſi, aridi, laxi, molles, fragiles ac putridi ſub obtutum Anatomicorum venerunt, vid. Schenckius Obſ. Medicinal. l. III. de Renibus. Obſ. CLXXVII.

21. *Ureteres* renum morbos ſæpius per ſympathiam ſibi adſciſcunt, ſpeciatim tamen *anguſtiam* præternaturalem, vel à calculo, muco viſcido tenaci glutinoſo, ut & ſanguine grumoſo *obſtructionem*, vel à materia tartareo ſalina fæculenta interioris ſuperficiei *incruſtationem* ut & ſpasmodicam conſtrictionem ac compreſſionem juxta §. 18., vel immodicam *dilatationem & amplitudinem*, à calculo inhærente & urinæ progreſſu intercepto, propriam quandoque experiuntur.

22. *Veſica urinaria* ab iisdem, quas in §. 4. recenſuimus cauſis *inflammationem* etiam contrahit; *auctam* etiam *magnitudinem* ab eadem aliisque tumoribus, vel urinæ copioſioris collectæ, vid. Smetii Miſcell. Medic. lib. X. p. 529., aut muci detenti prohibita excretione, nec non violenta perpeſſa *contuſione* acquirit; quo etiam ſpectat *veſicæ dilatatio* deſcripta à Panarolo Pentecoſt. I. Obſerv. XXVII.; *imminutam eandem* aliquando *nativam* habet, aliquando ab in- & ac-

cumbentium viſcerum pondere ac intumeſcentia compreſſoria adipiſcitur.

23. Inteſtini *recti dilatationem* & quaſi *appendicem veſicæ æmulam* in Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. I. Anni II. Obſ. XXII., quinimò *nullam* prorſus adfuiſſe *veſicam*, Binninger. Centur. II. Obſerv. XXXIV. & Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. II. Anni VII. Obſ. CXLI. teſtantur; *veſicam* in *corpus carneo-ſpongioſum* mutatam *extra abdomen poſitam* figura Decur. ejusd. Anni V. Obſerv. XLIII. appoſita monſtrat; *eandem* cum utero prolapſo mutata ſede *procubuiſſe*, nec tamen ruptis ſed ſaltem laxatis vinculis, Celeb. Peyerus Anatomicus & Medicus Scaphuſianus excellentiſſimus Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. II. Ann. I. Obſ. LXXXIV. confirmat.

24. *Calculus veſicæ* vel intra renes primordia ſua nactus ac per ureteres transmiſſus, vel intra illam ipſam ex eadem, quâ renalis proſapiam ducit, materiâ genitus, modo intra veſicam *fluctuans*, modo eidem *adnatus* & *immobilis*, ex annotatione Tulpii Obſervat. Medic. l. III. c. V., vel intra frequentem ibidem mucum *abſconditus* ex ejusd. Obſervatione l. c. cap. II., variæ ſubſtantiæ, formæ, figuræ & magnitudinis ſubinde obvenit, uti legere eſt apud Schenckium lib. III. de Veſica urinaria Obſ. CCLXVIII. Miſc. Natur. Curioſ. Decur. II. Ann. VI. Obſerv. LXXV. & Schol. addit. Decur. I. Ann. VIII. Obſ. XI. Decur. II. Ann. V. Obſ. CCXXXI. Ann. VII. Obſ. L.

25. *Vermes intra veſicam* latitabulum quærere, ex Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. IX. & X. Obſerv. CXIII. Schenck. lib. III. de Veſica urinariâ Obſerv. CCXCIII. & ſeq. patet.

26. In-

26. Infensa porro *vesicæ* est *scabies* ex pruritu in pectine, urinæ gravi odori, & furfuraceo sedimento ad fundum vesicæ secedente, dignoscenda juxta Hippocr. Sect. IV. Aph. LXXVII., à sero acri salso intimum villosum ejusdem tegmen cum tunicæ nervosæ superficie arrodente inducta, à quo etiam adaucta sui acrimonia *ulcera* ac *fistulæ* ingenerari solent, nonnunquam *inflammationi* minus dextrè curatæ aut *calculo* & *excoriationi prævia* supervenientia, medelam nisi in cervice fuerint difficulter capientia: leg. Misc. Nat. Curios. Decur. I. Ann. I. Obs. XVI. Ann. IX. & X. Obs. LXIII. Bonet. sepulchret. lib III. Sect. XXVIII. Obs. XXV. ut & Autores plures allegati à Morono in directorio Medico-Practico p. m. 463.

27. *Vulnera vesicæ* Hippocrates noster Sect. VI. Aph. 18. lethalibus accenset, ubi tamen Doctores inter vulnera collo & fundo illius inflicta distingvunt, & priora quidem sanabilia esse, ob intertextam crassiorem carnosam substantiam, vulgatæ sectionis pro calculi vesicæ extractione feliciter administrari solitæ exemplo evinci posse ajunt, posteriora autem insanabilia esse contendunt, tum quod ob substantiam maximam partem ibi saltem membranaceam dolor exquisitus, uberior humorum affluxus, inflammatio, febris continua, lipothymia, & convulsiones mox superveniant, ac urina effu a cavitatem abdominis cum putredinali labe inundet, nec medicamenta decenter ac commode admoveri possint; nihilominus præter observationes à Fallopio, Platero, Bauhino & Riverio à Bohnio in l. de Renunciatione Vulnerum p. 388 citatas, celeberrimus idem Vir propriâ consolidationem talium factam demonstrat,

atque

atque ſapientiſſime monet, nec cervicis vulnera ſemper adeo ſalutaris eventus eſſe, ſed frequenter ex his quoque perire percuſſos, ſi annotante Foreſto lib. VI. Obſerv. Chirurg. V. in Schol. contundatur ac valde laceretur illa ſub extractione calculi majoris, aut potius per hypogaſtrium ſubintret inſtrumentum collum lædens, adeoque ſanguis æquè ex vaſis colli diſciſſis, ac ex ipſa veſica urina emanans ad cavum abdominis confluat, nec vulneri interno medela adæquata fieri queat. Conf. Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. I. Ann. IX. & X. Obſ. LXXV.

28. Succumbit adhæc *veſica* æquè ac Renes *dolori* à cauſis hinc inde jamdum allatis ſolutionem continui fibrillis illius membranaceo-nerveis intentantibus.

29. *Actio veſicæ retentrix* læditur in *urinæ incontinentiâ*, nunc *culpâ ſphincteris*, ob ſpirituum animalium ſub paralyſi, vertebrarum lumbalium luxatione, ſyncope graviori, terrore, ebrietate nimiâ, ſuſcepto externo aëris vel aquæ frigore, appropinquante mortis agone, denegatum, interruptum, aut prorſus ceſſantem ad eundem motum & influxum, aut ſeri tenuis aquoſi illuc depoſiti copiam, aut topicorum humectantium abuſum *relaxati*, aut ſub partu difficili *dilacerati*, aut ſub ſectione cervicis veſicæ pro calculi extractione *diſſecti*; nunc *culpâ* ipſius *veſicæ*, aut à fœtus, aut incumbentis tumoris pondere, aut inteſtini recti fæcibus flatibusque repletione, aut muſculorum abdominis rectorum & pyramidalium ſpasmodica intumeſcentia, depreſſæ ac coarctatæ, aut ab urinæ collectæ copia aut acrimonia ad involuntariam fibrarum motricium, *muſculum urinæ de-*

pulſorem

pulſorem quaſi efformantium, contractionem, ſphincterisque hinc obtingentem divulſionem, irritatæ & laceſſitæ.

30. *Actio veſicæ expultrix adaugetur* in *diabete*, *imminuitur* & *aboletur* in *iſchuria*: vel *vitio veſicæ* poſt nimiam fibrarum expanſionem non ſe promte contrahentis, vel ejusdem cervicis cum muſculo ſphincktere aut inflammatæ, aut paralyſi affectæ, aut à calculo inhærente, aut muco viſcido collecto, aut à ſanguine in grumum concreto obturatæ; vel *vitio urethræ* à calculo incluſo aut carunculis obſtructæ, aut à curationis prægreſſæ errore occluſæ, (uti ego anno ſuperioris ſeculi ſeptuageſimo ſecundo Patavii in Noſocomio ad D. Franciſcum majorem militem vidi ex Turcicâ captivitate reducem, cui ob infeliciter curatum à gonorrhœa inductum ulcus urethra coaluerat, urinâ per ulcus fiſtuloſum ſub medio penis inferius erumpente,) aut à primo ortu in extremitate imperviæ: *depravatur* in *dyſuriâ*, à ſanguine ſulphureo-ſalino acriori inflammatorio, à pure acri illuc aliunde effuſo vel ibi circa ſphincterem aut urethram genito, urina acri acida, acido-ſalſa, humore proſtatarum glanduloſorum vel ſemine virulento, calculo, ſabulo, arenulis tartareo-fæculentis ſcorbuticis, portionibus chyli crudis acido-viſcoſis excitata; item in *ſtranguriâ* ab iisdem ferme cauſis profecta, tum & in *mictione cruentâ*, à cauſis, quas in §. XIX. antecedente jamdum exhibuimus, ſano ſenſu huc applicandis inſequente, ubi tamen etiam monendum, *mictionem cruentam* peculiarem induci à venæ hæmorrhoidalis externæ ramo intra veſicam dehiſcente, de quâ vid. Höchſtetteri Obſervat. Med. Decad. I. Schol. ad Caſ. II. p. 8. ut & D. D. Neſteri Archiatri Brandenburgico-

gico-Baruthini quondam ſolertiſſimi Obſervationem II. promtuario Mater. Medicæ Macaſii ſubnexam, & in Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. I. Ann. VIII. pag. 42. legendam, cujus oculatum teſtem me profiteri poſſum, cum urinæ talis cruentæ Baruthi Anno Seculi proxime elapſi ſeptuageſimo quinto medio menſis Junii conſpiciendæ copia mihi in aulâ tunc verſanti data fuerit.

31. Singularis prorſus eſt obſervatio à Panarolo Pentecoſt. V. numero VI. conſignata, de quadam moniali nobili diu doloribus nephriticis vexata, quæ tandem expulit per urinarios meatus lapides, figura, ſubſtantia & colore abſolute carbones repræſentantes, an igitur in renibus fortaſſe Vulcani antrum adfuit? aut potius Æthna furens è ſuo gurgite carbones evomuit? an potius cum Illuſtri Academiæ noſtræ Leopoldino-Imperialis Naturæ Curioſorum Præſide D. D. Schröckio in Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. II. Obſ. XIII. ſtatuendum, lapides iſtos non calculos, ſed ipſos carbones, errore aliquo fortuito devoratos, & in veſicam detruſos fuiſſe veroſimilius videri, in eâ enim ſententia offendimus etiam fuiſſe Guil. Fabric. Hildan. Centur. V. Obſ. LI. qui viſos à matrona Bernenſi cum urina excretos carbones, neutiquam in corpore genitos, ſed cum juſculis & pane ipſo potius devoratos cenſuit, præſertim cum ab eadem etiam ſemen aniſi poſt paſtum quotidie comedi ſolitum ſimili modo rejectum conſpexiſſet.

32. Memorabilem porrò hiſtoriam nobis ſuggerit Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. X. Obſ. CXIII. de quodam patre Collegii Jeſuitarum Monſpelienſium, conſtitutionis atrabiliariæ, ſedentariam agente vitam, inſigni dolore & diſtenſione hypogaſtrii ſiniſtri divexato,

to, cùm ad urinæ excretionem à naturâ ſollicitaretur, qui ſcil. non prius urinam libere mingere poterat, quam virga virilis inſtar uberum vaccarum emulgeretur illaque rigidior redderetur; cujus quidem phænomeni cauſa poſt mortem demum revelata eſt, quando in cadavere diſſecto circa collum veſica, carne veluti glanduloſa incraſſata, ſubſtantia ſcilicet ubera brutorum albicantia glanduloſa referente, ad urethram usque expanſa hujusque principium obducente, urinæ remoram objeciſſe viſa eſt.

33. Ceterum nec *urethra*, canalis à cervice exporrectus urinæ emiſſioni in utroque ſexu ſubſerviens, à morbidis affictionibus immunis habetur, nam præterquam quod in nonnullis *à nativitate eadem imperforata* ac velamento membranaceo vel excreſcentia carnoſa clauſa obſervata ſit, *carcinomatis ſordidi* mentionem facit Tulpius lib. IV. Obſ. c. XXXVIII. quod urethram occupaverat, ex quo Mercator Brabantinus poſt exſectum in pueritia calculum, nunquam deinceps lotium per colem, ſed per anum reddiderat, relicto ibidem loci hiatu non minus in anum quam veſicam pervio, per quem annis plus minus decem intolerabili doloris cruciatu urina profluxerat. Alias verò à ſeri acrioris ſalſuginei aut ſabuli calculoſi & ſcorbutici, aut ſeminis virulenti tranſitu *urethra eroditur* ac exulceratur, à *calculo infixo obturatur*, quem mediante ſectione in *Viris* auferre nonnunquam durum neceſſitatis telum nos cogit, cum in *feminis* idem brevior promtiorem ad extractionem calculi dilatationem admittat, uti patet ex Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. X. Obſerv. LXXVIII; nec minus à *carunculis*, & *verrucis carnoſisq; ſimilibus excreſcentiis* obſidetur; ſed & ab ipſo *ortu anguſtior* plus juſto formata inter-

interdum occurrit, ope sectionis dilatanda, si fides Zacuto III. Prax. admirandæ LXXI. citato à Boneto Polyalth. Tom. II. p. 1074. cui tamen anteferenda merito esset *dilatatio* mediante inflatione tentanda ad exemplum Ægyptiorum, uti tradit Prosper Alpinus de Medicina Ægyptiorum lib. III. c. XIV. p. 104.

34. Plura addenda supereſſent, nisi paginarum angustia finem me imponere juberet; pauciſſimis ergò tantum de *renibus succenturiatis* recensuisse sufficiat, Miscell. Natur. Curios. Decur. I. Anni I. Obs. LVII. *alterum* eorum monstrosæ *magnitudinis*, cum *ulcere sinuoso* post inciſionem libras xij. aquæ rubræ fundentem, & in Theophili Boneti Anat. Practic. lib. III. Sect. XXIV. Observ. VI. th. 7. p. 1063. *ulcere cancroso* correptum legi, Decur. I. Anni II. Obſervat. LXVIII. *dextrum* cum rene proximo flaccido & minori *plane obliteratum*, *sinistrum majusculum*, notatum esse, in *scirrhos* denique utrumque versum, nec poros nec vasa conspicua obtinuisse, cum colore ex obscuro nigricante Bonetum citatum lib II. Sect. I. Obs. LXXIII. p. 412. consignâsse.

SPECIMEN VIII.

§. I.

COntemplati ſumus hucusque *partes imi ventris individui conſervationi aliàs dicatas, in ſtatu præternaturali* conſtitutas, nunc oculos noſtros transferemus ad *ſpeciei propagationi deſtinatas, in eodem ſtatu* poſitas. Ubi quidem primum nos advertit Obſervatio Miſcellan. Natur. Curioſor. Decur. II. Ann. IV. CLXXII. ab Excellentiſs. Dn. D. Bſcherero Phyſico Noribergenſe celebratiſſimo, Fautore & Collega noſtro honoratiſſimo prolata, de milite ob λειποταξίας crimen triſti morte mulctato, in quo ſub demonſtratione Anatomica viſa eſt *arteria ſpermatica ſiniſtra* ex trunco aortæ deſcendente enata, ſupra *arteriam & venam emulgentem vicinam* ductu hemiſphærico prius *reflexa*, tum demum verſus teſtes & incumbentia hiſce corpora viam iniiſſe, quem *circuitum* tamen potius *extraordinarium* quàm *præternaturalem* quis appellaverit, cùm nulla inde actionis læſio ſubſecuta fuerit, nec miles in vita aut ignavus aut inermis ad veneris etiam caſtra acceſſerit; Illi mox ſubjungimus aliam, in virgine quadam duos circiter & viginti annos nata, à ſolertiſſimo Th. Kerckringio habitam, ubi quatuor arterias ſpermaticas, dexterarum ab emulgente unam, alteram ex arteria magna enatam, ſiniſtras verò ambas ab emulgente propagatas, & antequam ſe inſinuarent utrinque ovario in corpus pyramidale collectas, nullis comparentibus venis ſociis, diſſectio revelaverat, atque aperte monſtraverat, nusquam hærere omniparentem illam matrem, aliam ſibi reditus viam aut facientem aut invenientem, vid. Spicileg. Anatomic. Ob-

ſervat. XXXII. cujus etiam luſui accenſeri meretur, quod ex Riolani Anthropographia refert Rolfincius in ordine & methodo generationi dicatarum partium Part. I. c. XIX., ab illo viſos tres ramos, à vena ſpermatica ſiniſtra juxta ejus originem enatos, in ſpinalem medullam terminatos oblongiuſculos; etiamſi male inde conjecerit Riolanus, non abſurdam eſſe Hippocratis ſententiam, videlicet materiam ſpermaticam à cerebro per ſpinalem medullam ad teſtes defluere, alioquin autem rectius idem docuerit, quando anthropograph. Libr. II. c. XXV. ſcripſit, in quibus *deficiunt arteriæ ſpermaticæ* ſteriles ſibi obſervatos, licet genitalia habuerint probe efformata. Arteriarum deficientium loco in utroque latere duas venas vidit Pavius, teſte Barthol. in Anatom. reform.

2. In Studioſo viginti quatuor annorum, ante aliquot annos hæmorrhoidum fluxum perpeſſo, poſtea in latere ſiniſtro *in vaſis ſpermaticis*, ubi ex peritonæi proceſſu in ſcrotum inſeruntur, *tumorem varicoſum* notavit Exc. D. D. Wedelius in Miſc. Nat. Curioſ. Decur. I. Anni II. Obſ. CXXXI.

3. *Vaſa ſpermatica dextri lateris* in Viro globulo ſclopeti minimo fortuito disrupta, ſanguine extravaſato ad ſcrotum effuſo, ibidemque putrefacto, necem intuliſſe antehac obſervavimus.

4. Poſt vaſa ſpermatica virilitatis teſtes accedimus *Teſtes, à morbida ſorte* variâ haud exceptos, ſiquidem à *fluidorum* affluentium *dyscraſia intemperiem* intra *tunicas* & *ſubſtantiam* ſuam vaſculoſo-glanduloſam experiuntur *diverſam*, cumprimis *calidam* à ſanguinis ſulphureo-ſalini fervidioris influxu & turgeſcentia oriundam, nonnunquam etiam *frigidam*, ſeroſæ colluviei illuc depoſitæ, aut ſanguinis minus ſpirituoſi ſegnitiei, aut extrinſe-

trinsecus per aerem, aquam aut glaciem admissæ nimiæ refrigerationi imputandam, ita ut testetur Salmuth Centur. III. Obs. XCI. ex militibus se cognovisse, dum per fluvios ducti fuerunt genitalibus aqua frigida contactis, effæminatiores esse redditos.

5. *Figura testium*, tutelæ & viciniæ causa *ovalis*, propter tumores, vel excrescentias supervenientes ac ulcera vitiatur, quin & ob vasa propinqua vel interna, magis vel minus turgentia, in aliam formam mutari potest, uti hoc cum aliis Autoribus pluribus in morbis venereis aliisque observare potuit Regner. de Gräff in Tractat. I. de virorum organis generationi inservientibus p. m. 14.

6. Nec minus eorundem *superficies glabra & æqualis* tunc vitiari solet, ceteroquin à tubulis ipsis interioribus interpositisque glandulis, nec non membranis exterioribus malam conformationem nactis morbidæ circumscriptioni obnoxia.

7. *Magnitudo testium naturalis*, quæ circiter in viris instar exigui ovi gallinacei, vel majoris columbini esse censetur, adeo generatim equidem determinari nequit, utpote sæpius tùm pro corporis proceritate, tum veneris usu, vitæque genere aliisque causis concurrentibus varians, sicubi tamen molestiam aliquam aut sub ingressu, aut sessione, aut equitatione pepererit, aut brutorum majorum amplitudini par fuerit, non immerito pro *morbosa* aut ad minimum *extraordinaria* habenda erit, sicuti Petrus Laurembergius in Colleg. Anatomic. Exercit. VIII. §. X. 1. recte idcirco statuit oportuisse eum pensilibus probe peculiatum fuisse, cujus colei pependere dupondium, teste Satyrico ita jocante:

Ergo exspectatos & jussos crescere primum
Testiculos, postquam cœperunt esse bilibres.

Similiter Fel. Platerus Obſervat. lib. I. p. m. 6. de homine corpore adeo obeſo & vaſto, ut vixdum pedes progredi & incedere poſſet, memorat, teſtes ipſum admodum magnos & ponderoſos habuiſſe, capitis amplitudinem adæquantes, quos proin faſcia involutos, colloque appenſos geſtare cogebatur. Nec minus Laz. Riverius in Obſervationibus à D. Petro Paſcequo communicatis numero XLIV. de quopiam refert, teſticulis adeo magnis à natura dotato, ut multo intervallo ſuperarent magnitudinem teſticulorum equi. Inſuper Celeberrimus Hartmannus Miſc. Nat. Cur. Dec. II. Ann. X. Obſ. CLVI. teſticulum ex contuſione ad magnitudinem capitis excreſcentem cum peculiari oſcheo-didymo-hydro-ſarco-cele & Illuſtr Dn D. Franck de Franckenau, teſticulum ſcirrhoſum, magnitudine vix ovo ſtruthionis cedentem M. N. C. Dec. III. Ann. I. Obſ. CXXII., deſcribunt.

8. Viceverſa *teſtium magnitudo imminuta* etiam cum generationis læſione p. n. deprehenditur, ſive à primo ortu, ſive à violentâ compreſſione, aut aliis de cauſis ſubnata atrophia, aut medicamentorum ſeminis turgeſcentiam reſtinguentium incauto abuſu, aut omnimoda rei venereæ abſtinentia inſequatur, ſic ex fide Vidii de curat. membratim c. 2. novimus, monachum in agro Barcinonenſi teſtes quidem à nativitate habuiſſe magnitudine naturali, at progreſſu temporis, ob votum caſtitatis inviolabiliter ab eo multis annis obſervatum, fere contabuiſſe, vaſaq; ſpermatica ita exaruiſſe, ut cadavere poſt mortem aperto exſiccatorum nervorum ſeu potius durorum ligamentorū præ ſe tulerint imaginem.

9. Nec minus *incrementum præternaturale Teſtibus* accedit à variis *tumoribus*; hos vero inter mox nobis obvenit *inflammatio*, cum dolore lancinante & pulſante, vicinarum partium rubedine ac tenſione, febre, nonnunquam etiam delirio (uti in Studioſo quopiam heic deprehen-

prehendimus) ſtipata, à ſanguinis ſulphureo-ſalini acrioris & fervidioris impetuoſiori per arterias ſpermaticas affluxu, ac intercepto ibidem motu per venas reciproco, hincque eveniente extravaſatione, poſt prægreſſas varias cauſas procatarcticas, teſtium cumprimis concuſſionem, aut violentam agitationem, aut compreſſionem emergens, exempla vid. Miſcellaneor. Natur. Curioſor. Decur. I. Anni IX. & X. Obſ. CLVIII. Decur. II. Ann. VI. Obſ. XXXII. Paullini in appendic. Decur. II. Ann. X. Obſerv. III., *quam* diſcuſſis per medicamenta topica moleculis ſanguinis tenuioribus, & relicto craſſamento ſeroſo-lymphatico viſcoſiori promte coagulabili, vel tali ab ipſo ſanguine pituitoſo & tartareo-ſalino ſponte illuc depoſito, aliquando excipit *ſcirrhus* tumor durus prementi digito cedere renuens, confer. Plateri Obſervat. lib. III. p. 680., nunc cum hebeti doloris aliqualis ſenſu, nunc abſque eodem obtingens, denegata ſeminis prolifici generatione & diſtributione *ſterilitatem* pediſſequam habens. Huc etiam referri debet *Sarcocele, carnoſa teſtium hernia,* dura, ſenſim incrementum, ſine inguinis prævio tumore, ſumens, ab effuſis ſucci chyloſi nutricii per fibrillas tunicarum eosdem involventium nerveas ac carnoſas abruptas, divulſas, aut dilaceratas, gelatinoſis moleculis, in carnis ſpeciem concreſcentibus, reſultans, modò cum modò ſine dolore affligens, modò benignam modò malignam & cancroſam indolem induens, tùm & *hydrocele, hernia teſtium aquoſa,* ab effuſo inter tunicam nerveam & erythroidem vel ipſam teſtium ſubſtantiam ſero lymphatico, ejusdemque per vaſa lymphatica propria intercepto conſueto refluxu originem ſuam accipiens, ac per fluctuationis aliquam ſenſibilem perceptionem lucidamque pelluciditatem ſeſe prodens, nonnunquam à ruentibus deorſum per viam in pe-

ritonæo patefactum antea in abdominis cavo collectis aquis profiliens; nec non *pnevmatocele* sive *hernia flatuosa* ab incarceratis intra testium tunicas halituosis sanguinis & seri rorisq; nervei particulis assurgens, qualem legetis apud Martinum Rulandum Curationum empiricarum Centur. IX. Cur. LXXV.; porrò hîc obvenit *cirsocele* sive *hernia varicosa*, qualis proprie appellatur valvularum in venis spermaticis testium nodosa & inæqualis protuberantia, propter easdem nimium à sanguine crassiori tartareo-salino incumbente & tardius refluente relaxatas, & ordinariam suam contractionem obire ineptas, eveniens; nec indicta telinquenda erit *spermatocele* sive *hernia seminalis* à semine intra testium & epididymidum vasorumq; deferentium tubulos spirales ultra modum collecto illosq; plus æquo expandente obtingens.

10. Adhæc sub *testiculo sacculum crassum* sero limpido repletum Miscellan. Nat. Curios. Decur. II. Ann. VII. Obs. XI. considerandum nobis exhibet; testiculum à contusione *cartilagineum* relictum ad capitis magnitudinem sese extollentem Miscell. Natur. Curios. Decur. II. Ann. X. Observat. CLVI. proponit. Riverius in allegatâ superius observatione, ulcere post casum ab equo facto detersо, testiculorum frustula omninò lapidea decidisse siliceamque duritiem æmulata esse, & malleolo in multas partes, ut ceteri lapides, dissiliisse, subdidit.

11. In *numero deficiunt testes*, quando μονόρχεις vel ab ortu *unicum* tantum obtinent testem, id quod de Romanorum belli Ducibus Sylla & Cotta autore Ario Menandro proditum legitur, aut post vulgatam herniæ intestinalis sectionem itemque castrationem, eundem *solum* retinent, pro ægris tamen haud habendi, si, quod sæpius notavimus, nihilominus strenue veneri litare possint; sed & *excedunt*, dum τελόρχεις visi sunt, quales

les tamen à Rolfincio in ordine ac methodo generatini dicatarum partium Part. I. c. XI. p. 35. ſcite admodum pronunciantur vel *vere* vel *apparenter* tales, atque poſtremi rurſum duplices notantur, dum vel epididymis ita laxo nexu junĉta eſt cum teſtis corpore, ut teſtem mentiatur, vel plexus quidam vaſorum appareret teſtis æmulus, etenim Fallopius illos, quibus epididymis laxiori nexu jungitur, τελόεχες haberi cenſuit in Obſervationibus; antehac autem à Cœlio Rhodigino lib. XXIV. Lection. antiquar. cap. IV. relatum novimus, Bergami familiam Coleonum illuſtrem tres teſticulos quaſi familiæ ſuæ proprios oſtentare, plura exempla vid. apud Fernel. lib. I. de partium morbis & ſymptomatibus c. 8. Foreſt. lib. XXVII. Obſerv. XV. in ſcholio, Daniel. Sennertum Med. practicæ lib. III. part. IX. Sect. I. c. II., quin πένταρχον etiam quempiam memorat Miſc. Nat. Cur. Dec. III. Ann. V. & VI. Obſ. LXXXIX; in illis tamen morbum haud inculpaverit quiſpiam ullum, nulla hinc eveniente notabili actionum læſione.

12. *Situs teſtium* porrò à naturali norma nonnunquam recedere ſolet, ſiquidem modo eorundem *alter*, nempe dexter cutem inter & abdominis muſculos in inguine delituiſſe repertus eſt, ab Illuſtri Academiæ noſtræ Leopoldino-Imperialis Naturæ Curioſorum Præſide Dn. D. Schröckio Miſcellan. Natur. Curioſ. Decur. II. Anni II. Obſervat. XIV. vel à prima nativitate abdominis interiori cavo incluſus remanſit, uti annotavit Th. Bartholin. Hiſtoriar. Anatomic. rarior. Cent. I. hiſtor. XXXVI. modo *ambo* intra inguina abſconditi, monticulorum tamen inſtar prominentes, Chirurgis occaſionem dederunt, conjecturandi de herniâ utriuſque lateris, uti conſtat ex Mantiſſ. Obſervat. ſelectiorum Felic. Plateri XLVII., ubi tamen nec illud

reti-

reticendum erit, ejuscemodi teſticulos perruptis primitivis clauſtris aut effractis carceribus ad ſcrotum temporis demum ſucceſſu deſcendiſſe, quod confirmat obſervatio de tonſoris cujusdam filio octo menſium infante, cui alter teſticulus ſub ſpecie tumoris inguinalis & Medico & parenti imponens, ſeptem aut octo menſium ſpatio ſenſim in ſcrotum delapſus eſt; huc etiam facit Actor. Hafnienſ. Ann. 1671. & 1672. Obſ. CVI. D. Brechfeldii, qua refert xviij. annorum adoleſcentem, dum ex rhedâ fortius in terram proſiliret, ingentem in ſiniſtro inguine percepiſſe dolorem, parentesque tumore in inguine conſternatos herniam metuiſſe, ſe autem accerſitum, & quod μονόρχης ſit perſpiciente, ope linimentorum & cataplasmatum emollentium id effeciſſe, ut qui hactenus in foro teſtari non poterat, nunc boni teſtis officio fungi poſſet, conferatur Kerckring. Spicileg. Anatom. Obſ. XIII., ut proin ſapientiſſimum etiam fuerit conſilium Ambroſii Paræi de Tumoribus contra naturam particularibus lib. VII. cap. XVI., qui cùm in puero à Chirurgo imperito fruſtra & miſere veluti hernioſo curato, unicum ſaltem in ſcroto teſtem ſubeſſe animadvertiſſet, ac nunquam caſtratum puerum reſciviſſet, procul dehinc ab ipſo emplaſtra & ſubligacula removeri juſſit, parentibusque edixit, ut ipſum curſare & ſaltare permitterent, quò ociosè ceſſans promoveretur in ſcrotum teſticulus, eventu voto & ſpei conceptæ ſenſim & ſine dolore reſpondente, Similiter apud Martin. Ruland. Curat. Empiric. Cent. V. Cur. XCVII. duobus pueris alteri quidem XII. alteri XV. annorum, fratribus germanis, teſtes ſupra pubis oſſa imo ventre concluſos uſu balnei & unguenti in ſcrotum evocatos, & injecto ligamento aliquamdiu à retroceſſione detentos miraberis, nec tamen ex viarum

angu-

anguſtia exitus talis impoſſibilitatem concluſeris, quin potius in mentem revocaveris, quæ Th. Bartholinus de inſolitis partus viis ſub finem appoſuit verba: Multa certe fieri non poſſe judicantur, priusquam ſint facta; & in multis naturæ vis fide caret, in iisque occultis naturæ operibus non ratio ſemper quærenda ſubtilius, ſed cum admiratione ſpectandus effectus, fatendumque eſt multa in corporibus noſtris quotidie fieri, quorum vim naturamque perſpicere non poſſumus. Interea autem hîc ὡς ἐν παρόδῳ præpoſterum dignumque notari nobis in mentem venit à Riolano Enchirid. Anatomic. lib. II. cap. XXXV. prolatum judicium, ex illo teſtium ſitu, dum intra abdomen latitant, in divortiis viros declarari ſteriles, etiamſi validi, quia non ſunt naturali loco poſiti; quid enim obſtabit, quo minus in illis ſemen generari & per vaſa deferentia ad veſiculas transmitti poterit? Quid quod Bartholom. Cabrolius Obſ. 3. ſtupratorem plane inteſtatum produxerit, utpote cui tamen cellulas aliquas ſeminales natura conceſſerat. Conf. Paul. Zacch. Quæſt. Medico-legalium libr. IX. Tit. III. Quæſt. VI. §. 7. Conf. Gräff. Tr. de Viror. organis p. 6. & 9.

13. Ceterum teſtes ſcroto ab ortu equidem comprehenſi ſunt, propter ſpasmodicam tamen muſculorum cremaſterum vaſorumque; ſpermaticorum adſtrictionem etiam plus quam par eſt, ſurſum, verſus abdomen, retrahi ſolent. Etenim Salmuth. Obſervat. medicar. Centur. I. XIX. poſt abſceſſum renis dextri, inflammatione epatis ſuperveniente, dextrum teſticulum poſt aliquot dies intra inguen retractum, nec minus in puero ab alio calcibus circa teſticulum petito eundem ad pubem revulſum vidit; tum in alio ſiniſtrum una cum hernia inteſtinali repoſita intra abdomen revolu-

tum ejusd. Cent. Obſ. XCI. annotavit; & Centur. III. Obſerv. LXIII. retulit, ſibi aulam transeunti quendam conqueſtum eſſe de dolore tractivo, quaſi per filum, vaſorum ſpermaticorum teſticuli ſiniſtri, quem cùm ex immoderata venere obortum ipſemet putarat, neglexit, ſubſecuta mox teſticuli intra peritonæum retractione.

14. *Vulnera Teſtibus* inflicta, abſolute lethalibus equidem haud accenſenda, ſi tamen à globulis ſclopetorum evenerint, cum inſigni impetu adactis, propter dolorem exquiſitum, inflammationem, vigilias pertinaces, febremque acutam, inſequentes, tum & relictam eſcharam gangrænæ ulterius ſerpenti facile obnoxiam, periculoſis nihilominus annumeranda ſunt.

15. *Ulcera* in *Teſtibus*, à lue venerea vel inflammatione & contuſione prævia erumpentia, medelam etſi non abſque difficultate recipiunt, vid. Guil. Fabr. Hildanus Centur. IV. Obſ. LXXX., nec minus *abſceſſus* curati memorabile exemplum in Miſcell. Natur. Curioſor. Decur. II. Ann. IX. & X. Obſ. CLVIII. prolatum eſt; quin & *gangrænæ* curatæ exempla Mœbius in Fundament. Medicam. Phyſiologicis p. 499. & Foreſtus lib. XXVII. Obſ. Chirurgic. VI. propoſuerunt.

16. *Contuſio teſtibus* admodum infenſa deprehenditur, inflammationem, ſcirrhum, ſeminisque elaborationem læſam, ac gangrænam inferens.

17. Sub *caſtratione* denique & *vulgata* agyrtarum *herniotomiâ* teſtes reſcinduntur, hincque homines evadunt *Evnuchi*, à τὸ εὐνὴν ἔχειν à *cuſtodire* dominæ *lectum*, vel quaſi εὖ νῶν ἔχειν *bonam mentem* i. e. illecebris venereis non contaminatam *habere* denominati, quales etiam *Spadones* dici conſueverunt, ἀπὸ τῆς σπάνης, & violenta quaſi teſtium

teſtium evulſione, vid. Theophil. Boneti polyalthes Tom. II. p. 1151.; leguntur verò alii etiam denominati Thlibiæ ἀπὸ τῆς θλίψεως à contritione, quibus teſticuli contriti ſunt, item Thlaſiæ ἀπὸ τῆς θλάσεως à contuſione, qui teſticulos habent fractos & contuſos, veteres namque fiſſa ferula conprimebant teſticulos, & ita paulatim eosdem confringebant, idque optimum caſtrationis genus eſſe reputavit Mago apud Columellam l. VI. c. XXVI. allegatum à Mœb. Fund. Phyſiolog. p. 499., eò quod contritis tubulis ſeminalibus, & quoad ſitum ordinemque inverſis, ac proculdubio divulſis & dilaceratis, ſeminis ſecretionem & ad veſiculas ſeminales per ſolitas vias diſtributionem tali modo intercipi probabile ſit; ſicut ſi novelli teſtes frangantur, certo id eventurum philoſophus olim ſibi perſuaſerat, & Hippocrati in lib. de Genitura t. III. idem viſum erat, ita ſcribenti: οἱ δὲ εὐνοῦχοι διὰ ταῦτα οὐ λαγνεύουσιν, ὅτι σφέων ἡ ὁδὸς ἀμαλδύνεται τῆς γονῆς, evnuchi propterea non coëunt, quia genituræ tranſitus ipſis ſublatus eſt: nihilominus quia ſub iſto caſtrandi modo facile evenire poteſt, ut maneant aliquæ viarum integræ, & quos ſpadones pueros feminis cuſtodes adhibuiſſent, eos adultos poſtea cum illis in adulterio deprehenderint, ideo teſtibus deinde cœperunt mariti capere mox evnuchos, quo ſecurioribus ſibi eſſe liceret, eruditè annotante Lindeno Med. phyſiolog. Cap. VII. Articul. III. §. 40., imò Aſianorum barbaria cum neque ſic ſibi ſatis cautum experiretur, progreſſus fecit in crudelitate, & totius virilitatis amputatione ulta flagitium fuit, ut memorat Busbequius Epiſt. III. Interea num relicta & præſente nota virili evnuchi nihilominus poſſint cum feminis libidinari, ſi quis ex nobis reſciſcere vellet? affirmative reſpondendum foret,

ſi publicæ famæ fides relinquenda eſſet, hinc, allegante C. Hofmanno in Comment. ad Gal. lib. XIV. de V. P. 1034., at pol ego, inquit illa apud Afrum in Evnucho A. 4. h. 3., amatores audieram eſſe mulierum eos maximos, ſed nihil potuiſſe, & apud Philoſtratum lib. I. legitur bella hiſtoria Evnuchi cujusdam regii, in adulterio deprehenſi; ab influente ſiquidem intra corpora nervoſa ſanguine ſpiritibus turgido inflata corpora nervoſa haſtam virilem equidem erigunt, & uti Illuſtris Scaliger de Subtilit. CLXXV. 2. p. 342. ſcribit, evnuchis penis flatu urgetur, ſed ſine ſemine, hoc namque ipſis deficit, quicquid in contrarium ſtatuant Ariſtoteles & Albertus magnus, adeoque ſi quicquam humiditatis etiam excernant, ſeroſi humoris ex proſtatis aut veſiculis fortean etiam ſeminalibus portio tantum ſtatuenda erit, ad prolificationem inepta, unde ut eſt apud Scholiaſten Juvenal. Sat. VI. v. 364.

-- -- *Si quando ad prælia ventum eſt,*
Ecce quidem ſtipulis magnus ſine viribus ignis
Incaſſum furit, -- -- --

dum nihilominus cum Ariſtotele & Accorambono διαρρήδην Caſp. Hofmannnus in adducto ſuperius loco num. 1035. cenſuit, ejuscemodi mutilis non ſeminis emiſſionem, ſed ſpiritum, qui titillationem facit, voluptatem excitare, θηλύτερον quippe hanc veriſſimam eſſe ipſemet fando accepi à Perilluſtri quodam marito, ob ſcirrhum teſtium conſummatum nunquam vel tantillum ſeminis effundentem, in συνουσίᾳ conjugali nihilominus ex auræ cujusdam blanda exploſione delicias facientem.

18. Atque ſic perluſtrata *Teſtium* præternaturali diſpoſitione proximum eſt, ut, quid circa *Epidymides morboſi* obvenire ſolet, disquiramus. Præterquam igitur

tur quod *epididymides* laxiori nexu teſtibus incumbentes flexuoſo ſuo ductu, aut à ſeminis copia aut retardato progreſſu turgidiori reddito, ſingulari prominentiâ quandoque mentiantur *teſtem gemellum*; ſi intra illas *ſeminis* ad vaſa deferentia *iter* per obſtructionem, compreſſionem aut alias cauſas intercipiatur, denegata ejusdem ad veſiculas ulteriori dispenſatione ſterilitatem relinquunt, ex ſeminis inopia natam, ſicuti ipſis remanentibus ſalvis, absq; teſtibus etiam fœcunditatem ſubſecutam in Diſſ. Anatomico-phyſiologicis noſtris ad Hornii Microcoſmum annotatis p. 274. comprobavimus. Ceteroquin autem afflictis teſtibus neceſſe eſt propter continuitatem ac contiguitatem epidymides in conſenſum ac συμπάθειαν trahi, ut eapropter rarius *morboſorum pathematum* in epididymidibus viſorum ſeorſim fiat mentio.

19. *Veſiculæ ſeminales intemperiei* aliisque *morbis* æque ac teſtes à cauſis ſimilibus expoſitæ ſunt, *exulcerationi* verò ac *eroſioni* vel *laxitati* & *dilatationi nimiæ* unà cum *ductibus duobus ſeminalibus excretoriis* ſub *gonorrhœa* præcipue ſuccumbunt. *Induratæ & ſcirrhoſæ* eædem annotatæ deſcribuntur Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. II. Anni VI. Obſ. XXXIII. & *calculus* ibidem in fure repertus Decur. II. Anni VI. Obſ. LXVIII. proditur.

20. *Glandoſum* adhæc *corpus*, in quopiam involuntario ſeminis fluxu laborante, Patavii diſſecto, cum divideretur, non minus quam teſtes ipſos *ſemine* completum equidem tradit Veſalius lib. V. cap. XIII. de humani corporis fabricâ, ſed ex noſtra conjectura procul dubio corrupto magisque ſeroſo-mucaginoſo. *Idem* etiam in Federico Triviolo dispoſitorum equorum Mantuæ Magiſtro *lapidem infixum* continuit, ut propterea ſemen niſi paucum admodum aquoſumque po-

tuerit excernere, ſicuti teſtatur Marcellus Donatus lib. IV. de Medica hiſtoriâ mirabili cap. XXX., & in Johanne Maria Facino Medico Mantuano, Cornelium Manilium Chirurgum lapillum ibidem etiam inveniſſe puſillum, ſubdit.

21. *Ductus* bini *ſeminales excretorii* à veſiculis ad urethram proxime exporrecti, aut à *ſeminis* nimiâ *quantitate* plus ſolito expandi, aut ab ejusdem *tenuitate aquoſa* relaxari, aut ab *acrimonia* modo *ſcorbutica* modo virulenta *venereâ erodi* ſeſe patiuntur cum inevitabili involuntario *ſeminis ſtillicidio*: quemadmodum etiam *caruncula* oſtiis modo dictorum ductuum ſeminalium excretoriorum ſuſcipiendis & firmandis ac blande comprimendis alioquin deſtinata, ſi vel à cathetere, cui in veſicam deducendo facile ſe opponit, *disrupta*, vel acrioris excrementi fluxu *eroſa* fuerit, inemendabilem gonorrhœam accerſit, aliàs autem *ipſa* à transeuntis ſeminis *corruptela ſeptica* fibrillarum ſejunctionem indepta in *hyperſarcoſin* excreſcit, aut medicamentis aut ferro tollendam.

22, Ad *ſcrotum* nunc tantisper divertere lubet *variis* non minus *morbis* conflictatum; infenſum quippe eidem malum eſt *inflammatio* vel à teſtibus *communicata*, vel à cauſis propriis talem gignere ſolitis *ſeorſim genita*, cum notabili dolore rubore, ac febre, vid. Foreſt. Obſervat. lib. XXVII. Obſ. III.

23. Diverticulum etiam ibidem inveniunt *herniarum* diverſæ *ſpecies*, in antecedentibus à nobis recenſitæ; non poſſumus verò non hîc mentionem facere oſcheoceles horrendæ, quam poſt illam enormem in Miſcellan. Natur. Curioſor. Decur. II. Ann. VII. Obſerv. CCXLII. à nobis exhibitam, in Viro generoſa ſtirpe proſato notavimus, qui bubonocele primum affectus,

ſen-

ſenſim ſenſimque ex bracherii idonei neglecto uſu incrementum ſumente, demum ſub lapſu graviori nocturnis ſub tenebris procerioris corporis facto ſupino, maximam inteſtinorum molem in ſcrotum mox delabi ſenſit, ita quidem ut ſcrotum ultra genua diſtractum, venis ſanguiferis tumidiusculis innumeris obductum, abdominis amplitudinem æmulari viſum ſit, tanto cum pondere, ut eidem ope ſubligaculi à collo penduli ſublevando miſerrimus Vir vix par eſſe potuerit, ſed viribus paulatim dispereuntibus morti ceſſerit. Conf. Job. van Meckren Obſervat. Medico-chirurgic. poſthumar. cap. V. Fel. Plater. Obſervat. lib. III. p. 737.

24. *Tumorem ſcroti aquoſum* à bubonibus venereis per inunctionem retropulſis caput pueri æquantem ſiſtit Miſcell. Nat. Curioſor. Dec. I. Anni VIII. Obſ. LXVIII. *Tumorem flatuoſum* Job. van Meckren in Obſervat. poſthum. cap. IV. adducit, conf. ejusd. Obſervat. Medico-chirurgicarum cap. LI. Smetius Miſcellan. lib. X. p. m. 547.

25. *Vulnera ſcroti* parum periculi in receſſu per ſe habent, ut adeo pro hydropicorum illuc effuſo aut ſub hydrocele collecto ſero lymphatico ejusdem paracentheſis inſtitui ſoleat, de qua leg. Nicol. Tulpius Obſervat. Medicar. lib. II. c. XXXIX., Horſtius Operum Tom. II. lib. VIII. p. 435. & 439., Scultetus in Armamentario chirurgico, & alii chirurgi paſſim.

26. *Quin* & per *abſceſſus*, *vulnera* ac *ulcera* imo ſupervenientem etiam *gangrænam* abſumta notabili ſcroti portione ægros cum ſanitate in gratiam rediiſſe, Miſcellan. Natur. Curioſor. Decur. II. Ann. III. Obſervat. CXLVIII, Hildanus Obſerv. Cent. V. LXXVI, ac Bartholinus Hiſtor. Anatom. Centur. VI. LXIX. Stalpart.

van

van der Wiel Obſerv. rarior. Centur. I. Obſ. LXXXV. aliiqúe hîc citati Autores confirmant.

27. *Moleſtum* magis quàm *pernicioſum* malum habetur *Scroti* excoriatio & *intertrigo* aut ab attritu aut ſeri ſalſuginei decubitu emergens. Rarioribus deniqúe obtingentibus quis non immeritò annumeraverit, in quopiam hernia inteſtinali laborante poſt mortem in *ſcroti* fundo multum *pinguedinis* appoſitum, & ileon inteſtinum vaginali tunicæ plurimarum fibrarum interventu firmiter adnatum, à Regnero de Gräff de Virorum organis p. 16. viſum, tùm & *lapides* à G. F. Hildano Centur. VI. Obſerv. LVII. ibidem repertos.

28. Reliqvum nunc eſt, ut ad *Membri*, à quo *Viri* denominamur, *Pathologicam conſiderationem* demum transeamus. Ubi quidem primum id indicare nobis lubet, *pene* quosdam ab ortu deſtitutos in publicum hoc mundi theatrum prodiiſſe, quale exemplum Schenckius Obſervat. Medicar. lib. IV. de genitalibus maſculorum Obſ. IX. memorat; Virum item quadragenarium robuſto corpore ſine penis nota viventem, lotiumqúe ex pîla quadam fungoſa circa locum umbilici abſentis enatá, veluti per ſpongiam ſtillando reddentem, & pro lubitu veluti lac ex papillis exprimentem adducit Th. Bartholinus Hiſt. Anat. Cent. I. Hiſtor. LXVI. cui hiſtoriæ ſimilis extat Obſervat. Miſcell. Natur. Curioſorum Decur. II. Ann. V. XLIII. de corpore carnoſo loco penis extra abdomen propendente, cuticula & cute deſtituto, undiqúe madido, tactu ſpongioſo & tenellulo X. hebdomadas nato dolorifico, cum propendentibus à latere carunculis binis ejusdem ſubſtantiæ: ſic & Kerckringius Spicileg. Anatomic. Obſ. XII. pueri meminit trimuli, in quo nullis conſpiciendis teſticulis aut ſcroto, adfuit tantum virgæ cujus-

dam

dam imperforatæ exiguus tubus, & infra eum foramen quod caput majoris aciculæ magnitudine non excesserat, urinæ pervium.

29. Ludit verò subinde natura in partibus generationi inservientibus, dum sæpe quidem deficit, nec minus tamen quandoque excedit, ut adeo *gemini penis* etiam deprehendamus exempla à Th. Bartholino Centur. IV. Histor. XXII. & Schenckio l. c. Observ. VIII. adducta.

30. Porro nec *doloris* nec *periculi* expers subinde obvenit *penis inflammatio*, causis variis, sulphureo-salini fervidioris sanguinis influxum accelerantibus, refluxumque remorantibus, tum & præcipue impuro concubitui imputanda, in *abscessum* & *exulcerationem* subinde terminari visa, leg. Foresti Obs. lib. XXVI. Obs. III. cum Scholio, nec minus *serosus* & *hydropicus* ejusd. *tumor*, nunc à colluvie serosa ex abdomine huc exundante, nunc à sero lymphatico intra tunicas & vasa in motu suo ibi intercepto erumpit, à nobis in tenero infante cum ischuria lethali heîc aliquot abhinc annis observatus; similiter *emphysema* à sero viscoso in flatus resoluto subitaneum descriptum & depictum extat in Observat. XCIX. Anni III. Miscellan. Natur. Curios. Decur. I. *Fungus cancrosus* in quinquagenario ex membro virili in tantam molem distento, ut magnitudinem capitis infantuli recens nati fere adæquaret, enatus, apud G. F. Hildanum Observat. Chirurg. Cent. II. XXXVI, *ganglion penis* apud Foreſt. lib. XXVI. Obs. VIII, *verrucæ* apud Sennert. Med. Pract. lib. III. Part. IX. Sect. I. cap. IX. & Henric. ab Heer Obs. Med. lib. I. n. VII., *apostema durum in radice virgæ* apud Bartholom. Montagnan. Consil. CXCVIII., Medicinæ cultoribus innotuerunt.

31. *Magnitudo* & speciatim *longitudo*, quæ ratione spe-

 cierum,

cierum, individuorum, usus, & climatum variat, tum demum *morbifica* pronuncianda erit, si in cohabitatione conjugali aut ad *molestiam* aut *detrimentum* vergat, antepositio radici circulo aut scuto quodammodo reprimenda vid. Hildanus Centur. VI. Obs. LXI.

32. *Brevitas syllabæ mediæ culpationem* sæpius meretur, neutiquam, quæ obstetricum fabula est, in umbilici resectionem minus providam rejicienda, adeoque si à *nativæ mensuræ* arctioribus limitibus definita fuerit, vix remediis à Fallopio libr. de decoratione cap. VIII. & Foresto lib. XXVI. Obs. XIX. laudatis extendenda, quæ tamen certioris efficaciæ futura crediderim in *penis retractione*, talis quippe in infante ignei caloris blando fomite, ex Observ. CLXXIX. Miscell. Nat. Curios. Decur. I. Ann. VI. & VII., item in alio, facto cum carminativis fomento, ex Observ. L. Miscell. Natur. Curios. Decur. I. Ann. II., restituta legitur, dum *urticarum viridium* in *inguina incussibus* brevitatem hastæ virilis, si sterilitas ob eam metuatur, emendari, virgamque magnificari legimus apud Menghum Faventinum Practic. Part. II. cap. de passion. membr. generat., atq; iisdem languentem aut sopitam venerem excitari Petronius jamdum noverat, apud quem Eucolpio funerata erat pars illa corporis, qua quondam Achilles fuerat, & frigidior rigente bruma confugerat in viscera mille operta rugis, lorumque in aqua, non inguen erat, hinc cum Enothea priapi sacerdos promisisset, fascinum tam rigidum redditurum ut cornu, nasturtii succum cum abrotano miscet, perfusisque ejus inguinibus, viridis urticæ fascem comprehendit, omniaque infra umbilicum lenta manu cædit, conf. Th. Bartholini, Joh. Henr. Meibom. Patris, & Henrici Meibomii filii Epistolæ de usu flagrorum in re Medica & venereâ.

33. *Ere-*

33. *Erectio penis voluntaria*, seminis in arvum muliebre ejaculationi destinata, diversis modis *præternaturalis* evadere solet: Siquidem sub *impotentiâ virili* vel *extincta virilitate, imminuta* aut prorsus *abolita* notatur corporum nervosorum inflatio & turgescentia rigida, vel culpa sanguinis spirituumq; insufficienter influentium nec debite prædicta corpora actuantium, vel culpâ conformationis obsistentis organicæ in cavernulis meatibusque eorundem quærendæ, vel denique culpa musculorum *accumbentium* sub *contractione* sua debiliori sanguinem spiritusq; intra corpora nervosa per venarum pressionem non rite detinentium, vel denique culpa fascini per illicita media injecti. Contra *eadem actio* nimium *aucta* deprehenditur sub *priapismo* convulsiva membri tensione, citra veneris desiderium molesta, à sanguinis & spirituum corpora nervosa musculosque directores subeuntium dispositione halituosa repletiva orta, cui si humorum & singulatim seminis *acrimonia* ♀*eo-salina* nupserit, aut per acriora & quasi caustica stimulantia excitata fuerit, *satyriasin* cum inextinguibili coeundi ardore parit, singularis hanc in rem est observatio à Salmuth Cent. III. XXIX. consignata, de quodam venationum magistro sene juvenculam in matrimonium nacto, ut strenuum veneris militem se præberet, variis uso aphrodisiacis, alterâque statim nuptiarum die mortuo, pene continuo erecto permanente. Demum etiam *depravata notatur*, quando coles lunatur, id quod Heraclii Imperatoris exemplo jamdudum innotuit, qui nisi tubulum imo ventri, quoties mejeret, opponeret, faciem suam permingebat, uti scribit Zonaras annalium libro tertio; simile narrat de quinquaginta quinque annos nato, cui in modum cornu inversi flexus penis erat, Henr. ab Heer. Observ. Med.

lib. I. Obſ. VII. plur. vid. apud Tulpium Obſervat. Medic. lib. III. c. XXXIX. Mœb. Fundam. Med. phyſiolog. p. 515. Miſc. Nat. Cur. Dec. II. Ann. IX. Obſ. CXCIX. Jam verò quemadmodum in ejusmodi caſibus, ubi *membrum ſuperiora verſus incurvatur*, partim muſculorum, directorum rectius quam erectorum dicendorum, nimia facta prolongatio, partim & præcipuè fibrillarum per ſuperiorem corporum nervoſorum aream excurrentium propter obſtructionem aut compreſſionem à ganglio, tuberculo, aut duro nodo factam ulterior impoſſibilis, & fibrarum inferiorum expanſioni reluctans extenſio in culpa eſſe videtur; ita quando *membrum* ſub *erectione deorſum inflectitur*, vel dictorum muſculorum abbreviatio, vel fibrarum in corporibus nervoſis per aream inferiorem diſpoſitarum ulterius cedere neſcia inflatio, vel omnium maximè heîc ſubjectæ urethræ ſpongioſæ pars erectioni reſiſtens, aut præputium mediante ligamento ſubter balano fortiter adhærens, & veluti chorda appenſa ſuperioris areæ fibras deducens, accuſanda eſſe videtur.

34. Adhæc *Seminis* per colem *excretio* diverſimode lædi ſolet, quando vel prorſus *abolita* aut *depravata* eſt in hominibus *glandem imperforatam* habentibus, (quos Græci ὑποσπαδίας dixerunt) aut per aliam *aperturam* infra frenum ſemen effundentibus, de quibus leg. Stalpartus van der Wiel Obſervat. rarior. Centur. I. Obſerv. LXXXV. cum Scholio annexo, Miſcell. Natur. Cur. Dec. I. Ann. IX. & X. Obſ. CV. Decur. I. Ann. III. Obſ. XCVII.; vel eadem *tantum non perpetua moleſta* & quandoque *dolorifica* obtingit: in *gonorrhœa vera ſimplici* ſive præternaturali & involuntario ſeminis per urethram effluxu, ſine tenſione membri virilis venereoque orgasmo, à vaſorum deferentium veſicularumque ſeminalium &

præ-

præprimis ductuum excretoriorum inde ad caruncularam urethræ principio præpositam exporrectorum nimia distensione, laxitate, contractione, aut compressione ortâ; in *gonorrhœâ notha benigna*, liquaminis tenuis serosi citra pruritus sensum aut membri tensionem per urethram effluxu, in *eadem notha maligna* vel *virulenta* & *venerea*, præternaturali liquaminis seminalis primùm albescentis, dein subcitrini, diurno & nocturno tempore per urethram, nunc cum nunc sine doloris sensu obtingente stillicidio, inducto à sale fermentativo putredinali acri corrosivo per congressum impurum communicato; deniq́ue in *pollutione nocturnâ*, scil. seminis nonnunquam chylosi crassi & perfecti, nonnunquam tenuis & serosi, cum tensione pudendi & imaginatione actus rerumq́ue venerearum, à seminis copia & spirituascentia elastica, vel acrimonia, vesiculas ductusq́ue excretorios seminales ad contractionem expulsivam irritante, incalescentibus præsertim sub stragulis partibus spermaticis, dependente.

35. *Excretorum vitiis* hîc etiam accenseri poterint: *seminis excretio* cum alvinarum fæcum duriorum exclusione, per factam vesicularum seminalium compressionem, simul eveniens, aut *talis* sub barbæ rasione in quopiam à Th. Bartholino alicubi notata, item seminis substantia in *flatuosos crepitus* conversa, de qua vid. Casp. Calderam in Tribunali Magico Medico Tom. II. Statione VII. §. 2. & Zacut. Lusit. Lib. II. prax. admirandæ Observ. CXXI. *flatus* item per penem sæpe cum sæpe sine urina excreti, in Misc. Nat. Cur. Dec. II. Ann. IV. Obs. XLVI. aut ob immodicum fervorem sub congressu rupto circa vesiculas seminales aut corpus glandosum vasculo teneriori post semen succedens *profusio sanguinis*, biennio abhinc in juvene quodam visa, item

hæmorrhagia penis ſpontanea Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. III. Obſ. CCXV. legenda, *alvinorum excrementorum ſummo cum dolore per penem egeſtio* in Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. IV. Obſ. LXXV. propoſita. Interea ſingularem naturæ providentiam demirari par eſt in Studioſo, in glandis apice, duos meatus, alterum ſemini, alterum urinæ paratum, apud Veſalium lib. V. c. XIV. de humanâ corporis fabricâ.

36. *Vulnera veretro* inflicta ob ſpongioſam corporum nervoſorum ſubſtantiam curatu difficilia, ob ſenſationem exquiſitam *dolorifica*, ob vaſa numeroſa ſimul ſauciata hincque evenientem hæmorrhagiam & inflammationis metum *pernicioſa* cenſentur. Nihilominus ex Benivenio refert Schenckius l. c. Obſ. XX. monachum ob caſtitatis zelum colem ſibi ad pubem usq; amputaſſe, teſtatur etiam Franc. Ronſſetus L. de partu Cæſareo c. VI. Sect. IV. vidiſſe ſe plures maniacos ac melancholicos, qui ſibimetipſis tam teſtes quam virgam præſecuerint, denique Cardanus autor eſt Comment. in Lib. Hippocratis de aere, aquis & locis lect. 62. t. 9. ſolere Turcas multis tota virilia reſecare, qui ſuperſtites tamen maneant.

37. *Ulcera* qualia ſint cenſenda, ex antedictis colligere in promtu erit; adeoque *pene*, poſt validiorem à maniaco arrepto filo factam conſtrictionem, *gangræna* mox *ſphacelo* correpto, ſicque dimidia parte abſciſſo, mutilum tamen ſuperſtitem manſiſſe narratur in Scholio ad Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. IV. Obſ. LXXV. *Cancrum penis* videſis in Obſerv. CXXV. Miſcell. Natur. Curioſor. Decur. II. Anni III.

38. *Præputium* demum afflictiones varias nobis oboculos ponit; eas autem inter primo recenſemus *phimoſin*, impeditam præputii à *balano* ſive *glande penis* detractionem

nem, (à quâ tamen Turcæ, Judæi, ceteriqúe recutiti, qui ſecundum Juvenalem Satyr. XIV. v. 99. præputia ponunt, liberi ſunt) inductam aut propter idipſum carnea mole ſeu tubere nimis turgidum, vid. Caſp. Welphium citatum à Schenckio lib. IV. de part. genital. Obſerv. XV., aut propter excreſcentem poſt læſionem externam violentam cicatricem, tandemque callum juxta Ballonium lib. II. Conſult. V. p. 211., aut propter fibras præputii à ſordibus viſcidis purulentisque ſubtus collectis, itemque à nimia coëundi prurigine & tentigine, nec non ſuſcepto fermento venereo acri corroſivo, eroſas ac ruptas inſequente conſolidatione præputium contrahentes, aut præputium per ſe mediante ligamento ſub balano arctius connexum, vid. G. F. Hildani Centur. III. Obſerv. LIV: nec minus *paraphimoſin* indicare operæ pretium erit, eam ſcil. *glandis à præputio detracto denudationem*, ut nequeat denuo retrahi, utplurimum aut à præputii ſub violentâ prima contentione à frænulo abrupti, & inflammatione tumefacti, aut ulcuſculis virulentis obſeſſi, aut à ſeri halituoſi decubitu inflati, fibris motionem & preſſionem aut tenſionem nullam admittentibus relictam.

39. Veslingius *αὐτοτίτης præputium* Ægyptiorum Arabumq; puerulis *ſuperius immodicè excreſcere*, plurimumque excreſcendo attenuari ſcribit Syntagm. Anat. cap. VI., ut non minus ob periphymoſis metum, quàm ex religionis præſcripto partem ejus abſcindere cogantur; ſubditque ab illius reſidua portione perforata annulum geſtare enormem, quotquot apud dictos populos ſerio caſtitatis voto puritatis æſtimationem tuentur. Antiquitus impoſita *fibula* cautum illud fuit, quali etiam Comœdis & Cytharœdis extrema virilium pellis illigabatur, ad conſervandam vocem, quæ venere mutari & corrumpi ſolet, quo alluſit Martialis lib. XIV. Epiſt. CCXV.

Dic mihi ſimpliciter, Comœdis & Citharœdis
Fibula quid præſtat?

Infibu-

Infibulandi verò illos modum legimus apud *Corn.* Celſum l. VII. de re Medica c. XXV. Cæterum ætate provectiores liberabantur fibula, quod refibulare dicebatur, quo reſpexit Martialis lib. IX. Ep. XXVIII.

-- Jam pædagogo liberatus, & cujus
Reſibulavit turgidum faber penem,

plura leg. in Acia Cornelii Celſi propriæ ſignificationi reſtituta à Joh. Jacobo Chiffletio p. 8. & 9.

40. Atque ita *præcipuas partium genitalium maſculinarum* à ſtatu naturali *aberrationes* contemplati ſumus, ſed memorem etiam nobis vellicant animum *Hermaphroditi* ſive *Androgyni*, duplex & utriusque ſexus genitale oſteudentes, ita tamen, ut quandoque ſexus ſint minus diſtincti, & vel ad neutrum vel ad utrumque commode ſatis referri queant, vel dubium dimittant inſpectorem: Ex tali cenſu proculdubio fuit, cujus deſcriptionem Marius Grapaldus lib. 2. Lexic. cap. 5. ſeq. epigrammate exhibuit:

Cum mea me genitrix gravida geſtaret in alvo,
Quid pareret fertur conſuluiſſe Deos.
Mas eſt, Phœbus ait, Mars fœmina, Junoq; neutrum,
Cumq; forem natus, Hermaphroditus eram:
Quærenti lethum, Juno ſic ait, occidet armis,
Mars cruce, Phœbus aquis, ſors rata quæq; fuit:
Arbor obumbrat aquas, aſcendo, decidit enſis,
Quem tuleram caſu, labor & ipſe ſuper:
Pes hæſit ramis, caput incidit omne, tuliq;
Femina, Vir, neutrum; flumina, tela, crucem.

Similiter Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. II. Obſ. CCLIII. deſcriptus & delineatus cernitur hermaphroditus Caſpari & Marthæ nomine inſignitus, & Decur. II. Anni III. Obſ. LXV. recenſetur femina, quæ intra pudendum muliebre ſuperiori in parte geſſerat membrum virile non perforatum, & ſine præputio, deficientibus nymphis, & collo uteri anteriore exiſtente cartilaginoſo duro; ſingulare adhæc exemplum recenſet Kerckringius Spicileg. Anatomic. Obſerv. XII. de puella ſeptenni & alia famoſa Angla Anna Weyde dicta. Ubi quidem non poſſumus non animadvertentes contra Galenum l. II. de ſemine c. 3. in fine negantem, hermaphroditos utriusque ſexus genitalibus uſos dari, provocare ad exempla Miſcell. Nat. Curioſorum Decur. I. Anni II. Obſerv. CCIII. in Scholio, & Anni III. Obſ. CLXVIII. evolvenda.

SPECIMEN IX.

§. 1.

GEnerationi *ſacras partes*, prout in *ſexu maſculino* obveniunt morbis & ſymptomatibus diverſis obnoxiæ, poſtquam expoſuimus, proximum nunc eſt, ut *ſpeciei propagationi in ſexu femineo* deſtinatas *partes* pariter diſpiciamus, quatenus ad *præternaturalem ſtatum* deſciſcunt. Obſervaturi autem & hîc ordinem, quem in Sectionibus publicis aliàs tenere conſuevimus, primum *vaſa præparantia* communiter dicta rimabimur, qualia tametſi à *morboſa ſorte*, aliis *vaſculis ſangviferis communi* non ſint exemta, hujuscemodi tamen rara admodum apud Scriptores pathologicos fit mentio, dum interea nec improbabile nec impoſſibile fore credimus, ut dicta *vaſa* à *ſanguine* vel in nimiâ *copia* per *arterias* affluente, vel *non libere* per *venas* ſocias refluente, ſed in commeatu reciproco variis de cauſis intercepto, plus æquo *diſtendantur*, & *varicoſa* reddantur, vel à *coagulo* ſanguineo-grumoſo, lymphatico-viſcoſo, tartareo-ſalino, *obſtruantur*, vel à partium vicinarum incumbentium *tumore* comprimantur, vel à cauſis quà internis quà externis violenter tendendo, rumpendo, rodendo, lacerando intentatam ſibi *ſolutam unitatem* patiantur.

2. Morbidas ſpecies Naturæ conſulti in *ovario femineo* ſæpius ſpectant, id namque à ſanguine ſulphureo-ſalino fervidiori bilioſo extravaſato *inflammationem* ſuscipit, *hyſtero-maniam* ſecum nonnunquam inferre potentem, ſed & in alios excreſcit *tumores*, ſic Cl. Hartmannus Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. V. Obſ. LXIII. in herniosâ & aſciticâ femina idem deprehendit quoad *exteriorem* formam anfractuoſorum ductuum im-

plicata serie conspicuum, qualem inflatis spermaticis in epididymidibus masculorum est obtinere, *dissecti* vero *anfractus* incurvatam variisque rugis condensatam monstrasse tunicam albam, *reliquo corpore carneo* solido; & Decur. III. Ann. V. & VI. Obs. CCIX. recensuit, *testem dextrum* tumore magnitudinis pomi borsdorfferiani mediocris distentum, cum exterioribus lividis latis maculis cancrosi corporis instar alicubi expansis, communem vero ejusdem *tunicam*, extra ordinem densam, coagulum quasi sebaceum fibroso-album substratum habuisse, & sub hoc demum plurium glandularum congeriem in lucem prodiisse; ita *dextrum* quoque *testiculum* sive *ovarium* ad pugni magnitudinem distentum Steph. Blancardus Collectan. Medico Physic. P. I. Obs. 28., & Anatom. practicæ rationalis Cent. II. Obs. 99., quin in hydropica capitis infantilis magnitudine æmulum Miscell. Nat. Curiosor. Decur. III. Ann. I. Obs. XCII. Excell. Adamus à Lebenwaldt, annotaverunt; prominulum ex teste dextro majori globosum corpus magnitudine ceraſi carneâ facie enatum, pure fœtido instar amurcæ repletum memorat Miscell. Nat. Curios. Decur. II. Anni V. Obs. LXXV.

3. Stupendum *ovarii* hydropem legimus descriptum Miscell. Natur. Curios. Decur. II. Ann. IX. Observ. CXXXVI. confer. Decur. II. Ann. X. Obs. XXVII. Exc. Harder. in Apiario Observat. Med. Obs. LXXXVII. Dn. Justus Theodor. Schorkopff in Disp. Medic. Inaugurali de hydrope ovarii muliebris, qui §. XVI. ex communicatione Medicorum Comitis Excellentissimi, Beati D. D. Wepferi, diversorum S. R. I. Elector. Princip. & Reipubl. Scaphusiens. Archiatri celeberrimi meminit duarum feminarum, quæ affectu hoc detentæ singulæ post mortem ultra libras CXX. seri exhibuerunt,

& ve-

& vetulæ cujusdam ſexagenaria majoris, quæ tumorem in ovario geſtaverat mole & contentorum copiâ his majorem ultra XX. annos, nec tamen ab hoc, ſed à pleuritide malè tractata diem ſuum obierat. Sicuti autem rationi conſentaneum videtur, ejuscemodi hydropem ſenſim induci à lympha per vaſcula lymphatica plus æquo diſtenta & rupta inter membranaceum ovarii ambitum effuſa; ſive ejusdem lymphæ copia, & propter alibi interceptum liberum per vaſcula ad- & evehentia propria commeatum ad ovarium uberior factus affluxus, ſive lentor viſcoſus cachecticus, ſive acrimonia ſalino-corroſiva & ichoreſcentia cauſæ antecedentis rationem habuerit, ſive abdominis concuſſio, conſtrictio, lapſus, contuſio, temerarii & intempeſtivi parturiendi niſus aliæque cauſæ violentæ externæ meatuum & pororum in ovario ovulis ac vaſis lymphaticis ordinem turbantes & ſolutionem continui illis intentantes præceſſerint; ita *hydatides* etiam in ovario ſæpe conſpiciuntur, quales ab extravaſata lympha folliculi proprii ambitu circumſcripta, aut eadem inter fibrillas membranæ ovarium obtegentis effuſa hancque in veſiculas attollente, aut ipſis etiam ovarii lymphaticis vaſculis propter obſtructionem in veſicularum ſpeciem elatis emergunt, & in cadavere infanticidæ humore limpidiſſimo repletæ, numero tres magnitudine ovula ſeminalia vera ſuperantes, magis pellucidæ, & à membrana exteriori teſticulum ſive ovarium dextrum, quâ parte uteri fundum recipiebat, involvente erumpentes proximeque ſibi invicem accumbentes à me in Theatro Anatomico noſtro Altdorfino publice aliquot abhinc annis demonſtratæ ſunt, quam obſervationem etiam inſerendam conceſſi Miſcell. Natur. Cur. Decur. II. Ann. V. Obſ. CCVII;

adhæc *veſicam ovalem* humore lymphatico turbido repletam in *ovario dextro* anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum nonageſimo primo, in Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. IX. Obſ. CCXXIV. Fig. XXXIX. p. 415. æri inciſam, *ſimilemq;* ſuperioris anni menſe Martio ſub Anatome corporis feminei publica in ovario *vaſculis ſanguiferis retiformibus exterius obductam*, heic loci deprehendi, & philiatris noſtris demonſtravi. Cl. Nuckius in Adenographiâ curioſa c. IV. annotavit *ovariorum* etiam dari *tumorem hydropicum, lymphâ peculiari ſacculo incluſa*, atque ex relatione Anatomici olim excellentiſſimi Caroli Drelincurtii recenſuit, in muliere poſt extractas ope paracentheſios 40. aquæ pintas, & ſeparato teſticuli ſiniſtri tumore teſtem inſuper pependiſſe libras decem, utpote totum tuberoſum, & ex veſiculis ſeminariis ad illam magnitudinem accretis compoſitum, quarum aliæ humorem ſeroſum & limpidum, aliæ ſeroſum ex flavo nigricantem, aliæ ſerum glutinoſum melli non abſimile, aliæ liquorem gelatinoſum transparentem continuerant, rurſus aliæ erant gypſeæ, aliæ grumoſæ, aliæ coriaceæ, modo nucis, modo columbini, modo gallinacei ovi, quinimo pugni magnitudinem adæquantes.

4. Singularis prorſus eſt obſervatio Celeberrimi *Albini* in Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. IV. numero XCIV. legenda, de puerpera juvencula pridie puellam enixa, alium adhuc mortuum in utero habente fœtum, quæ cum fatis conceſſiſſet, non ſolum exhibuit *t ſtes ovis turgidis pellucidis & copioſis refertos*, ſed præprimis notabile ex *dextro teſte pollicis latitudine mediantibus vaſis ſanguiferis verſus Tubam Fallopianam pendulum ovum*, piſi magnitudine vaſis ſanguiferis copioſiſſimis refertum. Ubi mihi ſimul in mentem veniunt in femina

ſala-

ſalaciſſima, elegantiſſimæ formæ, capitis ſupplicio affecta, & ipſa ante ſupplicium obnixiſſime petente, ut corpus ſectionibus concederetur, *ovula* non ſolum in utroque ovario hîc *viſa*, & in Theatro Anatomico à me publice demonſtrata *turgidiſſima*, ſed & quædam in orbem diſpoſita, arctiſſimo tamen nec unquam metuente ſolvi nexu *combinata*.

5. Sicuti autem paulo ante tum *hydropis* tum *hydatidum ovarii* exempla attulimus, ita *ſimilia* etiam circa *tubas Fallopianas* ſive oviductus notanda nobis obveniunt; Sic *Tulpius* Obſervat. lib. IV. c. XLV. in Catharina Bonevallia utrumque uteri cornu novem circiter aquæ purisque libras innumeris veſicis incluſas continuiſſe memoriæ poſteritatis ſcriptum reliquit; imo quod maxime mireris Curioſiſſimus Joh. de Muralto *dextram tubam* ab aquarum copiâ ita dilatatam conſpexit, ut inflicto parvo vulnuſculo CXII libræ effluxerint, vid. Miſc. Nat. Cur. Dec. II. Ann. II. Obſ. CXCV. & figura addita 38; porrò in *exterioribus Tubarum muliebrium partibus hydatides* enatas ex Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. III. Ann. IX. & X. Obſ. CXCI. & *tubas Fallopianas glandulis & hydatidibus in & extra refertas* ex Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. An. IX. Obſ. XCIX. novimus.

6. *Tubam uteri dextram obliteratam*, ex qua ſaccus *membranaceus* quadraginta circiter menſuras aquæ complectens exierit, Miſc. Nat. Cur. Decur. II. Anni I. Obſ. CLXXXIII., *eandem nulla cavitate hiantem* fuiſſe Miſcell. Nat. Cur. Decur. II. Ann. VI. Obſ. XXXIV. in noſtram noticiam detulerunt; *utramq;* prorſus *impervium* ſive *cæcam ligamenti inſtar cultro dividendam* in vetulâ hydrope extinctâ, ubi *fimbriatum* ſive *foliaceum ornamentum* in *carneas globulas* exiguas conceſſerat, orificium verò ipſum in *globoſum caput* coaluerat, ab utroque latere hinc inde veſiculis diverſæ magnitudinis limpidis pendulis,

annotavit Cl. Hartmannus Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. V. Obſ. LXIII; *Teſtes* in muliere cum ligamentis & tubis ita implicatos, ut velut ſine diſtinctione una maſſa videretur carnea conſpexit Dominic. de Marchettis Anat. c. VII.

7. Ceterum etiamſi *Tubæ* ab uſu rectè modernis *oviductus* dictæ præprimis ovulo uni & alteri facta conceptione ovario expulſi receptioni, & ad uterum, obſtetrice earundem motu periſtaltico, deductioni pro *complemento* hîc neceſſario expectando ſubſerviant, evenit tamen quandoque, ut ovulum intra *cancellos* oviductus, vel propter amplitudinem ſuam, vel ſegniorem fibrarum motricium motum, vel lentum humorem ad parietes oviductus ovulum agglutinantem, in medio ſuo intercipiatur itinere, ſicque *conceptionem* ac *geſtationem fœtus tubariam* efficiat, de quâ memoratu digna præterquam quod Th. Bartholinus Cent. VI. Hiſtor. Anat. XCII. pag. 362. Cent. III. Epiſt. medicinal. IV. Diſſertat. novæ de inſolitis partus viis cap. X. p. 98. propoſuerit, legi merentur, quæ Celeberrimus Elsholzius in epiſtola de conceptione tubaria ad D. D. Wolrahtum Huxholzium perſcriptâ, tùm & Matth. Tilingius in Exercit. Anatomic. de Tuba uteri deque fœtu in gallia extra uteri cavitatem in tuba concepto attulerunt, atque hisce addi poterunt, quæ Abrahamus Cyprianus in Epiſtol. de fœtu humano poſt XXI. menſes ex uteri tubâ matre ſalva ac ſuperſtite exciſo ad Th. Millington Equitem auratum, Medicum regium ordinarium & Collegii Medicorum Londinenſium præſidem, Anno M. DCC. erudite diſſeruit, & figuris æri inciſis elegantiſſimis illuſtravit.

8. In cadavere feminino hyſtericâ paſſione extincto Patavii apud Excell. Antonium de Marchettis uterum

rum unà cum teſtibus & vaſis deferentibus materia ſeminali corrupta caſeo recenter coagulato haud abſimili vidit D. Zacharias Mannagetta Miſcell. Nat. Cur. Decur. I. Ann. I. Obſ. XXXII.

9. Teſtes femineos putridos, ſub caruncularum ſpecie per ſinum virgineum protruſos, reſectos, virgine 45 annorum ſanitati denuo reſtituta, recenſuit Illuſtris quondam Academiæ Leopoldino-Imperialis Nat. Curioſ. Præſes Beatus D. D. Volckamerus Miſc. N. Cur. Dec. I. Ann. II. Obſ. CCXXXVI.

10. *Ovaria* deniqúe ab omenti plus ultra deorſum protracti incumbente mole & oleoſo lentore ita comprimi ac inviſcari, ſeminisque maſculini adeò ſpiritum genitalem energeticum ab ovulis arceri poſſe, probabilius nobis videtur, quàm ut ab Hippocrat. in Sect. V. Aph. XLVI. nobis perſuaderi patiamur, ejuscemodi ſterilitatem ab omento os uteri internum comprimente ſuboriri: dum erudite inſuper animadvertit Cl. Nuckius in Adenograph. curioſa & uteri feminei Anat. nova c. VI. p. 73. ſterilitatis cauſam ſæpe latitare in lympha illa craſſiuscula tenellas ovulorum partes obſtruente & comprimente, ut ſubtiliſſimi ſanguinis ſpiritus, ipſumque fermentum ſeminale virile, fruſtra in partes obſtructas arietent, vix ullam ipſis inducere mutationem valentia; nec minus obſtructa vaſa lymphatica tubas perreptantia, quoties in magnam molem aſſurgunt, & pondere ſuo latera eorum premunt, ovulorum in tubas impedire introitum.

11. Diverticula peritonæi nova, ſi forte fortuna in illa inteſtini propinqui portio ob ponderis gravioris elevationem vel alium vehementiorem corporis niſum protruſa, ab orificio illorum anguſtiori arctius compreſſa fuerit, inflammationem demumque gangrænam & patienti

patienti necem infert, ſicuti aliquando etiam heîc loci obſervavimus, quanquam ſi tum dictorum diverticulorum orificia tum & ipſæ capſulæ ſenſim & ſubinde ampliationem & extenſionem admittant, & tumoris inguinalis minor moleſtia, & retruſio verſus abdominis cavum facilior futura ſit, niſi ab incaute admiſſo extrinſecus frigore, aut prolapſi inteſtini cum diverticulorum internis parietibus coalitu ulterius eveniat periculum.

12. Sed nunc ad *uterum* ipſum accedemus, quem Hippocrat. ſub initium lib. II. de morbis mulierum πάντων τῶν ὑσηριάτων αἰτίαν cenſuit; *eundem* verò æquè ut alias partes membranaceo-carnoſo-glanduloſas à varia humorum affluentium & ſubſiſtentium *dyscraſiâ* affici tametſi ex obſervationibus Practicorum ſatis conſtet, ſingulatim tamen attendi meretur *inflammatio* cum ardore & dolore venarumque per cervicem diſtributarum rubedine ac repletione conjuncta, à ſanguine ſulphureo-ſalino plus minus acri nunc in uteri univerſi ambitu, nunc in aliquâ ſaltem ejus parte intercepto ac collecto enata, qualis furore uterino veluti comite ſtipata in mortem terminata legitur Miſc. Nat. Curioſ. Decur. III. Ann. V. & VI. Obſ. CXXIV. conf. Foreſti lib. XXVIII. de Mulier. morb. in Schol. ad Obſ. XLI.

13. *Figura uteri mirabilis* quaſi bicipitis, & circà orificium ejus internum longius propendens corpus, ſive moles rotunda videatur in Celeberrimi Chriſt. Franciſc. Paullini Obſervationibus Medico-Phyſicis ſelectis & curioſis numero CVIII. in Append. ad Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. II. Ann. X. p. 68.

14. *Uterus* inſtar *ſteatomatis* in unam maſſam concretus nullâ intus apparente cavitate Miſc. Nat. Cur. Decur. III. Ann. VII. & VIII. Obſ. CLII. *idem totus carti-*

lugineus

lagineus Miſc. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. IV. & V. Obſ. LVII. in virgine LXV. annos nata *naturali triplici aut quadruplici major, externa fronte calloſus gibboſus variis diverſæ magnitudinis & figuræ protuberantiis inæqualis*, Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. VI. Obſ. XXXIV. deſcribitur.

15. *Uterus duplex* Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. II. Ann. V. Obſ. LXVIII. adducitur, & pluribus pag. 153. adductis exemplis comprobatur, conferatur Hiſtorica relatio uteri duplicis in femina Mr. Dionis Chirurgi Regii Pariſienſis, quæ proſtat in append. ad Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. II. Ann. II.

16. *Uterus* per totum abdomen *extenſus*, omnibus ferme integumentis & viſceribus infimi ventris *adnatus vel accretus*, cum innumerabilibus intus & extus conſpiciendis cyſtidibus, ſebaceâ cartilagineâ & lymphaticâ materiâ repletis, Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. III. Ann. V. & VI. Obſerv. CCXXVI. *idem* cum *omento* inſtar chordæ ſupertenſo *præternaturaliter connexus* Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. III. Ann. IV. Obſerv. VII. proditur.

17. Porrò haud raro obvenit *Uteri inflatio* vel *empnevmatoſis*, tumor ſcil. vagus & inconſtans cum anxietate, anhelitu difficili, laſſitudine aliisque flatulentiam ceteroquin concomitantibus ſymptomatibus conjunctus, proveniens à flatibus in eodem aut genitis aut collectis; vid. Hochſtetter. Obſerv. Decur. VI. Caſu IV.

18. Nec infrequens eſt uteri *ſcirrhus*, vel totum vel partem ejus occupans, modo *exquiſitus* & indolens, modo *ſpurius* cum aliquali dolore, tumor durus tactui reſiſtens, ſtantibus feminis cum gravitate in pudenda incumbens, ſedentibus inteſtinum rectum premens,

ceteroquin autem inceſſum retardans, à ſanguine ejusque vehiculo ſero lymphatico acido-viſcoſo-terreo intra poros & meatus ſubſtantiæ uterinæ membranoſo-muſculoſo-glanduloſæ effuſo inque coagulum tenax concreto, enatus, aut poſt inflammationem ab incauto repellentium aut discutientium abuſu relictus, in tantam ſoliditatem compactus aliquando notatus Miſc. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. IX. & X. Obſerv. CXXVI., ut novaculæ aciem vix admitteret etſi acutiſſimam; conf. Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. I. Ann. I. Obſ. CXXVIII.

19. Grave malum habetur *Uteri hydrops*, tumor pariter præternaturalis à *ſeri lymphatici* quantitate & qualitate vitioſi, ex ſanguine cacochymico intra uteri cavitatem internam aut tunicas & appendices facta *effuſione*, aut impedito intercepto ac abrupto per *vaſa lymphatica* uterina anguſtata, coarctata, adſtricta, aut quocunque demum modo impervia, aut abrupta, *ejusdem* refluxu inductus, qualis una cum fœtu ſimul geſtato à G. F. Hildano Cent. II. Obſerv. LVI. Primeroſio de Morb. Mulier. lib. II. c. VII. & Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. III. Obſ. CCCV. annotatur, & ex menſium retentione inſecutus per umbilicum demum feliciter evacuatus legitur Miſcell. Nat. Cur. Decur. II. Ann. I. Obſ. CXIV.

20. Nec indicta relinquenda eſt *uteri procidentia*, triplici precipue modo eveniens, vel enim (1) *uteri fundus invertitur inſtar chirothecæ & foris prominet*, uti conſtat ex Petr. Marchettis Obſervat. Medic. ſylloge Obſ. LXI. Isbrandi Diemerbröck Anat. l. I. c. XXV. Th. Bartholino Hiſtor. Anatomic. Centur. II. Hiſtor. XCI. Fr. Ruyſch. Obſerv. Anatomico-Chirurgic. Centur. Obſ. X. Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. II. Ann I. Obſ. CXLI. Decur. II. Ann. VI.

Obſ.

Obſ. XCI. Decur. II. Ann. IX. Obſ. CXLIX. Decur. III. Ann. I. Obſ. CXIV; vel (2) *cervix & uteri oſculum internum in ſinum pudoris decidunt*, prout Felix Platerus Obſervat. lib. III. p. 742. & ſeq. Jacob. Primeroſius lib. II. de Morbis mulierum c. XV. notaverunt, quæ quidem binæ afflictiones reſpectivè inſequuntur violentam fundi uterini & cervicis, nec non ligamentorum tam latorum eundem oſſibus ilium alligantium, quàm teretium ipſum partibus anterioribus devincientium, violentam inverſionem avulſionem & abruptionem, factam, aut quando obſtetrix imperita placentam firmius utero cohærentem ſingularivi & impetu tollere, aut chirurgus fœtum mortuum extrahere conatur, aut quando difficilior parturientium & laborioſiſſimus conatus, aut caſus ab alto, aliiqúe motus corporis violenti præceſſerunt: vel (3) *tunica interna vaginæ rugoſa*, nimium aut à rudi obſtetricis manu, aut à fœtu graviori aut gemello, aut diutius ibi ob viarum anguſtiam hærente, aut à parturiendi itemque alvum egerendi niſu validiori extenſa, aut ab humoribus ſeroſis illuc copioſe confluentibus relaxata, aut à prægreſſo diuturno fluore albo eroſa, extra pudendum propendet *& globoſa figura prominula* uterum verum mentitur, vid. Obſervatio noſtra Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. II. Ann. X. CLXXXI. Decur. III. Ann. V. & VI. Obſ. CCXXVI. Job. van Meekren Obſerv. Medico-Chirurgic. cap. LIV. David. van der Beeke in peculiari Diſſertatione de uteri procidentiâ. Adhæc *inverſum uterum carneis excreſcentiis plurimis involutum* Miſc. Nat. Curioſor. Decur. II. Ann. II. Obſ. CLXXXVI., *prolapſum uterum ſinui muliebri adnatum* Salmuth. Obſ. Cent. I. LXXVII, *excreſcentiam* item *fungoſam* uterum prolapſum ſimulantem Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. I. Ann. II. Obſ. CXXI, in noticiam noſtram

detulerunt. *Uterum* etiam *distorqueri*, si alterius lateris ligamenta contrahantur aut convellantur, naturalem modum servantibus oppositis, statuit Anton. Molinettus in Dissertationibus Anatomico-Pathologicis lib. VI. c. XII.

21. *Uteri vulnera* rarius observantur, aut quod uterus in pelvi veluti in securo portu reconditus à læsionibus externis magis immunis sit, aut quod ad prælia & conflictus feminarum genus nec proclive nec assuefactum sit, nec tamen *eadem* utero, dum fœtum gestat, inflicta, etiam extra vasorum majorum diramationes, matri & proli lethifera existere, sicuti asserit Exc. Bohnius de Renunciatione Vulnerum p. 395., contrario exemplo edoctus sum, cujusdam Religiosi Capucini ab aliquot abhinc annis à me Neagori in vicino palatinatu visi, cujus mater ipso gravida ex vehementi ad bacillum extremitate acutum allisione non uterum sibi solum, sed fœtus etiam thoracem sub papilla dextra pertuderat, matre post consolidationem viva remanente, ut & cicatrice in dicto religioso relicta conspicua. Imo quod magis in admirationem nos rapere poterit, *uteri* pro partu cæsareo absolvendo in vivâ matre *incisionem* feliciter successisse Franc. Rousletus de partu cæsareo, Doringius in peculiari epistola ad G. F. Hildanum perscriptâ, & Observ. Chirurgic. Cent. III. annexa, Misc. Nat. Cur. Decur. III. Ann. II. Obs. XVII. & à Celeberrimo Pauli in Not. ad Horne Microtechnen p. 475. allegati Autores, confirmant, nec minus uteri extirpationem sine vitæ discrimine evenisse exempla à citato Fr. Rousseto Sect. IV. c. V. Langio Epist. Medicinal. lib. II. Epist. XXXIX. Miscell. Nat. Cur. Decur. II. Ann. IX. Obs. XCIV. Theoph. Bonet. in Medicinâ Septentrionali Part. II. lib. IV. Sect. I. Obs. XXIII. XXX. & seqq. prolata demonstrant.

22. *Ulce-*

22. *Ulcera* pariter *uterum* obſident, *ſolutiones continui purulentæ & ichoroſæ* à *cauſis vel internis*, ſanguine acri bilioſo, melancholico, ſeroſo, ac lue venerea virulento reddito, menſium lochiorumque ſuppreſſione, inflammatione, fluore albo diuturno, partu difficili, ſecundinis retentis, vel *externis*, congreſſu violento, peſſis acrioribus intruſis, vel ſimilibus injectionibus per metrenchyten infuſis, ſemine maſculino miasmatibus venereis pravis infecto ſuſcepto, lapſu, contuſione ſimilibusque cauſis violentis, enata.

23. *Ruptura uteri* à difficili partu ex Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. I. Ann. II. Obſerv. CCLIV. & Decur. I. Ann. VII. Obſerv. X. & Ann. IX. Obſerv. CXV. Salmuth Centur. I. Obſerv. XVI. *ejusdem dilaceratio* fœtu maſculino cum ſecundinis intra inteſtina latitante ex Miſc. Natur. Curioſ. Decur. I. Ann. II. Obſerv. XXCV. *perforatio* non procul ab orificio interno, per quod infanti via in cavum abdominis patuit, ex Miſcell Natur. Curioſ. Decur. III. Ann. VI. & VII. Obſerv. LXXXIII, *putrefactio*, fœtu in abdomine reperto mortuo quidem ſed ceterum abſoluto & perfecto ex Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. I. Ann. VIII. Obſerv. LX. Rouſſeto de partu Cæſar. Sect. IV. c. IV; *omnimoda ferme conſumtio*, fœtu poſt annos graviditatis XVI. matre mortua in ventre viſo nullis tecto involucris ex Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. I. Ann. III. Obſerv. XII; *defectus* in hydropica ex M. N. C. Dec. II. Ann. VII. Obſ. CXLI. nobis innotuit.

24. *Orificium* uteri *internum*, ſive ob *calloſam duritiem* ſive *denſitatem quaſi cartilagineam* capiti fœtus clauſtra ſua perrupturi cedere nolit, eundem retardat, vid. Miſc. Nat. Cur. Decur. II. Anni II. Obſ. XCIV.

25. *Tunica vaginæ uterinæ rugoſa* ſub congreſſu frequentiori partuque iterato plus æquo *extenſa* aut ab

humoribus confluentibus *relaxata rugas* amittit, conf. Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. II. Ann. V. Obſerv. LXIII. *Glandulæ* autem ſub eadem reconditæ, quales in ſtatu præternaturali morbos parere poſſint, erudite declaravit Cl. Valentini in Epiſtol. de novâ matricis & morbonæ muliebris Anatome ad D. D. Widtium perſcripta in append. Miſcellan. Natur. Curioſ. Decur. II. Ann. II.

26. *Anguſtia* denique ſive *clauſura* uteri *præternaturalis* notatur, ſeminis maſculini exceptionem, menſtruorum excretionem, & fœtus excluſionem impediens, eademque vel eſt *connata*, quando ab ipſo ortu *pudendo femineo externo velamentum* membranaceum prætenſum eſt, uti in *atretis* ſive *imperforntis* dictis obvenit, de quibus vid. Fortunatus Fidelis de Relationibus Medicor. lib. III. cap. VI. Hier. Fabric. ab Aquapend. de chirurgicis operationibus p. 279. Henr. van Ronhuyſen in Hiſtor. Chirurg. p. 105. Johan. Wierus de præſtigiis Dæmon. lib. II. c. XXXV. Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. I. Ann. III. Obſerv. III. Barth. Cent. V. Obſerv. Hiſtor. XLII; aut *in orificio vaginæ* ſive ductu & ſpatio cervicis, in quod deſinit meatus urinarius, & membrum virile inſeritur, aut in *proprio* ſeu *interno uteri orificio*, *obſtructio* adeſt, à membrana, carne, itemque tuberculo inducta, uti plura ad ulteriorem cognitionem neceſſaria legi poterint apud Joh. Varandæum in Tractat. de morbis Mulier. cap. XI Operum Tom. II. p. 196.; vel eſt *accidentaria* & *aſcititia*, qualis ex violento partu dilaceratæ, aut vulneratæ, aut ex aliis cauſis prægreſſis exulceratæ & eroſæ, poſtea conſolidando conglutinatæ & occluſæ vaginæ ſuccedit, uti talis caſus in praxi aliquando à me notatus fuit, in uxore cujusdam civis, quæ cum ſub primo partu dilacerationem vaginæ

uteri-

uterinæ perpeſſa fuiſſet, adhibitis ab obſtetrice travmaticis coalitum vaginæ mediæ paſſa, denuo quidem concepit, ſed exitu fœtui intercepto, cùm ad adminiſtrationem neceſſariam & ſectionem chirurgicam nullis rationibus aut precibus permoveri potuerit, ſub partu ſecundo occubuit, miſeroque fœtui ſepulcrum in ſeipſa condidit.

27. *Tubercula* inſuper *genitales partes* occupant *diverſa*, nimirum vel ab *hæmorrhoidibus* ſive venulis pudendorum colli ac cervicis uteri propter ſanguinis viſcoſioris & terreo-ſalini, aut laudabilis, in motu retrogradi intercepti, infarctum tumentibus, modo *cæcis* modo *fluentibus* efformata; vel *verrucarum* ſpecie ſeſe viſui & contactui objicientia, modo penſilia *acrochordones*, modo baſi latiori ſuffulta, & calloſitate obducta *myrmecia* dicta, modo ad formam *thymi* ſciſſa, aut inſtar *ficus* vel *mariſcæ* diviſa, hincque denominationem etiam ſimilem nacta, à fibrillarum membranaceo-carnoſarum ruptura & eroſione, nonnunquam virulenta venereâ, indeque ſubſequente nutrimenti aliqua effuſione & concretione enata; vel ſpeciatim denominata *condylomata* tubercula diuturniora, duriora & eminentia in rugis orificiorum pudendi aut uteri inſtar internodiorum, quæ in complicatis digitis apparent, & à ſucci chyloſi nutricii infra cutem illuc depoſiti & ab acidis miasmatibus venereis malignis coagulati congeſtione emergentia.

28. Nec reticeri debent *rhagades*, quæ ſunt quædam oblongæ *rimæ* & veluti *ſciſſuræ* inter iſtas rugas orificiorum poſitæ, exulcerationibus harum ſupervenientes cum pauca aut nulla ſanie, aliquando tamen ſi fricentur ſanguinis effuſione, quandoque notabili prominentia aut duritie ſtipatæ, inter fibrillarum abruptarum & eroſarum intercapedines emergentes.

29. Gra-

29. Gravidis appropinquante partu aliquando *labia* pudendi ob ſanguinis refluxum impeditum *tumore ſeroſo* diſtendi ſolent, vid. Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. III. Ann. III. Obſerv. X., tumoris *ibidem* in femina quintum menſem gravidâ oborti caput hominis æquantis robuſtisſimi poſt ſuppurationem magnam cruentæ & purulentæ copiam dimittentis in Miſc. N. C. Dec. III. Ann. I. Obſ. CXIII, & alius *eryſipelatodis* in ſcholio ibid. addito fit mentio.

30. *Virga muliebris Clitoris* communiter nuncupata equidem naturaliter deliteſcit inter nymphas in ſinu pudoris, erumpit tamen ea ipſa ſubinde tàm longe foras, ut mentiatur Virum prodigioſa venus, aut ſatagant ipſæ propterea laſcivius cum aliis verſari mulieribus, vid. Nic. Tulp. Obſ. Med. l. III. cap. XXXV. M. N. C. Dec. III. Ann. IV. Obſ. CXII, & Ann. VII. & VIII. Obſ. XXXV.

31. Monſtroſum prorſus loco pudendi & ani *foramen, os piſcis hians repræſentans*, lanugine circumcirca ſeptum in virgine duos transverſos digitos infra umbilicum viſum, per quod non ſolum urina ſed & excrementa alvi ac ſtato tempore menſes excernebantur, deſcribitur M. N. C. Dec. III. Ann. IV. Obſ. CXII.

32. *Symptomata utero propria* vel circa *menſes*, vel *fœtus conceptionem & geſtationem*, ac demum *partum*, cumprimis obtingunt. 1.) Igitur *Menſium extraordinarius & præmaturus fluxus* evenit, quò pertinet eorundem mox à *nativitate & infantili ætate fluxus*, juxta Miſc. Nat. Cur. Dec. I. Ann. III. Obſ. CXIV. & CLI. Decur. I. Ann. IV. & V. Obs. XXIII. Decur. II. Ann. IX. Obs. C. Tulp. Obs. Med. l. III. c. XXXVI. 2.) Eorunde m *emanſio*, quando præſentibus pubertatis annis nec *apparent*, nec poſtea per totum vitæ decurſum in viraginibus quibusdam fluunt, idque aut propter peculiarem ſanguinis craſin, aut

propter

propter vaginam uteri prorſus occluſam, aut aliam vitioſam partium muliebrium conformationem organicam, ſterilitate ut plurimum comite individuo, etſi matrem fœcundam ſtante matrimonio nunquam menſes paſſam M.N.C. Dec.II. A.IV. Obſ.CXXVI. memoret, & inſolitum ſit menſes nonniſi ſub ingravidatione fluere juxta M.N.C. Dec.I. A.III. Obſ. CCCXLVIII.; vel *morbida ſuppreſſio*, quando qui jamdum *fluxerunt*, *intercipiuntur*, propter tubulos vaſaq; excretoria aut à pituita lenta tenaci glutinoſa obſtructa, aut ab aëre frigido aut medicamentis ſtypticis adſtricta, aut à prolapſu uterino aut vaginæ uterinæ vicinarumq; partium ſcirrhoſo phlegmonodeq; tumore aut diſtorſione compreſſa. 3.) *Stillicidium*, *fluxus dolorificus*, aut *idem inordinatus*, à ſanguinis deficiente turgeſcentia ſpirituoſa, fæculentia, inæquabili craſi ſcorbutica ac melancholica, vaſorumque anguſtia aut oppilatione proveniens. 4.) *Fluxus nimius* culpa uteri *laxioris*, *vaſorum* per anaſtomoſin diapedeſin diæreſin nimis apertorum, aut *à ſanguinis* bilioſi aut ichoroſi acrioris orgasmo, aut morbis ſolutæ unitatis prægreſſis ſuccedens. 5.) *Vitioſa qualitas*, quando menſes *decolores*, *pallidi*, *ſeroſi*, *nigri*, *virides*, *purulenti*, *fœtidi*, propter *digeſtionum* vitia, *humorum* corruptelam, *recrementorum* exuperantiam, *labemq;* partium *putredinalem* contractam effunduntur, quo etiam pertinet *fluor albus*, liquaminis vel pituitoſi viſcoſi, vel lymphatici ſeroſi, vel ichoreſcentis acrioris diverſimode corrupti, ex utero in minori vel majori quantitate facta excretio, hæcq; modo *continua*, modo per *intervalla ordinata* aut *incerta* affligens, vitio vel *uteri* fermento p.n. acido inquinati, aut *laxioris* & *ſpongioſi*, aut *oedematoſi*, aut *ſcirrhoſi*, aut *glandularum* vaginæ uterinæ nimium relaxatarum, virulentiâ ſeminis maſculini admiſſi venereâ corruptarum, eroſarumque; vel *vitio ſanguinis*, portiones chyloſas non aſſimilabiles, recre-

menta tartareo-salina scorbutica, itemque ichorosa & purulenta illuc deponentis; vel *vitio* denique *lymphæ*, propter lentorem suum, aut vascula lymphatica erosa, non uti decet refluentis, sed in motu interceptæ, uterique poris ac glandularum meatibus excidentis, ac pro vario corruptionis gradu, longiori morâ, & acquisita acrimonia, aëris demum occursu sive miscela sub hoc vel illo schemate profluentis: huc etiam referri poterit *mensium frigidorum excretio*, (siquidem apud Hippocr. lib. I. de morbis Mulier. XXII. 78. expresse τὰ καταμήνια ψυχρὰ denominantur) sanguinis & spirituum motui debiliori imputanda. 6.) *Per aliena loca excretio*, e. g. per ruptum pedum *tumorem*, vid. Barth. Cent. III. Obs. Hist. XVI. it. per *ulcus tibiæ* M.N.C. Dec. II. A.V. Obs. XXCI. per *abscessum* sub costis spuriis in regione epatis apertum Bartholin. Cent. II. Hist. XXCVII. per *vomitum* Cent. V. Hist. XXXII. M.N.C. Dec. I. Ann. IV. & V. Obs. LXXV. per *pulmones* Chiffletius Obs. Med. XXV., per *tussim* Bonnettus Theatr. tabid. vestib Exerc. XIV., per *anum* M. N. C. Decur. I. Ann. III. Obs. XXIV. 7.) Cum *alienis corporibus rejectio* e. g. cum ranis intermixtis vid. Append. ad M. N. C. Decur. II. Ann. IV. p. 216.

33. *Conceptio est* 1.) *abolita in sterilitate muliebri, proveniente* vel *ab utero deficiente, intemperato, nimium denso, cartilagineo, scirrhoso*, tum *obstaculis* ibid. & vitiis organicis diversis, *spiritus masculini intromissionem* excludentibus, vel ab *oviductibus, ovario* & *ovulis ejusdem energiam* non recipientibus, vel à *contraria* quasi *harmonia temperamenti vitalis* masculini & feminini, vid. Fortun. Fidel. de Relat. Medicor. l. III. c. VII. p. 371. 2.) *Depravata*, quando in vicem fœtus *mola* sive massa carneo-glandulosa inanimata sine ossibus ac membris distincte notabilibus, exterius pellicula obducta, figura formaque varia prædita utero continetur, *genita* aut à *staminibus seminalibus*

cordis

cordis aliarumque partium ideam complectentibus, ovulis mulieribus inclusis, propter fermenti genitalis masculini ineptitudinem debito modo haud *actuatis explicatis* ac *extensis*, aut ab iisdem propter compressionem in expansione sua & explicatione *cohibitis*, aut denique propter conquassationem nimiam aliasque causas *turbatis* & *confusis*. vid. M. N. C. Dec. II. Ann. II. Obs. CXXCV. Decur. I. Ann. I. Schol. ad Obs. I.

34. *Gestatio fœtus in utero* vel *simulatur* sub falsa *ingravidatione*, ab uteri *inflatione*, vid. M. N. C. Dec. I. Ann. I. Obs. I., *motu inani*, *mensiumque suppressione*, vid. Miscell. N. C. Dec. I. Ann. III. Obs. CXVIII., *tumore globoso cartilagineo osseo* M. N. C. Decur. II. Ann. I. Obs. LXXXIX. *globulo cartilagineo* ibid. Obs. CXXIII. p. n. incluso; vel *abrumpitur* sub *abortu*, fœtus sive imperfecti sive perfecti nondum tamen maturi ante legitimum pariendi tempus ex utero materno exclusione, inducta à fibrarum uterinarum motricium ac nervearum nimia relaxatione, ruptura, aut contractione expulsiva intempestiva: vel *nimium prolongatur* ultra consuetum terminum, exempla vid apud Dan. Sennert. Med. practic. lib. IV. Part. II. Sect. VI. cap. VI. Moronum in directorio Medico-practico p. 186. 188.; ubi ὡς ἐν παιδίῳ etiam meminisse liceat, *osticulorum* emortui in utero infantis per annorum XIII. spatium intra uterum relictorum, muliere interea bis pariente, juxta M. N. C. Dec. III. Ann. IV. Obs. XXCVII. *vel in alieno loco peragitur*, uti exemplum habemus singulare fœtus Mussipontani extra uterum in abdomine per plures annos detenti & petrefacti, de quâ vid. Laurentii Strausii resolutionem observationis Mussipontanæ cum additis Virorum Excellentiss. judiciis, conf. M. N. C. Dec. I. Ann. I. Obs. CX.

35. Partus denique sicuti *acceleratur* in *abortu*, vel *retardatur* in gestatione prolongata, ita sæpe per *insolitas*

evenit

evenit vias, de quibus leg. Bartholinus in pecul. dissertatione, Miscell. Nat. Cur. Dec. I. Ann. I. Obs. CX. p. 258. & 259., nonnunquam existit *mendosus hydatidum* sive *molarum vesicularium*, de quô legatur nostra observatio inserta M. N. C. Decur. II. Ann. VI. CLXIV. cum similibus exemplis in scholiis annexis, vel *aliorum* etiam *animalium* & *corporum*, e. g. *canis perfecti* vivi, item *serpentis*, M. N. C. Dec. I. Ann. II. Obs. LV. &c. vid. M. N. C. Dec. I Ann. I. Schol. ad Obs. I. Dec. II. Ann. II. Obs. LV. Append. ad M. N. C. Decur. II. Ann. IV. n. LXIII. p. 216; sæpius obvenit *difficilis*, *culpâ* vel *matris* partus laboribus exantlandis imparis, aut succumbentis, aut minus dextre se accingentis, vel *uteri* fibrarum contractionem expulsivam insufficientem molientis, vel *orificii* hujus interni tum *vaginæ* & *extremi pudendi* occlusorum, obturatorum, compressorum, arctatorum, vel *ossium* pelvim circumscribentium nimis renitentium, vel *fœtus* inusitatâ magnitudine præditi, gemelli, monstrosi, indecenti ad exitum situ collocati, debilioris, mortui; vel *funiculi umbilicalis*, motum fœtus ad egressum impedientis, aut tortuose circa hujus collum complicati, sicque strangulationis & suffocationis periculum intentantis; vel *membranarum fœtus* nimis durarum ac densarum, vel *aquarum* parturitionis præmature effusarum, vias alias lubricantium, vel denique *obstetricis* & *adstantium* inopiæ & imprudentiæ.

36. Post *partus vitia secundinarum retentio* hîc etiam sui exposcit mentionem, quam dicimus *membranarum* cum *placenta* post fœtum separationem & eliminationem ex utero impeditam, aut propter *earundem* firmiorem cum interiori cavernosâ & pumicosâ uteri substantia nexum & quasi inosculationem, aut intumescentiam phlegmonoden, aut funiculi umbilicalis abrupti aut amissi retrocessionem, aut spasmodicam orificii uterini internam adstrictionem, aut amissas prorsus mulieris vires.

37. Sed & hîc sunt recensenda *lochia* sive *uteri purgamenta*, nimirum recrementa sanguinis & seri circa uteri lacunas partim tempore gestationis deposita, partim de novo huc delata, & ex vasculorum tubulorumque uterinorum illuc terminatorum osculis, ob avulsos placentæ uterinæ acinos glanduloso, ac abruptas membranarum fœtus connexas fibras, conniventibus ac denudatis exstillantia, quæ non absimili ac menses modo, nunc *supprimuntur*, nunc *parce*, nunc *nimium fluunt*, & quidem ob easdem causas quas supra in §. XXXII. proposuimus, dextre huc applicandas.

38. Ceterum sub *partu difficili* ob fœtum grandiorem *sinus muliebris* sæpe fibris dilaceratis perrumpitur, ac ob *sphincterem vesicæ urinariæ* sive à gravissimis parturiendi laboribus, sive ab imperita & temeraria obstetricis manu *divulsum*, *incontinentia* urinæ, nonnunquam incurabilis, remanet.

SPECIMEN X.

§. 1.

HIppocrates maximus ille Medicorum, hujus ſcientiæ conditor ac naturæ peritiſſimus à ſapientiſſimo Seneca Epiſt. XCV. judicatus, verè in Epiſtolâ ad Damagetum altera num. 297. ſcripſit: "ολος ἄνθρωπος ἐκ γενετῆς νοῦσος ἐστίν, *totus homo ex nativitate morbus eſt*, ſiquidem ſub ipſis conceptionis & formationis primordiis jamdum ſeminia quaſi quædam *embryoni* ingenerantur morbifica, vitioſi inprimuntur characteres, ideæ efformantur pravæ, & *plurima* obtingunt *præternaturalia*, quibus præcipuis recenſendis in Diſquiſitione corporis humani anatomico-pathologica noſtram heîc officioſam ſedulitatem atque opellam tantiſper impendemus.

2. Quemadmodum enim parentum effigiem, ac vultus lineamenta, corporis proceritatem vel exiguitatem, temperamentorum conſtitutionem, animorum mores, & adſuetudinem æmula repræſentant indole nati, & juxta notiſſimum illud Horatii Carminum lib. IV. Ode IV.

Fortes creantur fortibus, & bonis
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam:

Sic viceverſa à *genitoribus morboſam corporum diatheſin* ſub generatione recipiunt *geniti*, quod quotidiana *hæreditariorum morborum* exempla confirmant, adeò ut à paentibus utriusque ſexus liberi apoplexiam, epilepſi-

am, phthiſin, nephritidem, arthritidem, &c. ſequioris autem perſonæ à matribus circa tributum lunare, conceptionem, geſtationem, partum, lochiorum fluxum, lactationem, obvenientia familiaria ſymptomata, hæreditario quaſi jure habeant & aſſumant.

3. Equidem *patres* cum *ſpiritu energetico ſeminali* μιάσματα vel βλαςήματα quæpiam morbida ad ovula muliebria transfundere probabile eſt, quæ & futuri embryonis ſtamina primordialia varie disponere, partibusque tam ſolidis quam fluidis certos motus imprimere, & ubi per ætatis decurſum breviorem aut longiorem maturitatem conſecutæ, aut uberiorem *fomitem*, quo ſeſe multiplicent, adeptæ fuerint, in actum citius ac tardius erumpendo, *conſimilia* ſibi *corporum* & *animorum pathemata*, ibi producere poterunt.

4. *Matres* autem, cum intra *ovula* ovario ſuo comprehenſa *materiam ſeminalem*, ex quâ fœtus formatur, non ſolum contineant, eandemque continuo ſanguinis & ſpirituum affluxu quaſi vivificent, ſed & ovulo poſt conceptionem ad uterum deducto pro nutritione & accretione *chylum* ſubminiſtrent, nec minus *ſpirituum animalium varios impulſus & modificationes* ſub animi paſſionibus & phantaſiis multiplicibus exortos, pariter partibus tam ſolidis quàm fluidis fœtus communicent, ſingulis hisce & morbifica ſeminia committere, & vim πλαστικὴν in ἀνωμαλίαν ἀταξίαν καὶ ἀκοσμίαν diverſam redigere, rationi conforme videtur.

5. In fidem dictorum lubet nobis primum recenſere, ex eruditiſſima Dn. Johannis Burchart Diſſertatione Medica inaugurali, de hæreditaria diſpoſitione ad varios affectus Halæ Magdeburgicæ Anno ſuperiori MDCCVI. habita, §. LI. prolatam hiſtoriam de *conjugibus*

gibus, è quibus maritus *altero oculo* in bello privatus erat, uxor autem *altero oculo capta*, panno ſuperinducto incedebat: genuerunt *filium* & *filiam*, *filius* lineamentis faciei *parentem* exacte referens, etiam exquiſite uti pater *alterum oculum* penitus *exſiccatum* habebat: *filia matrem* facie plurimum æmulans, habebat quidem utrosque oculos claros ſatis, atque bene conſtitutos, *illum* tamen, quo mater laborabat, & *toto bulbo altero minorem*, & adeò *profundiorem*, & *palpebram* inſuper ita *tenuem*, *arctam* & parum *mobilem*, ut ultra calami ſcriptorii mediocris latitudinem illum aperire non valeret.

6. Et profecto, quantæ ceteroquin ſit *imaginationis maternæ in fœtum efficacia*, innumeris comprobare liceret exemplis, quibus tamen prolixe recenſendis, ne temporis pretium nos ignorare quiſpiam præſumat, inpræſentiarum immorari nolumus, dum unam alteramve *obſervationem* notatu dignam ſaltem appoſuiſſe juvabit. Ita namque Miſcell. Natur. Curioſor. Decur. II. Anni VI. Obſ. CL. memorat *filium vulnere ſub pectore quaſi ſtudio inflicto* & *ſanguinem lymphatico humore mixtum ſtillante* natum, culpâ matris, quæ gravida oculis nimium defixis ſtatuam ſalvatoris crucifixi humi jacentem cum vulnere inſculpto ſanguinem fundente affabre depictam contemplata erat. Ejusdem Decuriæ Ann. VIII. Obſerv. CLXXXVII. noſtra *fœtum* exhibet *natum cum tumore inſigni ab oſſe ſacro natibusq; cumprimis ſiniſtrâ pendulo, partim albo partim rubore ſuffuſo vaſculisq; ſangviferis dotato*, ex matris imaginatione, quæ ventriculum ſuillum prægrandem cruore & lardo infarctum, Germanis einen Säuſack dictum, cupidis conſpexerat oculis, & admiratione permota manibus primum in altum elatis, dein depreſſis nates ſibimet percuſſerat. Prædictæ Decuriæ Ann. VI. Obſerv. XIII. refert *fœtum nigrum* à matre pulvere

pyrio aduſtâ excluſum; & proxime ſubnexa Obſ. XIV. narrat *matronam*, cùm ſub Sacræ Cœnæ uſu *calicem bis libaſſet*, *tertiam* autem *delibationem* ipſi ſacerdos denegaſſet, peperiſſe quarto conſequente die *tres filios*, quorum *duo priores* ſani ac vivi erant, *tertio* mortuo uteri clauſtris emancipato, & in liberum mundi theatrum dimiſſo; cui non abſimilis eſt Obſ. à J. Hellwigio phyſ. med. LXXXVII. conſignata gravidæ, quæ poſt *unum* à *viro* conceſſum *ſuræ nudæ morſum*, cùm ſecundus denegaretur, mœſta abiens paucos poſt dies gemellos etiam partu excluſerat, *viventem unum* & *alterum demortuum*; huc etiam pro ulteriori confirmatione facit Joh. Langii Lib. II. Epiſt. Medicin. XII. hiſtoria de *alia quapiam*, quæ cum humero piſtoris denudato *binos morſus* inflixiſſet, *tertio* non conceſſo, *tergemìnos* fœtus enixa erat, *duos vivos*, & *tertium mortuum*. Porrò in M. N. C. Decur. II. Ann. VIII. Obſ. LIII. mentio fit *filioli labiis leporinis geminis, oculisq; clauſis ac cæcis cum fovea cranii in vertice* nati, propter matris pravam, à viſo mendico labiis leporinis deformato, & altero cœco, *imaginationem*, atq; à camelo obvio labiis & faucibus horrido eidem incuſſum terrorem; & in ſubſequenti LIV. ſiſtitur figura *trunci infantilis ſine artubus* per partum editi, poſtquam miſera mater poſt medium conceptionis tempus à mendico brachiis pedibusq; truncatis humi repente terrefacta hunc defectum quoq; extremorum impreſſit embryoni: Nec minus huc ſpectat Obſervatio M. N. C. Decur. I. Ann. II. LXI. de *muliere* partui vicina, quæ viſa civis utraq; manu curvâ paucis diebus elapſis *filiolum incurvatis manibus & pedibus* partu excepit. *Viſcera* extra *abdominis*, cute externa ſaltem tecti & clauſi, *cavitatem propendentia*, ex prava imaginatione ancillæ ingravidatæ exenterato vitulo oculos attentius advertentis, deſcribuntur in M. N. C. Decur. I.

Ann.

Ann. III. Obſ. CIII. & Hœchſtetterus Obſ. Medic. Decad. VI. caſu quinto mortui meminit infantis cum pendulis extra abdomen inteſtinis, involucro vaſorum umbilicalium incluſis, culpa quoque ab imaginatione proveniente. Joh. Baptiſta van Helmont Tr. de injectis materialibus §. 9. tradit, *ſartoris uxorem* Mechliniæ præ foribus ſpectaſſe militem in conflictu manum amittere, ſtatim perculſam terrore peperiſſe *filiam una manu, altero autem cruentoq; brachio extinctam*, quod manus ejus non reperiretur, & hæmorrhagia infantem interimeret; ſubditque mox *uxorem* Mercatoris Antverpienſis Anno 1602. viſo milite mendicante, cui pila ferrea in obſidione oſtendana dextrum brachium abſtulerat, illudq; adhuc cruentum circumferebat, mox abinde *filiam* peperiſſe *orbam brachio*, & quidem *dextro*, cujus *cruentus adhuc humerus* per chirurgum ſolidare debuit; adhæc l. c. §. 8. præmiſit idem *hiſtoriam*, quæ fidem ferme ſuperat, de *prægnante*, quam libido edendi conchilia nigra inceſſerat, cumque aliquot præcipitanter comediſſet, ut & teſtas crudas bis terve dente conciſas devoraſſet, mox infra horam *fœtum* enixam eſſe ſanum & adultum, *cum iisdem ſemimanſis teſtis, & vulneratum in abdomine*. Probabilitatis ſpeciem magis præ ſe fert Obſervatio M. N. C. Decur. I. Ann. IV. & V. XXI. annotata in *uxore* quapiam, quæ cum ſeptimo ingravidationis menſe circa rem culinariam occupata *bombardam* cum fragore inſigni explodi audiiſſet, perterrita exinde globum clunes ferire exiſtimans, manum derepente, averſura quaſi globum, circà inteſtinum rectum protrudit, excluſit autem poſtmodum juſto tempore *puerulum, foramen circa anum rotundum* habentem, quod *circà inteſtinum rectum* ad digiti longitudinem intra corpus, ut ſtilo immiſſo judicare licebat, extendebatur, & poſt elapſum

trium menſium ſpatium ſanioſam fundebat materiam; conf. obſ. ſequens XXII. Quibus lubet ulterius ſubnectere geminam, ſed ſimilis argumenti, *hiſtoriam* ex M. N. C. Decur. II. Ann. I. Obſ. XL. excerptam, *alteram filii* ſimul ac in lucem excluſus erat ex faucibus *ronchum ſonorum* per 36. horas edentis, roncho canis in hoſtem irruituri æquiparandum, poſtquam prægnans mater caniculæ inimico faucium in filiolæ faciem involantis ſtrepitu perculſa fuiſſet; *alteram filii* ad inſtar porcorum *grunnientis*, dum mater geſtationis tempore ab horrendo ſuis grunnitu abominationem conceperat. Coronidis loco addimus *puerum* quoad manus & pedes *ſquameum*, quoad *brachia* autem *& crura, adeoq; corpus totum* (ſolo excepto capite) *veluti phocæ pelle tectum*, Biſegliæ regni Neapolitani ad Hadriæ littora oppido, Patre Petro Antonio Conſiglio & matre Eliſabetha Naſtaſia proſatum, deformitatis cauſa prægreſsâ matris, cum linteamentorum purgandorum cauſa littus petiiſſet, nimis intenta in ſquammatos & teſtaceos piſces oculorum acie, quem Cornelius Stalpart van der Wiel Obſervat. rariorum Cent. poſterioris Part. prioris Obſ. XXXV. accuratè deſcripſit, & æri inſculpi fecit, nobis autem heîc loci aliquot abhinc annis intueri datum eſt, ſquama manui demta adhuc penes nos exiſtente. Plura de imaginationis maternæ in fœtum poteſtate leg. in citati Stalpart. van der Wiel annotat. ad Obſervat. propoſitam, Excell. D. D. Steigerthalii Diſput. ſub præſidio Schraderiano quondam Helmæſtadii habita de imaginationis maternæ in fœtum efficacia, & Miſcell. Naturæ Curioſorum Decur. III. Ann. VII. & VIII. Obſ. LVI. Marc. M. à Kronland. lib. I. Idear. operatric. Idea cap. IV. Schol. ad M. N. Curioſ. Decur. I. Ann. II. Obſ. LXI.

7. Ne-

7. Neque verò ulterius hîc vacat *conformationis multifarias læsiones & immutationes præternaturales* in aliis *monstris* obſervabiles referre, utpote quibus deſcribendis operam ſuam jamdum commodaverunt Fortunius Licetus de monſtror. cauſis natura & differentiis, Ambroſ. Paræus operum XXIV. de monſtris & prodigiis, & Dionyſius van der Serre in Epiſtola ad Stephanum Blancardum perſcripta de monſtrorum generatione; dum in talium geneſi vel ſponte aberrantis virtutis plaſticæ luſum, vel ob pravam imaginationem & ideas impreſſas factam emotionem & turbationem, vel etiam quandoque τὸ θεῖον & occultum quid præſupponendum eſſe cenſemus.

8. Attendimus quin potius *puellam absq; funiculo umbilicali* editam, in Miſcell. Natur. Curioſor. Decur. II. Ann. VII. Obſ. CCIX. propoſitam, umbilicum inſtar infantis plurium menſium jamdum in utero nactam, præterquam quod proceſſus parvus inſtar vermiculi longitudinem articuli digiti minimi non attingens, plane tamen impervius & occluſus prominuerit, dum altera funiculi umbilicalis portio à placenta pendula longe tenuior nec rugoſa, in extremitate umbilicum ſpectante plane cœca & imperforata erat, nec veſtigium unquam præſentis alicujus aperturæ monſtraverat; atque inſimul nos recipimus ad memorabilem *maſculum infantem ſine umbilico*, imò ne *minimo quidem funiculi umbilicalis indicio* natum, à C. Stalparto van der Wiel Obſervat. rarior. Centur. poſter. part. prior. Obſerv. XXXII. deſcriptum, qui exinde nutritionis per os neceſſitatem in embryone abunde monſtravit, filius autem Petrus Stalpart van der Wiel in peculiari exercitatione eandem ſententiam paulo fuſius confirmavit.

9. *Fœtus*

9. *Fœtus sine epidermide natus* apud Camerar. Syllog. memorabilium Cent. III. p. XXXV; *talis* ex potu & appetitu nimio *eadem* orbatus & *semicrudus* M. N. C. Decur. II. Ann. IX. *alius* à calore febrili matris febricitantis quasi *excoriatus* Decur. ejusd. Ann. VI. Obs. CLI. *extra uterum lapidescens* in Laurent. Straussii Historiâ fœtus Mussipotana, *viginti octo annis in utero gestatus & petrificatus* Sennert. Lib. IV. Med. practic. Part. 2. Sect. 4. cap. VIII. *in utero exsiccatus* Miscell. Naturæ Curiosor. Decur. III. Ann. VII. & VIII. Obs. XXIV. Decur. I. Ann. IX. & X. Obs. CLXII. Bartholin. Histor. Anat. Cent. I. XCVI. Hildan. Cent. II. Obs. LI. *in utero putrefactus* C. Stalpart. van der Wiel Observ. rarior. Cent. I. Obs. LXXI. *post alterius fœtus abortum in hujus placenta inclusus cum propriis secundinis* M. N. C. Decur. II. Ann. V. Obs. CCXXXIII. *amnio adnatus parvulus digiti instar durus & quasi ex latere cocto formatus*, C. Stalpart. van der Wiel. Cent. I. Obs. LXXIV. *abortu excluſus cum infinitis parvis globulis piscium ova referentibus* Panarolus Pentecost. II. Obs. XVIII. *In tumore strumoso feminæ post obitum aperto repertus, medii digiti longitudinem largiter æquans, in quo cranium manus & pedes optimè discerni poterant* M. N. C. Decur. II. Ann. X. Obs. LVI., *ex vesicâ aqua plena asperæ arteriæ adhærente in utero matris mortuus* in Panarol. Pentec. I. Obs. V. *exanguis* à matre ad cachexiam disposita, usui spiritus vini & cereviſiæ triticeæ nimium indulgente, *editus* Miscell. Natur. Cur. Decur. II. Ann. II. Obs. CLXXXI. *loco fœtus perfecti corpus ovatum partu rejectum anserino ovo proximum suis tunicis involutum, quibus resectis non distincta humani corpusculi figura, sed rudis & obscura moles apparuit*, Miscell. Natur. Cur. Decur. II. Ann. IX. Obs. XXXVIII. describuntur.

10. *Infans sine capite* ex M. N. C. Decur. I. Ann. III. Obs. CCLXXVII. *sine cerebro* Ejusd. Decur. & anni

Obs.

Obſerv. CCXXIX. C. Stalp. van der Wiel Obſerv. rar. Cent. I. Obſ. II. *ſine cranio & cerebro* M. N. C. Decur. I. Ann. III. Obſ. CCLXXX. *fruſtulatim per alvum excretus*, Tulpii Obſ. lib. IV. c. XXXIX. Moroni directorio p. 188. *per umbilicum exemtus ruptis inteſtinis & horum motu periſtaltico extra abdomen conſpicuo*, ex M. N. C. Decur. III. Ann. V. & VI. Obſ. CVI; *fœtus gemellus, quorum alter ſuo capite alterius capiti inſiſtens impedimento fuit, quò minus neuter naſci potuerit*, ex M. N. C. Decur. III. Ann. IV. Obſ. CXXII. nobis innotuerunt.

11. *Monſtroſus flexilis & exoſſis fœtus* à G. H. Velſchio Hecatoſt. I. Obſ. VIII. p. 101. *puer ſine oſſibus coagulatis genitus*, à Ph. Grülingio Cent. V. Obſ. LXVI., *alius in artubus oſſibus deſtitutus*, ita ut brachia & manus inſtar chirothecæ circumvolvi potuerint, in Act. Hafnienſ. Vol. III. Obſ. XXIV. & Vol. V. p. 275. Th. Bartholin. Hiſt. Anatom. Cent. VI. Obſ. XL., *conſimilis farinæ homo*, cujus pedes & brachia ita flexibilia erant, ut pro lubitu manibus tractari & inſtar lori contorqueri potuerint ſine omni incommodo ac dolore, ab Excell. P. Rommelio M. N. Cur. Cent. II. Ann. VII. Obſ. CCXII. memoriæ produntur.

12. *Fœtus vivus* comitiſſæ cujusdam, feminis pluribus ſimul præſentibus, cùm obſtetrix caput jam tangeret, ſurreptus, neq; à matre neq; adſtantibus quàm maxime ſtupentibus unquam viſus, à Salmutho Cent. II. Obſ. LV. narratur, ſed recte obſtetricis tanquam ſagæ maleficio potius, quàm cauſis naturalibus imputatur, conf. M. N. C. Decur. I. Ann. I. Schol. ad Obſerv. I.

13. *Embryo prægnans*, & inventus in fœtu alius fœtus ſexus feminini in loco conſueto ſitus, circiter ſpithamam longus, unguibus & pilis donatus ad morem fœtus perfecti, non tàm miraculum quàm ingenioſum

commentum haberi posset, nisi propter certissimam eruditionem alioquin incredulus Th. Bartholinus, summa autoritate atque fide Vir, ex obstetrice Sisselia juramento adstricta, id se non opinari sed scire Hist. Anat. rar. Cent. VI. histor. c. ult. scripsisset, addito hoc Pliniano epiphonemate: Scrutare tu causas, potes enim, quæ tantum miraculum efficiunt, mihi abunde est, si satis expressi, quod efficitur.

14. *Fœtus* sub partu difficili ob collum uteri abscessu prominulo turgidum *cranii depressionem ad intra* perpessus in M. N. C. Dec. I. Ann. II. Obs. CLXXX, *quidam in vertice cranii foveâ* excavatus M. N. C. Dec. II. Ann. VIII. Obs. LIII. *alius diffractis in utero lumbis editus* C. Stalp. van der Wiel Obs. rar. Cent. poster. Part. prior. Obs. XXXIV. itemq; *spina bifida deformis* Tulp. Observ. Medicar. lib. III. c. XXX. describuntur.

15. Ceterum cùm *fœtus* in utero chylo nutriatur *matris*, & sanguineo *ejusdem* foveatur calore, tam à *chyli* quam *sanguinis materni exuperantia*, *vasculorum tenerrimorum* nimiam *distensionem*, *fibrarum* & *viscerum pressionem*, *spirituumq; sufflaminationem*, venæsectione materna justo tempore relevandam, experiri, & viceversa *denegato* chyli nutricii necessario *pabulo*, ac caloris blando subtracto *fomento*, atrophiam actionumque singularum imminutionem contrahere solet.

16. Adeoque *fœtus* etiam cum *chylo materno aëriq; interfluis moleculis* à matre morbifera suscipere miasmata deprehenditur. Sic M. N. C. Decur. I. Ann. I. Obs. LIII. generosi viri uxorem, cùm ante variolis laborâsset, *filiam* peperisse *vestigiis variolarum conspicuam*, & adhuc in utero materno simul cum matre variolis affectam legimus, conf. M. N. C. Decur. II. Ann. VI. Obs. LXI. Joh. Rhodius Cent. III. Obs. Med. LXXXIII. Th. Bartholinus

Cent.

Cent. III. Ep. LXXXV. Hildanus Cent. IV. Obſ. LV. *filiolum hydropicum* partu excluſum à matre cereviſiæ ſecundariæ largiori potu aſſumto M. N. C. Dec. I. Ann. I. Obſ. XLII. narrat. *Fœtus ſanguinem & oſſa ab ictero matris flavo colore tincta* Kerckringius ſpicil. Anat. Obſ. LVII., item duas *puellas coloris lutei* natas poſt epotum medicamentum, cui admixtus crocus erat, Amat. Luſitan. Cur. Medicin. Cent. V. fol. LXXI. notat. *Puellam* ab Illuſtriſſima quadam Comitiſſa *eryſipelate* laborante gravida *idem pathema* contraxiſſe ipſe novi. *Morbillis* correptam Baroniſſam, ultimo imprægnationis menſe, fœtum maculis rubris ſignatum edidiſſe M. N. C. Dec. II. Ann. III. Obſ. XCVII. teſtatur. *Febres intermittentes* à *matre* ad *prolem* tranſire ex Fernelii Patholog. lib. I. c. XI. & M N. C. Decur. II. Ann. V. Obſ. XLIV. Barthol. Centur. IV. Ep. LXXXVI. *luem veneream* ab infecto gravidarum corpore ad embryonem transfuſam ex M. N. C. Dec. II Ann. VI. Obſ. LXI. *verrucas gallicas* ſimiliter per traducem quaſi propagatas, ex ſingulari à me habita obſervatione, *epilepſiam* à matre infanti communicatam ex M. N. C Decur. I. Ann. III. Obſ. CLX. conſtat. Rarum exemplum recenſet Cl. Philip. Jacob. Düttel auditor olim noſter ſumme induſtrius & amicus ſuaviſſimus in Diſput. ſua inaugurali de morbis fœtuum in utero materno §. VI. de *veſicæ calculo* in ipſo infante intra uterum concreto, nempe enim ante viginti & quod excurrit annos Sereniſſimi Ducis Zeizenſis Mauritii uxor ex renali calculo magnos ſubinde dolores perpeſſa, peperit principiſſam, quæ mox à partu atrocia tormina experta fuit, præſertim in mictione, tertia ſeptimana moriebatur, aperto corpore in veſica inventus fuit calculus inſtar lapidis perſici majoris.

17. Si-

17. Silentio præterimus *nævos maternos multiplices protuberantes & planos, figura & colore variantes*, quibus hinc inde intra uteri hoſpitium in corporis extima ſuperficie embryones, aut ex vitioſa matris imaginatione, aut humorum congeſtione, coagulatione & interceptione, ſignari conſueverunt; de quibus vid. Theoph. Bonett. Med. Septentrionalis lib. I. Sect. I. cap. VIII. & Sect. XXVI. c. I. & II. & Corn. Stalpart. van der Wiel annotationes ad Obſerv. rarior. Cent. poſterior. Part. prior. XXXVI. p. 379. & ſeq. Unicam ſaltem liceat huc excerpere hiſtoriam ex M. N. C. Decur. I. Ann. II. Obſ. LXXXIII. de conjuge circa initium noni ab imprægnatione menſis inopinato metu perculſa, propter incendium in urbe, dum illa ab eo temporis momento male ſe habere cœpit, motumque infantis per triduum nullum ſenſit, ſequentibus verò diebus admodum debilem, variis autem uſurpatis roborantibus octavo die peperit filiam bihorium tantum viventem, cujus totum *ſiniſtrum latus à capite usq; ad calcem colore flammeo* conſpiciendum erat.

18. *Vagitum fœtus in utero auditum* Hornung. Ciſtæ Med. Epiſt. 81. p. 218. refert, & cumprimis confirmat Gualt. Needham. in diſquiſitione anatomica de formato fœtu cap. III. p. m. 96. & ſeq. quem tametſi nonnulli in dubium vocent, eò quod embryo uteri clauſtris membranarumq; carceribus incluſus haud liberâ aëris gaudeat per reſpirationem uſura, nos tamen haud prorſus eandem negandam cenſemus, quo magis compertum eſt, pullum in ovo tum ante fractam teſtam, tum poſt hujus fracturam membranis adhuc integris exiſtentibus pipire, & aliàs vix negari poterit, chylo materno intra pulmones aſſociatas aëris moleculas etiam fœtui ſurrogari, hujus pnevmonicas veſiculas ab aëris tantillo intercedente à coalitu prohibitas, ventriculum & inteſtina halitibus aereis turgida cerni, amniique liquori aëris etiam corpuſcula procul dubio interfuſa eſſe, ſicuti aliàs fluidis aërem interfuſum eſſe Boylianis experimentis hodie evidentiſſime demonſtratum eſt; tametſi rarius obtingentibus & peculiari humorum diatheſi aut pulmonum texturæ etiam vagitum talem adſcribendum eſſe lubentiſſime concedamus.

19. De reliquo fœtum *ſingultiiſſe* intra uterum ex Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. VI. Obſerv. XV. reſcivimus, *infantes* autem *nondum natos locutos eſſe*, Auguſtinus de Civitate Dei l. III. c. XXXI. ſcripſit.

SPECIMEN XI.

§. 1.

Infimi ventris historiam pathologico-anatomicam jamdum declaratam, nunc excipiat *illa*, quæ *medii ventris* sive *thoracis dispositionem præternaturalem* nobis revelet. Ubi quidem generatim primum innuisse juvabit, sapientissimum opificem *internum* ibi *spatium*, superius sub collo claviculis, dein costis utrinque clausum, exterius pectore lateribus dorso ac scapulis circumscriptum, demum inferius diaphragmatis termino præcipuè definitum, adeo amplum affabre efformasse, ne cordis pulmonumque motui *obstaculo* foret, *quale* tamen mox evenit, sive affectato virgines studio ad servandam corporis gracilitatem pectus arctius thoracalibus stringant, sive deformis gibbositas ex inflexione aut extorsione spinæ aut curvatura sterni enata dicti spatii dimensionem imminuat, pessimis secundæ valetudinis rebus, in priori etenim casu cachecticus vultus pallor cum symptomatum pernicioſorum aliorum syndrome vitalem ac progressivum sanguinis motum depressum satis arguit, in posteriori superveniens asthma ante pubertatem afflictos fato concedere Hippocrates noster Sect. VI. Aph. 46. ex fide experientiæ testatur.

2. In Rachitide pectus *angustum* & *acuminatum* obvenire erudite declarat Joh. Mayow in pecul. dissertatione num. 5., sed & in mammosis & obesis mulieribus à mole mammarum os sternum acuminatum, sicque pectus angustum, evasisse, atque hinc talibus continuam dyspnœam natam fuisse ex Riolano infert Isbr. Diemerbröck. Anat. lib. IX. c. XIV.

3. Amplum & præcipuum cordis coſtarumque firmamento datum pectoris os, *ſternum* dictum, ſubſtantiâ ſua cavernoſa humores acres, ſanguinem extravaſatum, indeque productum pus admittit, *abſceſſibus ulceribus fiſtulosis* ideo quin & *cariei* hinc obnoxium, vid. Miſcellan. Natur. Curios. Decur. II. Anni III. Obſ. CXL. Petrus de Marchettis Obſerv. Chirurg. XXXIX.; redit vero ὡς ἐν καιρῷ hîc in memoriam mihi rara obſervatio Noribergæ in mercatore quopiam antehac habita, qui cum graviorem lapſum ad ſternum in adoleſcentia perpeſſus eſſet, in virili demum ætate immenſis pectoris afflictus doloribus poſt mortem ſternum purulentâ carie deperditum ſpectatoribus exhibuit.

4. Sterni *dolorem* non ſævum nec aſperum, ſed pertinacem ac diuturnum, & qui intermitteret quotidie magnam diei partem, inſpiratione tamen valida ac profundis ſuſpiriis, ut & ſubita ac magna corporis reſupinatione, capitisque ad dorſum reclinatione, nec non pandiculatione exacerbari ſolitum, ab humore, inter membranam peculiarem (illa enim toti thoraci communis pleura ſeu ſuccingens dicta, à ſterno longius recedit, dum mediaſtinum conſtituit,) atque ipſum ſterni corpus, qua cavitatem thoracis introreſpicit, impacto, haud magna copiâ, nec valde acri aut maligno, bilioſo tamen, profectum deſcribit Arnoldus Bootius de affectibus omiſſis cap. XI. p. m. editionis ſecundæ Helmſtadienſis 28., ſimilemque ſe in Gedeone de Bergeries temperamenti fervidi viro, crine rubro, deprehendiſſe, ferro ac ſeta admiſſis ichore flaveſcente ſubducto levatum, refert Th. Bonetus Polyalth. Tom. II. lib. III. de pectoris affectibus c. IX. p. 86.

5. Interdum uſu venit *frangi* aut etiam *violenter introrſum deprimi ſternum*, dum fracturam prodit inæqua-

litas

litas tactu perceptibilis, ad digiti impulsum introcessio, & crepitantium sub digitis ossium strepitus, depressionem verò manifesta in parte cavitas, tussis, sputum sanguinis, atque ex membranæ costas succingentis ac pulmonum compressione dyspnœa arguunt, vid. Paeus oper. chirurgic. lib. IIII. cap. X. Petrus Pavv de ossibus part. III. c. III., ut adeo sterni cum costis ad interna reflexionem nativam spirandi difficultatis causam extitisse ex Observationibus Bauhini recte comprobaverit Schenckius Observ. medicinal. de ossibus lib. II.

6. Speciatim *mucronata cartilago depressionem prolapsum* ac *reflexionem* versus interiora suscipit, Italis vernacula lingua l'anima caduta dictam, falso verò Germanis das Nabel-Verrucken oder Abbrechen denominatam, ab ictu, lapsu, & allisione ad objectum durum renitens, aut violenta corporis contorsione ac quasi conglobatione, (quale exemplum in adolescente XV. annorum heic loci antehac deprehendi,) inductam, rarius, nec nisi in tenera ætate, á relaxatione, humorum serosorum decubitum sequente, evenientem, dolore insigni ventriculi, prostrato appetitu, vomitu, quin & nisi medela detur, atrophia, ictero aliisque gravioribus symmatibus stipatam; rarioribus enim contingentibus quis merito accensuerit observationem, ab Excellentiss. Ephemerid. nostrarum Directore, D. D. Wurffbainio, Fautore, Affine & Collega honoratissimo M. N. C. Decur. III. Ann. I. in scholio consignatam, in pastore quopiam habitam, cui interiora versus mucronata cartilago sine omni molestia depressa fuerat. Adhæc juxta Veslingii observationem Syntagm. Anat. cap. IX. *eadem cartilago extrorsum* recurvatur, nonnunquam *digiti longitudine* ad umbilicum usq; producta, pariterq; rigida, plu-

mum tam chyli distributioni, compresso pyloro, quàm flexui corporis versus anteriora obstat, confirmante idipsum Rolfincio in Dissert. Anatomic. lib. II. c. XLI. p. 399.; *induratam* ac *osseam nactam duritiem* de summa respirandi difficultate querulos effeciſſe homines memorat P. Pavv I. c., qui insuper annotat, in tabidis, item hypochondriacis, viscerumque abdominis, lienis, jecoris, ac mesenterii potissimum, obstructionibus laborantibus, conspicuam quam maxime esse supra cartilaginem xyphoidem lacunam ac foveam, etiam pugni capacem, quantam in lenta tabe defuncto Per-Illustri quodam Libero Barone in Suevia non absque stupore me conspexisse memini. Adhæc mucronatam eandem cartilaginem *bifidam* in Theatro nostro Anatomico Altdorfino bis mihi videre obtigit.

7. Costæ *luxationis* versus superiora, inferiora, & anteriora recedentis, obnoxiæ fiunt periculo, quoties aut humores musculorum membranarum & ligamentorum, capitula bina earundem cum vertebris propinquis firmantium, nimiam causantur *relaxationem*, aut causæ violentæ externæ capitulorum è sedibus *evulsionem* aut *dimotionem* efficiunt, recensetur hanc in rem memorabilem casum Th. Bartholinus Histor. Anatom. rarior. Cent. IV. hist. LXVI. Celeberrimi Simonis Pauli, qui cum superata febre maligna in Scaniam vocatus esset, in itinere salebroso & saxoso sive crebris concussionibus, sive à defluxu humorum post morbum ad spinam dorsi, dolore ingenti lateris sinistri prope spinam correptus, cum sterni tumore & protuberantia, tandem tumore sublato semiluxationem octavæ costæ veræ accurate pertentantibus videndam præbuit. In moniali a palpitatione cordis *duas loco motas costas* consignavit Höchstetterus Decur. IX. Observ. Med. c. IX.

8. Nec

8. Nec minus *fracturæ* expositæ sunt damno, qualem à palpitatione cordis illatam, in Philippo Nerio Florentino ex Angel. Victorii Consult. Medic. XCVII. prodit Schol. ad Obs. XVII. M. N. C. Decur. II. Anni VI., talem cum vulnere, sideratione, ac pulmonis hydrope M. N. C. Decur. III. Ann. V. & VI. Obs. CCLXXVII; similem ex lapsu Hildanus Cent. V. Observ. XXCV. proponit.

9. *Depressioni* porrò & *plicationi* à causis externis intentatæ succumbunt costæ, ut docet Forestus Obs. Chirurg. lib. VIII. Obs. VI., sic & dyspnœam à nothæ ultimæ costæ cartilagine depressa, subortam, hacque in locum restituta mox ablatam recenset Bonetus sepulchret. sive Anatom. practic. lib. II. Sect. I. in Schol. ad Obs. CXVI., additque ex duarum *costarum extremarum cartilaginum depressione*, quarum inferior superiori incumbebat, pariter spirandi difficultatem pectoris oppressionem vomitumque in nobili puella Lausanensi subsecutam esse.

10. *Costas duas tresve admodum connexas* in notatu dignum tumorem excrevisse Columbus lib. XV. Anat. annotavit: Platerus autem de functionum læsionibus lib. II. cap. IV. de respirationis defectu p. m. 361. & seq. advertit, *cartilagines costarum*, quæ ad motum faciliorem edendum, circumferentiam pectoris ex parte componunt, si *induratæ in substantiam osseam* reliquis costis similem convertantur, quod senii causa aliquibus, aliquibus citius, idque fere mulieribus mammarum sustinendarum causa evenit, quia tunc thorax sufficienter dilatari non potest, homines suspirioſos, accedente præsertim pondere mammarum, si mammosæ mulieres dorso incumbant, efficere.

11. *Carie eroſas coſtas* & aliis Anatomicis & mihi cadavera ob oculos poſuerunt, dum illam vel abſceſſus partium contiguarum prægreſſus, vel lapſus gravior ingenerare ſolet, quod poſtremum in Illuſtri quopiam ſupremo locum tenente Capitaneo obſervatum recordor.

12. Ceterum *coſtarum numerum variare*, atque modo undecim, modo tredecim in demortuis repertas eſſe ex Schenckii Obſerv. medicinal. l. II. de oſſibus thoracis 262. 266. Bartholini Hiſtor. Anatom. Cent. V. Hiſtor. I. atque citatis ibi Autoribus manifeſtum eſt.

13. Spatia inter *coſtas* cùm potiſſimum occupent *muſculi intercoſtales* dicti, ad horum contemplationem pathologicam etiam tantisper oculos noſtros reflectemus, deprehendimus autem *eosdem* ſub pleuritide graviori *inflammatione* quoque corripi, ſub *ictu* aut *lapſu* aut *contuſione dolorifice affici*, *humoribus* ſive per defluxionem vel congeſtionem vitioſis extravaſatis *premi*, *ulceribus* & *abſceſſibus* hinc profectis *obſideri*, à *pure* ſub empyemate collecto ſpontaneum exitum proſequente *perrumpi*, aut pro eodem nec non ſero lymphatico aut ſanguine educendo ſub *paracentheſi thoracis*, (de quâ vid. Scultet. Armament. Chirurgic. Part. I. Tab. XXXV. Joh. van Horne Microtechne §. 18. atque eruditiſſimæ additæ notæ Excellentiſs. Joh. Guilielm. Pauli P. P. Lipſienſis celeberrimi p. 437. Joh. Nuck. Experiment. & Obſervationes chirurg. Experim. XXXI.) *pertundi*. *Muſculorum intercoſtalium* ῥῆγμα & *fibrarum aliquam divulſionem* ex ponderis elevatione annotavit Bonetus Anat. Pract. I. Sect. I. Schol. ad Obſ. CXVI.

14. Ceteroquin autem reſpectu *partium incumbentium mollium* tum communium tum propriarum, ſed & *durarum*, concurrente majori impetu & violentia à *vulne-*

ribus thorax haud immunis eſt, quæ ſi penetrent ad *ipſam interiorem cavitatem* magis pernicioſa ſunt cenſenda aliis *ſuperficialibus*, ſingulatim quæ *jugulum* transeunt vulnera, muſculis maſtoideis, ſternohyoideisq;, octavæ conjugationis nervis, trachæa, gulâ, venis jugularibus arteriisque carotidibus, tunc graviter ſauciatis, mox interimunt, adeo ut ne ipſa quidem ſi advolet ſalus, niſi miraculum editura, ſalutem attulerit, item ſi *quæ* cum *coſtarum plurium* aut *ſterni effractura*, *cordis*, *pulmonum*, *eorundemque vaſorum ſanguiferorum ampliorum læſione* accidunt, medelæ ſpem omnem eludunt: Binos tamen divina adjutus gratia thoracis vulneribus ſclopetariis vulneratos ego ſervavi, dum in altero extremitas lobi infimi pnevmonici ſaltem continui ſolutionem acceperat, in altero incurvato thorace equum conſcenſuro globulus plumbeus ſupra angulum ſcapulæ dextræ ſuperiorem adactus illæſis pulmonibus ſupra mammillam ejusdem lateris eruperat, tunc verò pro ſanguinis purisque detergendis & ſubducendis immunditiis injectiones vulnerariæ cumprimis ſalutiferam dederunt opem. Monet interea ſapienter Celeberrimus Bohnius in Examine vulnerum lethalium p. 288. equidem *pectus perfoſſum*, modo intranea illius intacta maneant, conſolidari, obſervatum eſſe, etiam infinita forſan vulnerum ejusmodi ſanatorum exempla ex ſcriptoribus corradi poſſe, majorum tamen & latorum, i. e. à quibus motus thoracis ac pulmonum inſigniter læſus, aliquod ſalutare penes neminem legere aut obſervare ſibi datum, proin & cum cauſalitas horum ſuffocatoria evidens maxime, donec reſectionem v. g. quatuor vel plurium coſtarum, harumque interſtitiorum coaluiſſe audiat, ſe vulnera ejusmodi lethalia vereri, confirmantibus idem animalium

vivo-

vivorum ſectione hujus phænomeni experiundi cauſa adminiſtrata, & Galeni dogmate Sect. I. ex VI. de Uſu partium c. III. allegato; urget quippe maxime reſpirationis neceſſitas, neque tamen vel ſutura vel glutine vel deligatione labia ejusmodi hiatuum fortuitorum ſibi adducere & conbinare conceſſum, quin thoracis motus, vel impetuoſior in hunc conatus, qualem in pectore ſauciatis experimur, hoc interpellet aut inhibeat, expiret verò interim percuſſus.

15. Sed dum *exteriora* thoracis ulterius perluſtrare animus eſt, *virorum mammillæ*, & *mulierum mammæ* nos ad *inſolitam* & *præternaturalem* ſuam *diatheſin* ſpectandam advocant. Et primo quidem tametſi Spigelius de human. corporis fabric. lib. IX. c. 11. ſcripſerit, à Latinis nomine diminutivo in Viris *mammillas* vocari, cùm uſum illis fere nullum, aut certe minimi admodum momenti præſtent, offendes tamen in *viris obeſis* & *habitioribus* non tantum amplitudine muliebribus mammis *illorum hasce pares*, quin *ſuperiores* eſſe, ſed & in nonnullis *lactationis officio* reſpondentes, exemplis id confirmantibus Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. V. in Schol. ad Obſ. CXX. in appendic. ad eandem Decur. Paullini Obſervat. medico-phyſico ſelectarum XCVI. Salmuth. Cent. I. Obſ. XCII. Sinibald. geneanthrop. Lib. IV. Tract. II. c. IV. M. N. C. Decur. II. Ann. VIII. Obſ. CXXV. & annex. ſcholion, Schenckius Obſerv. medicinal. l. 1. de mammillis CCXC.

16. Interea mulierum *mammæ affectus* ſæpius ſuſtinent *morbidos* hic præcipue conſiderandos: eos inter mox obvenit *intemperies* diverſam humorum affluentium & in motu interceptorum dyscraſian æmulans, moleſta cumprimis habetur *inflammatio*, ex rubore, calore, dolore inſigni, acuto pulſation's ſenſu, renitentia

tia ac ſuperveniente febre dignoſcenda, à ſanguinis ſulphureo-ſalini exuperantis copioſi ad ſubſtantiam earundem membranaceo-glanduloſo-vaſculoſam affluxu ac ſubſiſtentiâ, tum & lactis turgidioris aut coagulati inſufficiente aut prohibita per tubulos lactiferos excretione inſequens.

17. Affinis illi exiſtit *Eryſipelas*, macula lata rubea & reſplendeſcente in cute cuticulaque exteriore magis efflореſcens, ac cum rigoris aliquali ſenſu invadens, iræ aut terrori præcedenti utplurimum ſuccedens, remiſſiori tamen dolore ac renitentia minorique pulſatione ſtipatum, à ſanguine bilioſo acido-ſalino volatili acri profectum.

18. Nonnunquam mammas diſtendit tumor mollis laxus rubedinis ac doloris expers *œdema* dicendus, à colluvie ſeroſa circa glandulas mammarias exundante proveniens.

19. *Abſceſſus* ibidem fiunt *fiſtulæ* & *ulcera*, inflammationis, gravioris contuſionis, compreſſionis, incauti repellentium medicamentorum abuſus, lactisque retenti pediſſequa, quoties à commeatu ſuo reciproco intra mammas relictæ ſanguinis lactisque particulæ excrementitiæ reſolutioni ac diſcuſſioni ſubeundæ inidoneæ acoris purulenti putridique indolem ſibi aſciſcunt Singularis plane extat *obſervatio* M. N. C. Dec. II. Ann. I. numero CXXXVI. legenda *de abſceſſu*, in mamma cujusdam lactantis poſt applicationem emplaſtri anodyni & emollientis ſponte rupto, ac puris inſignem quantitatem cum *folliculo lacteo* unciam ſemis adæquante referente: Dein M. N. C. Decur. I Ann. I. Obſ. VI. recenſetur *mammarum tumor*, qui facta apertura ultra libram unam ſanguinis ſinceriſſimi ex ſanguinis menſt ruiprægreſsâ ſuppreſſione fuderat.

20. Neque silentio abscondendus *mammarum tumor flatuosus* sive ἐμπνευμάτωσις, dolore acuto vago mammæ præsertim sinistræ cum brachii totius lateris costarum & scapularum cruciatu, tumore inconstante mox evanescente mox denuo assurgente, duritie tensiva & aliis concurrentibus flatulentiæ signis dignoscibilis, à sanguinis chyli lymphæque halituosis salinis volatilibus plus minus acribus moleculis rarefactis ac propter mensium deficientem repurgationem exuperantibus, atque intra vasorum tubulos glandularumque contextum spongiosum conclusis emergens.

21. Sæpius in conspectum venit *scirrhus* mammarum, tumor præternaturalis durus, plus minus sensilis, prout nempe vel *recens* aut *nothus*, vel *confirmatus* aut *exquisitus* fuerit, colore inter rubrum pallidum lividumque medio præditus, ponderosus, fixus, à portionum sanguineo-chyloso-lymphaticarum viscoso-glutinosarum, aut salino-terrearum, concurrente acido vel acido-austero morbifero, intra vasculoso-glanduloſam mammarum compagem, tubulos lactiferos, canaliculosque lymphaticos, tenacius coagulatarum ac compactarum concretione prodiens. vid. Foreſt. lib. XVII. Obſ. XXIV. Miſc. Nat. Curioſ. Dec. II. Ann. VI. Obſ. CLV. sic & in hydropicis ubera ſcirrhoſa ex lympha glandulari ab acido quopiam p. n. ibidem coagulata annotata ſunt M. N. Cur. Decur. III. Ann. I. Obſ. LXXV.

22. Nec minus *ſcirrhoſa* durities unam alteramve hinc inde ſparſim in mammis prehendit *glandulam*, duritie inæquali tumore circumſcripto & ſpeciali figura prominulam, tumque conſtituit *ſcrophulas*, Mercat. lib. I. de communibus mulierum affectionibus lib. I. cap. XVII. p. m. 524. & Celeberrimo Schelhammero in Inſula

ſula maris balthici Femara viſas M. Nat. Cur. Dec. III. Ann. IX. & X. Obſ. XXCIV. in *oſſeam* autem *ſoliditatem* virginis cujusdam mammas induruiſſe cum pectoris hydrope M. N. C. Decur. II. Ann. VI. Obſ. CCX. nos certiores fecit.

23. Infenſiſſimum feminis malum eſt *cancer* mammarum, isque *vel occultus* unius aut aliquarum ſaltem glandularum tumor durus immobilis, ab initio parvus vix ciceris magnitudinem adæquans, mox latius ſeſe diffundens, à ſanguinis lymphæque particulis excrementitiis ſalino-acidis ſucco nutricio adhuc involutis minusque acribus illuc depoſitis originem habens; vel *manifeſtus*, aut *exulceratus*, tumor lividus, colore ex cinericio vel plumbeo ad purpureum vergente, venisque tumidis nigricantibus hinc inde disperſis conſpicuus, dolore ac ardore nocturno tempore ingraveſcente ſtipatus, univerſam mammarum ſubſtantiam cum notabili fracida fœtida ac putrilaginoſa exulceratione undiquaque ſeſe diffundente depaſcens, à prædictis ſanguinis & lymphæ particulis in fluorem magis evectis expanſis ac virulentia cauſtica imbutis propullulans, conf. Foreſtus lib. XVII. Obſ. XXVI. cum annexo Scholio, Miſc. Nat. Curios. Decur. II. Ann. X. Obſ. LXXVI., Ettmüllerus Operum. Tom. II. p. m. 1158: Singularis obſervatio mammæ *cancroſæ verminantis* proſtat in Cl. Paullini Obſerv. medico-phyſic. ſelect. XLVI. in appendice M.N.C. Decur. II. Ann. V. p. 29.

24. Atque idcirco, ſed alias etiam ob cauſas, à quibus *gangrænam ſphacelumq;* ingenerari alibi docuimus, *talem* quoq; demum mammæ in gremio ſuo fovent, donec vel lethalis cataſtrophe ſuperveniat, vel eandem (dubio tamen nonnunquam eventu) operatione chirurgica

(in cancro exulcerato etiam ſubinde neceſſariâ) *amputatione reſciſſione* antevertere Medicus & Chirurgus peritus allaborent. vid. M. N. C. Decur. I. Ann. I. Obſervat. VI. Hildanus Cent. III. Obſervat. LXXXVII. Scultetus Armam. Chirurgici Part. II. Obſ. XLIV. Nuck. Experiment. Chirurg. XXX. Muraltus in Obſervat. Chirurg. XLIX. p. 247. Paul. Barbette Chirurg. Part. II. Lib. I. c. XIII. Purmann. Chirurgiſchen Lorbeer-Cranzes P. II. cap. VI. p. 449.

25. Præterea *in indecoram & moleſtam* magnitudinem excreſcunt *mammæ*, ferunt quippe indicorum itinerum Scriptores in regno Senegæ uxoribus mammas ad ventrem usque à maritis divelli, & in inſula Arnabonis tàm vaſtas eſſe mammas, ut ad terga reflecti poſſint, & Bartholinus Hiſtor. Anat. Cent. III. hiſt. XLVI. ſcribit, mulierem Helſingorenſem primariam tàm amplas & ponderoſas mammas circumtuliſſe, ut ad genua propenderent, atque ipſa oneroſam molem ſedendo genubus ſuffulcire debuerit, cui mammillare Martialis lib. XIV. Epigr. LXVI. ſubſidio eſſe,

Et taurino poterat pectus conſtringere tergo,
nam pellis mammas non capit iſta ſuas.

Stupendæ amplitudinis mammas, ita quidem, ut ſiniſtra poſt mortem LXIV. librarum pondus adæquaverit ex Actis Anglicis M. Octobr. A. 1669. recenſet Bonet. polyalthes Tom. III. lib. V. de affectibus mulierum c. XXVII. Eſt vero etiam, quod mireris, *mammas* ad phaſes lunæ *incrementum & decrementum* ſumſiſſe æmulum juxta M. XLC. Decur. II. Ann. VII. Appendii. p. 140.

26. Quin & *abundantis* naturæ *luſum* animus noſter attendit circa *mammarum numerum*, quando Romæ vixiſſe

vixisse feminam quatuor mammis, singulis lac fundentibus dotatam, ex J. Fabri Bamberg. notis in Recchum fol. 475. & Cabrolio Obs. anat. VII. M. N. C. Decur. I. Ann. II. annotat. ad Obs. LXXII. item rusticam in comitatu Winzenbach præter mammas in loco ordinario geminas adhuc duas alias è regione in tergo lacte fœcundas Cl. Paullini Breviar. rerum memorabilium num. XXXI. in appendic. ad Misc. N. C. Decur. II. Ann. IV. p. 203., mammas duas in pectore, tertiam in dorso sed papilla destitutam, M. N. C. Decur. I. Ann. II. Obs. LXXII. in alia præter binas tertiam sub sinistra Borell. Cent. I. Obs. XLIX. nobis notificarunt.

27. Lazarus Riverius Cent. IV. Obs. LVII. declarat rarum affectum mammarum *foveam*, nempe enim, nobilis, ait, matrona annum agens quinquagesimum, temperamenti biliosi & melancholici ante decennium subito terrore correpta, ex repentina infantis à nutrice incauta interfecti morte, hinc mensium fluxus omnino suppressus, post duos annos exortus est in parte superiori mammæ sinistræ tumor subdurus & oblongus digiti crassitiem æquans, paulo post apparuit in parte inferiori ejusdem mammæ tumor alius exiguus & rotundus, qui intra paucos dies *foveam* effecit in eadem parte exiguam, & sine dolore, quæ fovea sensim incrementum sumsit, ut intra biennium dimidiam ferme mammæ totius partem ad interiora retraxerit, & infundo illius cutis costis hærere videretur. Jam verò quia non absimilis casus mense Martio, anni superioris, curam meam in auxilium votis precibusque poposcit, eundem subjiciam. Vivit etiamnum in vicino palatinatu matrona, sexagenaria major, tertio nupta viro, sed nunquam mater facta, hypochondriaco-scorbutica, sensit illa in sinistra mamma tumores binos du-

ros, magnitudine globuli luſorii, cum dolore punctorio interdiu leviori, noctu appropinquante graviori, cum aliqua rubedine, quos mox inſecuta eſt papillæ introceſſio, & disparitio, elapſis vero aliquot menſibus, tumefactæ & induratæ glandulæ binæ pariter ita interiora verſus retractæ notabile *fovearum* veſtigium reliquerunt, quam quidem metamorphoſin conjecturo acrimoniæ ſanguinis & lymphæ mammariæ occultæ cancroſæ fibrillas vaſculaque ad ſtricturam ſpaſticam laceſſenti ac cogenti, atque glandularum nutrimento corrupto ariditati & ſubſidentiæ imputandum eſſe, ideoque Hippocratici præcepti in Sect. VI. Aph. XXXVIII. dati memor abſorbentibus ſpecificis interne oblatis, & topico mercuriali exterius admoto, medica ope eniſus ſum, ut ægra vitam etiamnum agat vitalem.

28. Oſtentum dixeris *mulieris viro junctæ mammam ex imaginatione mentulatam, figuram gammari* mammæ fœtus impreſſam, ex terrore, cùm dormientis matris gravidæ mammam octipedis ſerpentia brachia cancri tetigiſſent; atque id etiam extraordinarium pronunciaveris, mammas ſolas citra reliqui corporis labem poſt *pruritum ictero* clefœdatas vid. append. p. 35. ad M. N. C. Decur. II. Ann. VII.

29. *Aſperitatem mammaram morbidam* Hippocrat. de morbis mulier. lib. II. n. LXVI. p. 595. Tom. II. operum edit. Lindenianæ declarat, atque topicum pro medela adducit. *Gracilitatem* earundem fœtus perditionem præſagire Sect. V. Aphor. LIII. innuit.

30. *Vulnera* tandem etiam *mammas* tangunt, quæ in gravidis ob uberiorem chyli lactiferi affluxum, tum & in aliis menſium ſuppreſſione laborantibus ob vaſorum turgeſcentiam, ſed & in humidioribus corporibus

bus ob ſeroſam colluviem difficilius conſolidantur, aliàs autem lethalia cenſenda non ſunt, dummodo ſanguinis mature ſiſtatur profluvium, ſiquidem amputationem totalem ſuperſtite vita fieri poſſe, in antecedentibus conprobavimus, atq; ex Hippocrat. l. de aere aquis & locis atque Galen. commment. VII. aph. 43. novimus, quod amazones mammam dextram ſibi exuri curaverint, quo plurimo alimeuto ad manum vicinam dextram perveniente, major ei vigor adeſſet, aut potiùs arcus pectore firmius ſuffulciri poſſet.

31. Peculiaris affectus mammarum eſt τειχίασις, cujus meminit Ariſtoteles lib. VII. de hiſtor. animalium cap. XI. ſic enim ille: Ubera tota fungoſa ita ſunt, ut ſi forte ex poculo pilum mulier hauſerit, dolor in mammis excitetur, quod malum pilare τειχίαν appellant, nec dolor ſedatur, donec pilus vel exeat ſponte vel cum lacte exugatur, tam in homine quam in quadrupedum genere viviparo. At enim verò tametſi Ariſoteli Plinius l. XXXI. cap. X. Alſaarahavius tractat. XIV. pract. c. II. veluti αὐτόπτης teſtis, Cardanus lib. VIII. de rerum varietate cap. XLIV. Thomas à Veiga comment. ad lib. VI. c. III. de locis affectis Gal. ſubſcribant, ego tamen, aſſumto etſi ore à muliere pilo, viam ad mammarum tubulos lactiferos, quam pilus inſequi poſſit, nullam perſpicio, ſicuti de hac etiam jamdudum Anatomicus perſpicaciſſimus Andr. Veſalius lib. V. de human. corporis fabrica cap. XVIII. merito dubitavit, ut adeo vel vermiculos teretes intra mammas ex ovulis excluſos vel lacti inhoſpitantes, vel lymphæ viſcoſæ oleoſo-ſalino terreas portiones in piliforme coagulum ſub tranſitu per papillarum tubulos preſſas, ſub pilorum verè talium ſpecie Medicis impoſuiſſe credam, hinc nec me perſuaderi patiar, ut fidem habeam à

Mar-

Martiano in Comment. ad Hippocr. libr. de natura pueri allatæ, & à Charletono Oeconom. animal. Exercit. II. citatæ obſervationi, de matrona quadam Romana, cujus è papilla, Chirurgi manu extractus fuerit cichorii ſurculus, quem heſterna cœna comederat.

32. Expoſcunt verò hic nunc etiam ſui conſiderationem *papillæ*; quarum fibroſo-pulpoſa ſubſtantia ex uberiori ſanguinis affluxu ac intercepto reciproco commeatu *inflammationem*, ex puſionis autem ſitibundi firmiore apprehenſione preſſione ac tenſione *fiſſuras* capiunt, ex ſalſi acrioris ſeri confluxu latius ſerpentes, & exquiſite dolentes, vid. Foreſt. Obſ. Lib. XVII. Obſ. XXVIII. Miſcell. Nat. Curioſor. Decur. I. Ann. I. Obſ. LXV.

33. *Papillæ* ſive *ab ortu primo deficiant*, quale exemplum M. N. C. Decur. II. Ann. VIII. Obſ. III. proſtat, ſive nimium *breves* ac introrſum *retractæ* ſint, ita ut à puſione labiis prehendi nequeant, lactationis officio mulieres privant.

34. *Excedunt* verò eædem quandoque *numero*, *binas* etenim papillas in una mamma Borellus Cent. I. Obſ. XLIX. Hollerins apud Schenckium lib. II. Obſ. de mammillis VIII. Kerckring. Obſ. Anat. XXI. p. 49. M. N. C. Decur. II. Ann. X. Obſ. CXXXVIII., *tres triangulares* in utraque mamma Paullinus in Obſervat. medico-phyſic. ſelect. LXVII. in appendic. ad M. N. C. Decur. II. Ann. V. p. 40. exhibent. *Nattam* à dextræ mammæ papilla funiculo allegatam inſtar uvæ propendentem Gockelius M. N. C. Decur. II. Ann. VIII. Obſ. LXVI. & Gallicinii Medico-practici Cent. I. Conſil. XCI. memorat.

35. Quod reliquum eſt, ſi *ſymptomata* mammis obtingentia ſcrutari velimus, mox obvenit *dolor* ſolutæ in parti-

partibus & vaſis exquiſite ſenſilibus à variis cauſis intentatæ unitati veluti cauſæ adſcribendus, dein *lactis generatio & excretio diverſimode læſa*, ac demum *qualitates mutatæ in mammarum duritie, inæqualitate, rubore, livore, flavedine ictericia* &c. notabiles.

36. Clarioris autem doctrinæ gratia aliquantum intererit, ſi *lactis* vitia ſingulatim tantisper conſideremus: *Abundat* ſiquidem *lac*, atque tumorem *mammarum ſparganoſin* dictum quandoque ciet, quando vel *glandulæ mammariæ* ſecernentes *plures molliores* & magis *patulæ præſto ſunt, vel ſanguis chyloſus* propter victum πολύτροφον, potum nutritivum, vitam curis vacuam in majori copiâ *generatur*, vel per arterias mammarias ampliores uberius *affluit*, vel à fœtu ſæpius admoto parum tamen bibente *allicitur*, vel ob lactationem neglectam aut fœtu mortuo ceſſantem *redundat*.

37. *Deficit* viceverſa *lac*, dum vel *glandulæ mammariæ ſecernentes pauciores* in mammis exiguis adſunt, vel natura *ſolidiores*, aut minus *perviæ*, vel à ſanguine acido auſtero terreſtri, aut viſcoſo pituitoſo intra illas ſubſiſtente, vel improvida frigoris admiſſione, acidorum & ſtypticorum incauta applicatione, aut a thoracis arctiori conſtrictione *oppilatæ, induratæ*, ac *ſcirrhoſæ* redduntur; vel *chylus nullus* ob inediam, victum parcum aut pravum producitur, vel non in adæquata quantitate *ad glandulas mammarias fertur*, idque tàm propter abſentiam aut anguſtiam vaſorum ſanguineorum arterioſorum, quam propter eorundem obſtructionem, vel quando *chylus* aliorſum per hæmorrhagias immanes, alvi fluxum chyloſum, fluorem album &c. *evacuatur* & *effunditur*, vel ſub æſtu febrili *abſumitur*, vel nutrimenti corporis obeſioris *impenditur*.

38. Non minus *coagulatur lac* & quidem vel in *ſpeciem caſei*, tuncque πύρωσιν *caſeationem*, vel in ſpeciem grumi,

tuncque θρόμβωσιν dictam infert; idque *culpa vel glandularum mammariarum* acore p.n. infectarum, vel ab aere frifrigido aut topicis incongruis admotis alteratarum, lac ad concretionem disponentium; vel *sanguinis chylosi secernendi acore & lentore* præternaturali, ex dispositione hypochondriaca, scorbutica, venerea, acidorum abusu, mœrore & aliis gravioribus animi pathematibus, *contaminati.*

39. A *matribus & nutricibus morbiferis & contagiosis lac* infectum consimilibus *fermentis & seminiis*, per traducem quasi morbos ad utriusque sexus prolem propagat.

40. Extra *consuetum naturæ ordinem* accidit, quod *lac ex mammis infantis femellæ* 18. septimanas natæ & lactatæ effluxerit M. N. C. Decur. II. Ann. VIII. Obs. CXXXIX., *in mammis nec gravidæ*, nec *puerperæ*, nec *lactantis*, visum M. N. C. Decur. I. Ann. III. Obs. CXXXVI., in *vetula vidua sexagenaria* ope suctus frequentis prolicitum, ex *virgineis mammis* pro tribus illustribus infantibus lactandis suppeditatum M. N. C. Decur. III. Ann. IV. Obs. CVII., *per umbilicum* denique ex epate per venam umbilicalem eo delatum effusum M. N. C. Decur. II. Ann. VIII. Obs. CLXXVII., *per femur* Misc. N. C. Ann. IX. & X. Obs. LXVI. expurgatum, ac denique *ad os remandatum* hicque excretum fuerit, M. N. C. Decur. II. Ann. VI. Obs. LXXVI.

41. Haud *vulgari commodo* mulieri cuipiam licuit adeo esse felici, ut post quatuor septimanas *intermissa* interim *lactatione lac* mammas denuò appulerit, *quod* in Serenissima quapiam Principissa, post primum puerperium mediante fasciatione mammis tubulisque lactiferis excluſum, nulla arte revocari potuit, præsertim cum *idem* sub febris lacteæ insultu per *alvi fluxum chyloso-lacteum* tunc secessisset.

42. *Mu-*

42. *Mulieribus in mammis collectum ſanguinem*, ob concitatiorem ſanguinis impulſum & efferum ſpirituum motum, furorem ſignificare non immerito Hippocrat. Sect. V. Aphor. XL. auguratus eſt, dum alioquin *vulnerata in cubito matre* loco lactis *ſanguinem* è mammâ ſugendo prolicitum M. N. C. Decur. II. Ann. VII. Obſ. XLV., adhæc *feminam lue venerea correptam* ex mammis lac & ſanguinem ſimul fudiſſe, quæ tamen non commiſceri poterant, allegata obſervatio nobis propalavit.

43. *Lac luteum à Rhabarbari* nodulo incluſi & potui immerſi uſu evaſiſſe, eo facilius à Cl. Paullino in breviario rerum memorabilium Obſ. XXXIV. in appendic. ad M. N. C. Decur. II. Ann. IV. p. 204. ſibi perſuaderi patietur, qui à Gualt-Charletono l. c. edoctus fuerit, nutrici ſi propinetur *lac croci tinctura* leviter imbutum, illam intra ſemihoræ ſpatium (paulo plus minusve) hoc ex mammis refuſuram eſſe, odorem, ſaporem, imò & colorem quoque croceum plane relaturum.

44. *Lac acre ſalſum* mammarum vicina loca erodens & exulcerans, ac maculis obſcure luteis lintea inficiens M. N. C. Decur. II. Ann. VIII. Obſ. LXII. exhibet, *tenue aquoſum ichoreſcens* pauperculæ mulieres, & ſcorbuticæ ac ſeroſæ fundunt, *idemq;* chyli ſanguinis & lymphæ recrementis heterogeneis diverſis coinquinari ſolet.

45. *Pleura dolet in pleuritide, dolore* lateris unius, rarius utriusque *punctorio*, cum tuſſi, reſpiratione difficili febre continua acuta, pulſu duro inæquali & frequenti afficiente, proveniente vel à ſanguinis ſulphureo-ſalino-bilioſi aut lymphæ acido-viſcoſæ partim intra vaſcula ſanguifera & lymphatica interceptione partim extravaſatione, inflammationem & ſolutam unitatem in fibrillis membranaceo-nerveo-carnoſis ſenſilibus pariente.

46. *Mediastini inflammatio in phrenetico* ex Boneto Anat. practic. l. II. Sect. I. Obs. CXXV., *ejusdem intercapedo vomica crasso pure repleta* ex Bartholin. Cent. II. Obs. LIX., *sero sanguineo inundata* ex River. Cent. I. Obs. LX., Bonet. Anat. practic. lib. II. Sect. IV. Obs. I. lib. II. Sect. I. Obs. CXXIII. Schenck Observat. medicinal. l. II. de Mediastino CCLIV. *copiosissima pinguedine suffarcta* ex Daniel. Majoris Histor. anatomic. c. XIII. Sect. XIV. à Boneto Anat. practic. lib. II. Sect. I. Obs. CXXIV. allegata, nobis innotuerunt.

47. *Diaphragmatis inflammatio* in *phrenetico* à Boneto Anat. pract. l. I. Sect. VII. Obs. XV. & lib. II. Sect. I. in Schol. ad Observ. CXXV. visa est; in puella lipothymia subitanea interemta *carnosa diaphragmatis pars abscessu* magno cum cysti sanie & vesiculis aquosis impleta rursus *Boneto* Anat. pract. l. II. Sect. II. Obs. XVII., eidemque *pus suprà diaphragma effusum* Anat. pract. lib. II. Sect. VII. Obs. XCIII. sese conspiciendum præbuit.

48. *Diaphragma* à *pancreate subjecto putrido* corrosivo suo acido *perforatum* M. N. C. Decur. I. Anni I. Obs. XCIX. legimus.

49. *Vulnera diaphragmatis* communiter in *illa*, quæ *carnosæ*, & *hæc* quæ *nervosæ parti* infliguntur, dividi consueverunt, ac *priora* quidem *sanabilia*, *posteriora lethalia* reputantur; sed enim verò si rationem cum sensu confirmatam attendamus, *minora vulnera* nervoso centro intentata si absque *convulsionibus* fuerint, medelam recipere, (conf. M. N. C. Decur. II. Ann. VIII. Obs. CXCVIII.) & *majora carnosi ambitus* amplam læsionem conjunctam habentia, ob respirationis turbationem insignem lethalitatem post se trahere, asserere nulli dubitamus.

50. *Cavitatem* denique *thoracis* vel *pus* ex rupto *empyemate vel ulcere thoracis excretum*, vel *lympha* vasis lymphaticis cordis palmonum & intercostalibus aliisq; vinicis solutionem continui passis effusa, vel *sanguis extravasatus* nonnunquam occupat, *caseosum* autem *empyema* M. N. C. Decur. II. Ann. V. Obs. XCVIII. nobis sistit.

SPECIMEN XII.

§. 1.

CONtemplati hucusque sumus *dispositionem præternaturalem continentium medii ventris partium*, proximum nunc est, ut *contentarum scrutinium* instituamus *pathologicum*. Hasce verò inter primum oculorum nostrorum obtutum subit *pericardium*, sive *cordis capsula* ex geminæ membranæ complexu efformata, qualem inter decurrentia vascula arteriosa exilia si *fervidum sulphureo-salino-acrem sanguinem* citatiori impulsu illuc effundant, quam ut à venosis æque recipi possit, vel tubulorum meatuumque aliis de causis turbatus ordo *eundem* in commeatu reciproco intercipiat, *inflammatio* suboritur, teste Th. Bartholino Anat. reformat. l. II. c. V. periculosa & perniciosa, quin & lethalis à P. Salio l. de affect. part. cap. VI. Riolano Enchirid. Anatom. l. III. c. IV., Zacuto Lusitano prax. admirand. Observ. CXXIX. æstimata, atque cordis tremore, syncope, pulsu item duro & inæquali stipata, annotante Theoph. Boneto sepulchreti anatomic. lib. II. Sect. VIII. Obs. XLI. cum Schol., Sect. X. Obs. XIII. & XVIII., Sect. IX. Obs. XVII., nec enim tam facile medicamentis quà internis quà externis sanguinis extravasati inque coagulum versi solutionem, & intra oscula venosa angustissima regressum, ibidem assequi, nec suppurationem tentare licet, corde ipso propter vicinum contactum vasorumque communionem in consensum veniente.

2. *Pericardium* porro *duplo* quàm aliàs naturaliter esse solet *crassius*, *corio* ideo assimilandum, *extrinsecus* undique

dique *pulmonibus*, anterius *sterno*, inferius *diaphragmati* arctissimè connexum Th. Bonetus Sepulchreti sive Anatomiæ Practicæ lib. II. Sect. I. Obs. LXXIII., *idem cordi undiq; adnatum* rursus Th. Bonet. Sepulchr. lib. II. Sect. IX. Obs. XV., similiter per fibrosos nexus *mediæ cordis regioni* & adiposæ hujus *substantiæ* firmiter alligatum M. N. C. Decur. III. Ann. II. Obs. LXXVIII. in scholio, *densum diaphragmati* ubivis ferme adhærens, intus *hispidum* & veluti *holoserico* obductum Misc. N. C. Decur. II. Ann. IX. Obs. XCII., *dextro ventriculo cordis nexu* firmissimo devinctum, neque à *sinistro* nisi κατὰ δάρσιν separabile M. N. Curios. Dec. III. An. V. & VI. Obs. CCVII., *pustulis* exasperatum Th. Bonetus Sepulchret. lib. I. Sect. VII. Observ. LVIII. & lib. II. Sect. VI. Obs. V. *hydatidibus inæquale* Rolfincius Epit. p. 161. & ex eo Bonetus Polyalthes Tom. II. lib. III. de affectib. pector. cap. XXIV., *duriusculo tumore* nucis parvæ avellanæ magnitudine, non perfecte *calloso*, obsessum modo citatus Bonet. Sepulchret. lib. II. Sect. VIII. Obs. XXI., *lapillis* subviridis coloris tribus onustum M. N. C. Decur. III. Ann. VII. & VIII. Obs. LXXV., *vermibus* denique, rodendo magnam cordi molestiam facientibus, atque ejusdem inducto tremore, anxietate, pulsu sæpe intermittente, dolore pungente, ac syncope sese prodentibus, refertum Lowerus Tr. de corde cap. II. p. 107. Joh. Riolan. Enchirid. Anatom. lib. III. cap. IV. Hartmannus Prax. chymiatric. c. CXI. Th. Bonetus Sepulchr. lib. II. Sect. VIII. Observ. XIX., *uteri demum* instar *inflatum* Hercules Saxonia Prælect. practic. cap. I. part. II. Th. Bonet. in Scholio ad Sepulchreti lib. II. Sect. VIII. Obs. XVIII., similiterque *flatu distentum* Scholiographus ad lib. I. Prax. Hollerii c. XXIX. nobis scriptum reliquerunt.

3. Sæpius autem ab *aquæ contentæ exuperantia* in præternaturalem *amplitudinem pericardium* expandi solet: Et Spigelius quidem de humani corporis fabrica lib. IX. c. V. opinatur, *illam* in mortuis copiosiorem esse, præsertim si diutius à morte aperiantur, feminis item ac maribus copiosiorem colligi seroso sanguine abundantibus, aut viscerum obstructione chronicâ prehensis; Celeberrimo etiam Bohnio in circul. Anatomico-Physiolog. Progym. XX. facile quadantenus consentimus, aut à morbo aut mortis genere, si nimirum alterutrum aut utrumque horum tale extiterit, qui circulationem ad tempus turbet, quantitatem aquæ istius accrescere, non tam, uti ipse porrò suspicatur, quasi sub ejusmodi turbatione violenta ac præternaturalis seri transudatio ac digestio inducatur, quàm quod sub tardiori aut interrupto sanguinis motu lymphæ secretio in aspredinibus pericardii glanduloſis uberior succedat: Solet verò insuper *adeò copiosus* in pericardio nonnunquam *humor* colligi, suffocationem minans corque opprimens, ceu legere est apud Joh. Riolan. Enchirid. Anatomic. l. III. c. IV., ut adeo pro ejusdem evacuatione terebra sternum, intervallo pollicis à cartilagine xiphoide, perforandum esse, nulla alia salutis ope superstite, idem Autor suaserit: Sic & ex dissecto hominis febre hectica defuncti *pericardio* aquæ uncias viginti circiter effluxisse, atq; talem aquæ in pericardio exundantiam hydrocardiam non inepte denominandam esse annotavit Bonetus Anatom. practic. lib IV. Sect. I. Obs. XIX; pariter Richardus Lowerus tr. de corde c. II. p. m. 103 id quandoque evenire confirmavit, ut nimia aquæ pericardio concluſæ copia, cor undiquaque premendo & coarctando, ejusdem pro sanguine admittendo dilatationem impediat, cum pulsus accedente imminutione,

ſuppreſſione, demumque ipſa morte ſuperveniente; nec minus Carolus Piſo de colluvie ſeroſa Sect. III. c. II. atteſtatur, in corpore cujusdam Græcenſis oppidi incolæ jam pridem palpitatione laborantis, (ſicuti à redundantia aquæ prædictæ ſubortam cordis palpitationem recte aliàs animadvertit lib. IV. Obſ. XIX.) & ſpirandi difficultate detenti, repertum pericardium immanem in tumorem elatum pluribus libris aquæ diſtentum; hinc Hercules Saxonia in Prælect. practicis de Veneto quodam Procere refert, quod ipſe cor quaſi aquæ innatare ſenſerit, & Raym. Joh. Fortis Conſil. Centur. II. cap. XLV. ſimilem hiſtoriam recenſet de alio, ſimilem fluctuationis cordis perceptionem in ſemetipſo experto.

4. Viceverſa in ſtatu præternaturali *aqua pericardii deficere* ſolet, tuncque *cor arefactum* ſenſim *contabeſcit*, uti in pluribus obſervatum ex relatione Joh. Riolani Enchirid. Anat. lib. III. c. IV. quin *univerſi corporis tabem* inde ſubſecutam novimus ex fide Caſp. Banhini Anat. lib. II. c. XVII., ſed & à *diuturno mœrore ac pervigilio*, vel *inedia ac ingente marcore* item *febribus ardentibus abſumtam pericardii aquam* tabem poſt ſe reliquiſſe, autor eſt Th. Bonetus ſæpius citatus Anat. practic. lib. II. Sect. VII. obſ. CVIII., appoſito ex Melanchtone Caſimiri Marchionis Brandenburgici exemplo, cujus propter mœrores & vigilias deperdito pericardii humore cor pyri ad inſtar toſti exſiccatum viſum eſt.

5. Adhæc *pericardii aquæ* ſæpe præternaturaliter *vitiata*, aut *alienis humoribus mixta* deprehenditur, ſic in *hydropicis urinæ turbatæ*, in quibusdam aliis *loturæ carnium ſimilis* à Spigelio l. c., pariter ab Illuſtri Dn. D. Georg. Friderico Franco de Frankenau in Regiâ Hafnienſium Academiâ hodie Prof. Publ. celeberrimo, Fautore noſtro

ſtro honoratiſſimo, (ex cujus eruditiſſimâ de Pericardio ſub noſtro præſidio anno ſuperioris ſeculi nonageſimo hîc habita diſputatione potiores obſervationes huc excerpſimus) Miſc. Nat. Cur. Dec. III. Ann. I. Obſ. CXXII. *urinæ haud abſimilis*, & paulisper ſpumeſcens; inſuper *congelata in conſiſtentiam cultro ſciſſilem* juxta relationem Dom. Marcelli de Montalbano Actor. philoſoph. Anglic. A. 1670. à Boneto polyalthes Tom. II. lib. de affectibus pectoris cap. XXIV. annotata eſt. In viri cujusdam *pericardio* plus quam *libræ quatuor ſanioſi ſanguinis & materiæ purulentæ* Guil. Fabric. Hildano Cent. I. Obſ. XLIII., in puerorum duorum *pericardio humor bilioſus luteus fœtidus*, in alio ſubjecto *tres libræ acris turbidiq; liquoris*, propriam cordis membranam proximeque ſubjectam carnem depaſcentis, allegato ſæpius Boneto Anat. practic. lib. II. Sect. I. Obſ. LXXXVI., *humor ⊖ſus acris*, à quo tam *pericardii* quam *cordis membranæ proximæ* eroſa & excoriata fuerat, Sylvio Prax. lib. I. cap. XXVI. §. XXVI. *ſanguis* denique pericardii capſulæ membranaceæ incluſus, Welſchio Mictomnimemat. Cent. III. XXV. (confer. Append. ad annum IV. & V. Ephem. Nat. Curioſor. Decur. I. p. 54.) in conſpectum venerunt.

6. Ulterius *pericardium exulceratum* in phthiſico obſervavit Platerus Practic. Tom. III. c. V.; *vulneratum* etiam fuiſſe exempla loquuntur, ubi inſimul advertendum Cl. Dominicum de Marchettis Anatomic. & Chirurgum Patavinum ſumme meritum, Præceptorem olim noſtrum etiam poſt fata gratâ mente celebrandum, Anatomiæ ſuæ cap. X. p. 12. vulnera pericardii lethalia pronunciaſſe, eo quod plures ex vulnerata ſolum cordis capſula absque cordis læſione fato conceſſiſſe viderit, quod effatum tamen non univerſalis veritatis eſſe vel inde probari poterit, quod Thomas Bar-

tholinus Anat. reform. lib. II. c. V. memoret exemplum Johannis Savioli pugione in pericardio ſauciati, cum aqua ſingulis pulſibus cordis ex vulnere proſiliente, à Veslingio nihilominus feliciter reſtituti; conf. Rhod. Cent. II. Obſ. XXXVIII. Hûc etiam facit obſervatio pueri perſanati, cui pectoris exciſo oſſe, atque involucro ejus computrefacto, cor aliquamdiu nudum viſum erat, prolata à Schenckio à Gräffenberg. lib. II. Obſerv. medicinal. Obſ. CLXXI., à quo etiam l. c. Obſ. CLXXIV *pars pericardii citra necem ablata* deſcripta eſt. Proin vere ac ſapienter admodum Hieron. Cardanus in Commentar. ad Hippocratis Sect. VI. Aph. XVIII. cenſuit, vulnera pericardii per ſe lethalia non eſſe, fieri tamen, quia idem vix vulnerari poterit, niſi alia multo nobiliora membra lædantur; & ἀνειβῶς, uti aſſolet, Exc. Bohnius in Exam. vulner. lethalium cap. III. p. 309. docuit, lethalitatem imputandam eſſe vel continuitati, quæ pericardio cum diaphragmatis parte tendinea interceſſit, ejusmodi vulneribus ſolutæ, hincque reſpirationi turbatæ, vel inflammationi, cui ſaccus hic membranaceus cum partibus, quibus continuus exiſtit, exponitur, vel denique aëris cordi minus proportionati contactui immediato. Ceteroquin in quibusdam *fiſſum* aut *eroſum* pericardium denuo coaluiſſe, atque ægros poſtea feliciter vixiſſe, præter exemplum ſervi Marulli mimographi apud Galenum exempla duo alia apud Benivenium demonſtrant, vid. Schenck. lib. II. Obſerv. Medic. de pericardio CLXXI. & Riolanus anthropograph. lib. V. c. VII.; nec minus aquam pericardii occaſione *vulnuſculi* inflicti effuſam, eodem conſolidato denuo collectam obſervariones á Cardano, Benivenio, & Petro Salio adductæ commonſtrant, de quibus vid. Isbr. Diemerbroeck Anatom. lib. II. cap. V.

7. Nec

7. Nec desunt Autores, sibi & aliis persuadentes, eodem modo ac extra pectus, mediæ cordis regioni oppositum, *pili* pronascuntur, tales quoque intus ex pericardio erumpere, generationi eorundem materiam subministrante aqua ambitu pericardii concluſa crassa & viscida, unde quibusdam *cor pilosum* observatum fuerit, vid. Casp. Bauhinus loc. cit. Joh. Riolan. Anthropograph. lib. III. c. VII. at enim verò sicuti rarissime contingentibus quis phænomenon hoc merito annumeraverit, ita pilos ex ipsa cordis substantia musculari potius prodire veritati mage consentaneum videtur.

8. Singulare prorsus id fuisse credimus, quando *cor humanum sine pericardio* Columbo & Brodtbeckio intuentibus sese exhibuit, annotante Th. Bartholino Histor. anatomic. rarior. Cent. IV. histor. XX., & confirmantibus Adr. Spigel. de human. corporis fabric. l. IX. c. V. Schenckio Obs. Med. lib. II. Obs. CLXXV. Boneto Sepulchret. lib. II. Sect. X. Obs. IX. quamvis Sectionum peritissimus Cl. Peyerus in Method. Histor. anatom. p. 92. opinari fas esse moneat, pericardium aut pulmonibus aut ipsi potius cordi ita tunc adnatum p. n. hæsisse, ut distinctum videri non potuerit, nam & in adolescentis cujusdam cadavere cor primo intuitu expers involucri putatum esse, quod postmodum diligentior inquisitio adnatum detexerit. Quicquid sit, *pericardium* à vulnere in puero computruisse, osse pectoris autem exciso à Galeno curato, ex VII. de administrat. Anatomic. cap. XIII. accepimus, *illudq;* penitus quoque absumtum in Johannis Penant cadavere ab Eduardo May deprehensum esse ex Mœbii Fundamentis Medicinæ physiologicis cap. XII. p. 231. novimus.

9. Relicto nunc pericardio *Cor* propius intuebimur, prout *morbosis* etiam *pathematibus* obnoxium est, tametsi enim

enim Aristoteles III. de partibus animalium c. IV. cor solum viscerum atque omnino partium corporis nullum vitium pati grave scripserit, & Hippocrat. de Morbis IV. Sect. XIII. t. 17. idipsum eò quod solidum sit ac densum ab humore non ægrotare, & propterea nullum morbum in corde oboriri persuasus fuerit, longe tamen aliud (nisi hæc de cordis ῥώμῃ καὶ δυσπαθείᾳ juxta Galenum lib. VI. de Usu partium cap. 8. explicentur) ipsam rem & observationes Medicorum evincere, rectè censuit celeberrimus Strausius in palæstra medica part. II. progymnas. VIII. p. 134. Adeoque cor primo *intemperie* afficitur *calida*, *frigida*, *humida*, *ac sicca*, prout sanguis & illius substantiæ muscolari compactæ, & auricularum ac ventriculorum cavo, dyscrasiam sulphureo-salinam, biliosam, fervidam, vel acido salino-viscoso ∀eam, pituitosam, aut melancholicam, serique lymphatici ubertatem vel penuriam, suppeditaverit, expulsus respirationisque atque aliorum concurrentium symptomatum signorumque diversa qualitate æstimandam.

10. *Cor stupendæ magnitudinis* sanguine atro & nigerrimo plenum & extensum Misc. Nat. Curios. Decur. I. Ann. I. Obs. LXXVII., *aliud* in femina quadragenariâ viginti duarum unciarum, ubi sola dextra auricula æquaverat cor hominis ordinarium magnitudine, arteria etiam pulmonaria & vena cava descendens excesserant modum, nec enim hujus os patens argenteo Imperialis nummo, nec illius medio occlusisses, Kerckingius Spicileg. Anatomic. Obs. XVI., aurigæ cujusdam *insolitæ amplitudinis* & quolibet *bubulo majus* Th. Bartholinus Histor. Cent. I. hist. XLV., *simile* ejusd. Centur. hist. L. & LIV. Miscell. Nat. Curios. Decur. I. Anni IV. & V. Obs. XXX. *cor magnum* in ascitica M. N. C. Decur. II. Ann. V. Obs. LXV. in hydropicâ longe nativam molem exce-

excedens iterum Bartholinus Hiſtor. Centur. II. hiſtor. LXVI., *cor* prodigii inſtar in eam *molem expanſum*, ut thoracem fere totum adimpleret Laurent. Hiſtoriæ Anatomicæ lib. IX. quæſt. XVIII., *aliud adeò amplum*, ut tria naturalis magnitudinis adæquaret Petrus de Marchettis Obſerv. chirurgic. XLIX. & appendix ad M. N. C. Decur. III. Ann. I. p. 97., in noſtram noticiam detulerunt. Sicuti vero *excedens* ejusmodi *cordis magnitudo* vel conformationi nativæ primigeniæ, vel nutrimenti illuc congeſti ubertati, vel ſanguinis transeuntis copiæ, & elaſticitati, vel ejusdem ibidem in motu progreſſivo interceptioni, excreſcentiis item diverſis enatis meritò imputanda videtur, ita vix univerſalis ratio reddi poterit, cur *prægrande Cor timidos ſemper arguat?* proſtant ſiquidem in contrarium exempla à Bartholino Cent. IV. Hiſtor. VI. & in Miſc. Nat. Curioſ. Decur. III. Ann. III. Appendic. p. 86. conſignata.

II. Vidimus itaque *excedentem cordis menſuram* in ſubjectis diverſis, nunc agedum *deficientem* quoque contemplabimur, in puero quippe novem annorum *durum & longe infra* ætatis ſuæ *magnitudinem cor* Kerckring. Spicileg. Anatomic. Obſ. XVII., *idem extenuatum & exſangue* Hildanus Centur. IV. Obſ. LI., *inſtar loculi coriacei corrugatum* Miſc. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. III. Obſ. LXV., *tabidum & exſiccatum* inſtar pyri toſti Barthol. Anat. lib. II. c. VI. Miſc. Nat. Curioſ. Decur. III. Ann. III. Appendix pag. 86.; mediocre pyrum *magnitudine* haud ſuperans, formæ non rotundæ ſed planæ ac depreſſæ Stalpart van der Wiel Obſervat. rarior. Centur. I. Obſ. XXXVII. quinimò lenta tabe *conſumtum*, reſidua tantum exteriori membrana ibidem citatus Tileſius rerum naturalium lib. V. cap. XXVII. & in Comite Solmenſi Braunfelſenſi A. M DC XCIII. diſſecto, *non Cor*,

ſed ſolum maſſulam muſculoſæ carnis putridæ, teterrimum ſpirantem odorem, viceque cordis fungentem ſeſe conſpectui obtuliſſe Clariſſ. Joh. Ægidius Euth Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. III. Anni II. Obſ. IX., ſimiliter *cordis penetrale prorſus defuiſſe* Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. II. Obſ. CXLIII. ſed & pericardium *abſq; corde* deprehenſum Job. van Meeckren Obſerv. medico-chirurgicarum cap. XXXV. tradiderunt. Quibus quidem obſervationibus & relationibus etſi fidem prorſus derogare nolim, vitam tamen ſuperſtitem homines eousque manſiſſe autumo, quousque integræ in corde aliquæ ſaltem relictæ fibræ motrices ſyſtolen & diaſtolen ad diſtributionem nectaris vitalis neceſſariam per vices obire potuerunt, verè adeò Ariſtotel. de partibus animalium lib. III. c. VI. docuit, cor & jecur omnibus animalibus neceſſaria eſſe, nullumque ſanguine præditum iis (ſcilicet propter ſanguinis dispenſandi neceſſitatem) carere poſſe.

12. *Cor ſingularis figuræ* mucrone non acuto, ut fieri ſolet, ſed bifido, ut diſtincti ventriculi manifeſtius externâ facie apparuerint, dexter nempe & ſiniſter interjecto hiatu, memorat Th. Bartholinus Hiſtor. Anatom. Centur. I. hiſt. LXVII.

13. *Cor adipis copiâ tectum imò ferme abſconditum* paſſim obſervationes Doctorum recenſent, quibus adjungimus Miſcell. Nat. Curioſor. Decur. II. Anni II. Obſ. XI. tum & Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. II. Anni VII. Obſ. XII. ideoque Spigelius de humani corporis fabrica lib. IX. cap. VI. minus peritis Anatomicis impoſuiſſe credit, *cor* abfuiſſe, præſertim cum & ipſe ex diſſectionibus annotaverit, animalia ſanguinea, quò pinguiora ſunt, eò minus cor habere, hincque porrò quando Plinius Hiſtor. natural. Lib. XI. c. XXXVII. tradit, Cæſarem Dictato-

ſtatorem in extis hoſtiæ bis cor deſideraſſe, infert, quis credat bovem excordem vixiſſe unquam? cùm animalium ſanguineorum principium ſit cor, à quo omnia dependent, ſubditque porro ſibi certe ipſi obtigiſſe, ut dum in theatro publico ſtruthiocamelum diſſecaret, cor tanta adipis quantitate obſitum invenerit, ut facile multis præſentibus fidem fecerit, cor huic avi defuiſſe.

14. *Cor permagnum & inæquali ſuperficie horridum, carneis veluti lemniſcis plurimis externe cinctum, in aquâ pericardii natitantibus, & branchias piſcium quodammodo mentientibus* Anatomicus dexterrimus Joh. Conrad. Peyer in Methodo hiſtoriarum Anatomico-medicarum, Scholio ad cap. VI. p. 87., *idem* in hydrope pectoris *centum duris tuberculis per totam ſuperficiem obſitum* Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. An. VI. Obſ. CXCIV., *pluribus pellucidis glandulis*, vel *quadam quaſi gelatina conſtantibus* extrinſecus circa utrumque ventriculum ipſumque apicem occupatum Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. II. Ann. I. Obſ. LXXXIX; tùm & *hydatidibus adnatis inæqualiter prominulum*, quibusdam in baſi, in apice quibusdam, aliis medio inter apicem & baſin ſpatio, ante & retro, quibusdam pendulis, quibusdam profundius quaſi immerſis &c. ὁ πάνυ Wepferus in Schol. ad Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. X. Obſ. CXXI. p. 314., non minus *carunculis* extra ſuperficiem ſemiunciam altis deforme, fungi ſpeciem exprimens, quam cavernoſam appellant, menſis multorum etiam principum expetitam, Peyerus l. c., *pilis refertum* Lanzonus Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. III. Ann. V. & VI. Obſ. CXXII., referunt.

15. *Cordis auriculam dextram tantæ molis, tamq; inſolitæ figuræ*, ut galli Indici junioris caput, dum œſtro venereo rubeſcit, colore & magnitudine referret, formam verò

fungi arbori accreſcentis non inepte repræſentaret, ex Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. VI. Obſ. CCVII; *mucronem excreſcentia quadam gravatum*, quæ colore variegato carcinomatis naturam induiſſe videbatur, una cum veſicula, ea parte, ubi arteria magna exoritur, propendente, duplici tunica prædita, ſuccum continente ſubamaricantem, ex Kerckringii Spicileg. Anatom. Obſ. LXXXIII. novimus.

16. *Cor in ſiniſtro hypochondrio palpitans* Miſcell. Natur. Cur. Decur. II. Ann. VIII. Obſ. CXIV., *idem* in ſiniſtram *cavitatem pectoris detruſum*, dextra auricula mire expanſa & ſpatioſa ventriculo ſubjecto multo ampliori Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. VI. Obſ. CCXXXII., *diſtortum* cuſpide ad dextram thoracis partem vergente in ſicario Pariſienſi Patinus, (citatus à Th. Bartholino Hiſtor. Anat. Cent. II. Hiſt. XXIX.,) in *dextrum latus* à ventriculo per vulneratum diaphragma ſurſum erumpente *retruſum* Sennert. Med. practic. lib. II. part. II. c. XV., in *dextro latere pulſans* Exc. Lentilius in parallelismo in appendice ad Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. III. Anni I. pag. 130., *penitùs inverſum*, apicem in dextro, baſin in ſiniſtro latere, ſiniſtrum ventriculum in dextra thoracis, dextrum in ſiniſtrâ parte reconditum Miſcell. Natur. Cur. Decur. I. Ann. II. Obſ. LXXVI., & Frid. Hofmannus in Cardianaſtrophe miranda deſcriptum memoriæ prodiderunt.

17. Adhæc *cor præternaturalia* etiam *contenta* ſenſui viſus exhibere, obſervationes loqvuntur: Inter quæ ſæpius obvenire ſolet *polypus*, concreſcentia mollis tenax & viſcoſa, variæ formæ, modo æqualis & obſcure fibroſa, lardo tenaci, albumini inſpiſſato aut medullæ oſſium coctæ ſimilis, modo filorum multorum vario ordine invicem ſuperinductorum, aut membranarum plurimarum

marum se invicem, uti pelliculæ cæparum, involventium specie conspicua, plerumq; oblonga & teretia rarius globosa, in exiguam aut magnam longitudinem extensa; ex chylo ac sero lymphatico viscoso-pituitoso à sanguine vel intra auricularum ventriculorumque fibrosas intercapedines, vel valvularum retinacula, vel vasorum propinquorum canales & tubulos depositio, hinc ibidem, adjuvante tam acido morboso coagulatore, quàm cordis sub systole facta compressione, agglutinato proveniens, de quo plura, si lubet, legantur apud Marcell. Malpighium in Dissertatione de polypo cordis, Wepferum de Apoplexiâ pag. 124. & 196. Th. Bartholinum Historiar. Anatom. Cent. III. histor. XVII. Theophil. Bonet. Sepulchreti pag. 104. 246. 285. 430. 492. 829. 1629.; conferantur Miscell. Nat. Curios. Decur. I. Ann. I. Scholion. ad Observat. XXVIII. Ann. IV. & V. Obs. XXXI. Decur. II. Ann. III. Obs. CLIII. Ann. VI. Obs. CCXXXII. Scholion ad Misc. Nat. Cur. Dec. II. Ann. X. Observ. CLXXIV. Epistola peculiaris de aortæ polypo Alexandr. Knipsmacoppe ad Carolum Patinum perscripta, in Appendic. ad Misc. Nat. Curios. Decur. III. Ann. I. p. 118. & 119.

18. Mirari adeo subit, cur Th. Kerckringius Spicileg. Anatom. Obs. LXXIII. tot tantorumque autorum fidem in dubium vocare, & *polypum* id cordis aut aliarum partium esse, quo vivi afflicti fuerint, *negare* ausus fuerit, *eumq;* solum *sanguinem* post animalium mortem demum *refrigeratum* & *grumosum mentiri* contenderit, siquidem tantæ amplitudinis & longitudinis sæpius obtutum subiit polypus, quò minus à sanguine ultima diastole recepto, & juxta Harvei ac Lovveri computationem uncias duas haud superante, efformari potuerit, adhæc viventes adhuc ejusmodi polyposi homines

mines per cordis palpitationem vel tremorem, pulsum inæqualem & interruptum, respirationis difficultatem, gravativum ac pressorium in cordis regione perceptum dolorem, polypi jamdum geniti præsentiam satis superque comprobaverunt. Nec etiam confundendi sunt pseudopolypi illi, quos ex sanguine mediante acido liquore in venas injecto ipse produxerat, & nos ad ejus imitationem antehac in Theatro nostro Anatomico infuso in venam cruralem brutorum oleo vitrioli aqua aliquantulum diluto ostendimus, cum vero polypo confundi debent, siquidem tales putatitii nonnisi sanguinis ab acido coagulati grumi habentur, atrorubentes, digitis friabiles, sicque primo intuitu mox dignoscendi.

19. *Extranaturalibus contingentibus* verò quis non immerito annumeraverit, *anguem bifidum flagellosum* Londini in Angliâ visum in Joh. Penant lævo cordis sinu, de quo videatur M. Aurel. Severinus de Abscessib. p. 281.; *singularibus* item accensuerit, in sinistro cordis sinu *glandulosæ & subnigricantis carnis* libras propemodum duas à Vesalio visas, tùm & *massam* in sinistro ventriculo inventam *fibrosam* pinguedinem repræsentantem, nulla parte adnatam, sed liberam ovi columbini magnitudine descriptam in Miscell. Natur. Curiosor. Decur. I. Ann. II. Obs. CXXXIII.

20. *Vermes* in *corde* genitos ex Salio, Angli etiam cujusdam *cor ab iis erosum* ex M. A. Severino refert Riolanus Enchirid. Anatomico-Pathologic. lib. III. c. VIII., plura exempla legantur in Miscell. Natur. Curios. Scholio ad Decur. I. Ann. I. Obs. L. Ann. IX. & X. Obs. XIII. Decur. II. Ann. VI. in appendice p. 18.

21. *Lapides tres in dextro cordis ventriculo* repertos narrat

rat Zacutus Luſitanus Prax. admirandæ lib. I. c. CXXXI. *lapidem* ramis coronariis majoribus, ubi dextrum à ſiniſtro ventriculo dirimunt, adnatum, & in altera valvularum *genitum* vidit Bellinus, recenſente Knipsmacoppe in Epiſt. medicinali de Aortæ polypo in Append. ad Miſc. Nat. Curioſ. Decur. III. Ann. I. p. 103.

22. *Os in corde humano* (quod humida admodum ſi reliquis animalibus conferatur eſt conſtitutione,) exquiſitum nunquam ſe reperiiſſe equidem ſcribit Veſalius Anatomicus exercitatiſſimus de human. corporis fabricâ lib. I. cap. XX., nihilominus in Pontificis Urbani VIII. *ſiniſtro cordis ventriculo triangulare* lit. T. figuræ ſimilitudine exprimens inventum Th. Bartholinus Cent. II. Hiſt. XLV.; in phthiſico ad radicem aortæ *os triquetrum* cordis picti figuram vel lit. Y. repræſentans viſum, Idem Cent. I. Hiſtor. L., non abſimile *cordis os tribus articulationibus* conſtans Felix Platerus lib. III. Obſervat. p. 618., *oſſiculum forma amygdalæ* & in hoc Baronis demortui impreſſam effigiem *meditullio cordis* admodum arefacti erutum fuiſſe Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. I. Ann. II. Obſ. XL., fidem faciunt. Sic & *valvulas ſemilunares* ad arteriæ magnæ è corde egreſſum ſitas *oſſeas* Miſcell. Nat. Decur. I. Ann. III. Obſ. CCXXCII., *mitrales valvulas* in *oſſeam ſubſtantiam induratas*, oſtiumque ita præcludentes, ut ſanguis in ſiniſtrum ventriculum penetrare nequiverit, J. C. Peyerus in Method. hiſtor. anatomico-medicarum p. 100., comprobant.

23. *Vulnera Cordis* quod attinet, de iis quia prolixe diſſeruit Excell. Bohnius, atque obſervationes plures adduxit, Benevolum Lectorem amandamus ad evolvendas Examinis vulnerum lethalium pag. 297. & ſeqq. Miſc. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. III. Obſ. CCLXIII. Decur. II. Ann. II. Obſ. CLXXXVIII. Anni III. Obſ. CXIII. & CXIV.

& CXIV. Anni VI. Obſ. LXXVII. Bartholinum Centur. I. hiſtor. anatomic. LXXVIII.

24. *Abſceſſus & ulcera* cor quoque invadunt, ſicuti Fernelius de partium morbis & ſymptomatibus lib. V. cap. XII. Hildanus Cent. II. Obſ. XXVII. Job. van Meeckren Obſ. medico-chirurgicar. cap. XXXV. Cardilucius in officina ſanitatis ad cap. CVII. Hartmanni prax. chimiatricæ, Theoph. Bonetus Sepulchreti anatomici lib. II. Sect. I. Obſ. XXVII. atteſtantur.

25. Nec inter *afflictiones cordis* morbidas *poſtremam* dixeris *ſyncopen*, poſt ἔκλυσιν, λειποψυχίαν, & λειποθυμίαν graviſſimam, cum præcipiti actionum vitalium & animalium abolitione, pulſu imminuto ac ferme abolito, ſudoreque frigido circa frontem tempora & artus erumpente ſtipatam, à variis cauſis principii vitalis ſeu Archei activitatem, cordisque hinc ſyſtolen, ac conſequenter ſanguinis peridromum intercipientibus, abrumpentibus, diſſipantibus, condenſantibus, ſupprimentibus, &c. oriunda.

26. Sed & moleſta ſatis paſſio ægris accidit *depravatus cordis in palpitatione & tremore motus*, ab humoribus flatibusque viſcoſis, ſanguine nimium rarefacto, vel ab acido grumoſo reddito, rore nerveo-acido-auſtero, vermibus in ipſo aut pericardio ſtabulantibus, aqua pericardii copioſiori, aut acriori, tuberculis & excreſcentiis tam externis quàm internis, tùm & aliis cauſis, fibras cordis motrices ad motus irregulares & anomalos laceſſentibus, vel æquabilem ſanguinis & ſpirituum influxum invertentibus, introductus.

27. *Cordis ſpaſmus ſive tetanus* ſanguinis intumeſcenti æſtui præcordia replenti, ſimulque cordis thalamos ac auriculas diſtendenti, ut fibræ ſuprà modum extenſæ ad propulſandam ſanguinis congeſti molem & continuandum circulationis filum inhabiles ſint, ingenioſiſſime à Celeberrimo Brunnero Miſc. Natur. Curioſ. Decur. III. Ann. IV. Obſerv. LXXI. deſcriptus proſtat, à me in Sereniſſima quadam perſona poſt cœnam largam, aſſumtum hauſtum ſpiritus vini aromatico-ſaccharati, moxque inſeſſum in ſimicupium calidum factum, antehac annotatus; cui affinis *tenſio cordis* lipothymiæ cauſa erudite declarata à Clariſſ. Rudolpho Jacobo Camerario Illuſtris Tubingenſis Lycei Prof. Publ. celeberrimo, in peculiari Diſputatione, cujus Synopſin vid. in Miſcell. Natur. Curioſor. Decur. II. Ann. V. Obſ. LIII.

28. Ceterum *retentorum & excretorum vitia in corde* quemadmodum ſub enumeratis hucusque variis ſymptomatibus ſimul concipi poſſunt, imò & debent, ſic *qualitates mutatæ ſub deformi cordis ſchemate* præcipue oculos in ſui contemplationem abducunt.

SPECIMEN XIII.

§. 1.

Pulmones, ſpiramenta animæ Virgilio lib. IX. Æneïdos v. 580. dictos, ad uſuram vitæ adeoque ſummè neceſſarios, multiplex morborum ſymptomatumque occupat ſeries. Et primum quidem ſe nobis ſiſtit ejusdem *Intemperies calida* ex genarum rubore, ſiccitate linguæ & inde eveniente ſiti, crebriori anhelitu aliisque præternaturalis caloris ſignis dijudicari ſolita, ſangvinis & ſeri lymphatici illuc confluentium dyscraſiæ ♁eo-♁inæ acriori imputanda; facile à cauſis procatarcticis & antecedentibus transmutanda in *peripneumoniam* malum gravius, (ſiquidem juxta B. Caſp. Hofmannum Inſtit. Medicar. lib. IV. c. XXV. §. 28. τὸ περὶ auget ſignificationem) ſive dictorum humorum affluxus ad pulmones per arterias plus æquo concitatus, ſive refluxus per venas & reſpective vaſa lymphatica interceptus, ac intra cavernulas veſicularum pulmonalium tunicæque ſuccingentis poros facta effuſio, hincque ſubſecuta ſtagnatio, *inflammationem* induxerit cum reſpirationis difficultate, pectoris oppreſſione, tuſſi & febre acuta ulterius ſtipatam, qualem malignam & exitialem Fabricius Bartolettus in methodo in dyspnœam lib. V. cap. XIII., & id genus morbi plus periculi quàm doloris habere excelſus ille Celſus de re medica lib. IV. cap. VII. recte cenſuit; propinquâ autem affinitate eidem accedere probabile eſt *Eryſipelas*, à ſubtili & volatili acido cum particulis ſanguinis ſalinis volatilibus acribus biliosis in extremitatibus vaſo-

rum pulmonalium & tunica ſuccingente extima coaguli formam aſſumente enatum, Hippocratis lib. II. de Morbis n. LIII. non ſolum à Molinetto in Diſſert. Anatomico pathol. lib. V. c. 2. p. 222. citati autoritate, ſed & exemplis à Ballonio Epid. & Ephem. lib. I. p. 23. & Th. Boneto ſepulchreti ſive anatom. practicæ lib. IV. Sect. I. Obſ. LVI. p. 1482. & ſeq. & 1509. confirmatum.

2. *Intemperies* vero *pulmonum frigida* deficientibus in fluidis catholicis portionibus ſpirituoſis ☿eo-☉inoæthereis, & ambientium vel aſſumtorum ſuſcepto refrigerio; *ſicca* calori quá interno quà externo reſiccanti, ac ſeri roridi defectui & abſumtioni, *humida* deniqúe redundanti *ſeroſæ colluviei*, per cauſas varias tam internas quàm externas adauctæ, adſcribi poterit, dum operoſum admodum fuiſſe legimus in ſignis tradendis Caſp. Hofmannum Inſtit. Medic. lib. IV. c. IX. p. 570.

3. Pulmones *vaſtos*, *lobis inſignibus*, *ſtigmatibus lividis* hinc inde *notatos*, *dextrum* liberum, in capite vero ſupremi lobi duritiem tactui offerentem, *ſiniſtrum* inferioribus lobis pleuræ & pericardio adnatum, adhæc memorabilem unum *lobum*, digitum fere longum & latum parvo margine cum ſuperiori cohærentem, hinc pendulum, duabus extremitatibus ab oſſe ſterni ſuſpenſum, inciſum aliorum vaſorum veſtigia nulla autem bronchialium exhibentem, adeoque *conformationem pulmonum ſingularem* erudite recenſuit Clar. Hartmannus Miſcell. Natur. Curioſorum Decur. II. Ann. IX. Obſ. X.; jamdudum autem in Carolo Sabaudiæ Duce nono præter alia monſtroſa *quintum pulmonis lobum* vidit putridumque deprehendit Franciſc. Puteus lib. 5. Apolog. Anatomic. pro Galeno contra Veſalium; è recentioribus pulmones ſine *ulla* fere *loborum diſtinctione* una tantum

tantum carnis ſpongioſæ compage efformatos Williſius Patholog. cerebr. c. IX. vidit.

4. Similiter *pulmonem maximum* omnem cavitatem totius thoracis replentem, in puello duorum menſium diſſecto, deprehendit Philipp. Salmuth. Obſervat. Medicar. Centur. I. XXII. Ceteroquin autem *pulmonum infarctum* à lento viſcoſoque humore haud periculo vacantem, quin magnam reſpirandi difficultatem inferentem recte advertit Daniel Sveppius in Epiſtola ad D. Schnitzerum legenda in Hornungi Ciſta Medica num. CLXV. p. 345., nec minus *eorundem intumeſcentiam* à ſanguine intra vaſa ſtagnante craſſiori ac fæculentiori bronchia premente Williſius pharmac. rationalis part. II. Sect. I. cap. 2. Schneiderus lib. III. de Catarrhis cap. VI. pag. 205. & D. Laurent. Wolfſtriegel Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. I. Obſ. XLIII., *dilatationem* demum *varicoſam*, ſpadon pulmonum dictam, veluti ſpeciem anevrismatis periculoſam & formidabilem Riolanus Enchiridii Anatomic. lib. III. cap. VI. in conſideratione annexa medica, deſignaverunt: Ejuscemodi verò malis facile ſubjiciuntur pulmones, tum propter ſubſtantiam veſicularem membranaceam illam teneriorem, tum glandularum bronchiis intertextarum copiam, tum vaſorum innumeras propagines & bronchia concomitantes, & per ſuccingentem externam tunicam diſtributas, fibrillarumque motricium tendinoſarum & nervearum, propter extenſionem nimiam perpeſſam, aut inſufficientem ſpirituum animalium energiam, languentem niſum oſcillatorium. Adhæc in cadaverum ſectionibus pulmonum parenchyma atque vaſa *flatu* adhuc diſtenta ſemet ſæpius offendiſſe ſcripſit Regnerus de Graaf de ſucco pancreatico cap. IX. pag. 609.

quamvis in assignanda eorum origine, à succi pancreatici acidioribus halitibus per effervescentiam cum bile alcalica concurrentibus, secundum ipsius opinionem petenda, rem acu minus tetigerit.

5. Jam verò ex quo facem præferente Nückio Anatomici moderni perspexerunt vasa lymphatica, ex lobulorum interstitiis enata, conspicuo numero per tunicam externam pulmonarem flexuoso ductu excurrere, hisce obstructis aut introrsum ruptis sicque lymphâ inter lobulorum intercapedines & membranæ exterioris interstitia effusa *hydropem pulmonum* induci posse nullus dubitabit, ejus namque olim Hippocrat. lib. 2. de Morbis, Marcellus Donatus Histor. mirabil. lib. III. c. 9. & plures alii à Schenckio Observ. Medicinal. lib. II. de pectoris & pulmonum hydrope meminerunt, de universi tamen thoracis inundatione hydropica potissimum intelligendi, quam propter erosam, ruptamque pulmonum substantiam, vel extrorsum hiantia vasa lymphatica, à pulmonibus illuc effusa lympha secum inferre solet.

6. *Pulmones plane defuisse in abortu monstroso*, ex Miscell Nat. Curiosorum Decur. II. Anni II. Observ. CXLIII., in hydropicâ *omni parenchymate destitutos*, solis vasis & membranis residuis ex Miscell. Nat. Curios. Decur. III. Ann. I. Obs. XCII., in homine stith-hydropico *sinistrum pulmonem* totum consumtum, servato solum veluti frustulo quodam aortis arteriis hoc est bronchiis applicato, ex Fabricii Bartholetti Method. in dyspnœam lib. IV. cap. III. p. 291., & in alio subjecto *amborum pulmonum defectum*, ut utrinque quid potius substantiæ pulmonicæ analogum videretur, ex fide ab eodem citati D. Jo. Baptistæ Viadanæ clari Medici, *frustulum* pulmonis *in*

phthi-

phthiſico abruptum atque ſub exſpiratione ad aſperam arteriam *protruſum* ſuffocationem & mortem repentinam intuliſſe, ex Miſcell. Natur. Cur. Decur. I. Ann. I. Obſ. XLI., *ſimile* longitudine ſeptem, latitudine tres digitos adæquans fauces occludens, ex Tulpii Obſervat. Medic. lib. II. cap. XIV., poſt vulnus totam fere *pulmonum* ſubſtantiam cum pure longo excretam, ex Foreſto in Schol. ad Obſ. XXXVII. lib. II. novimus: conf. Salmuth. Cent. I. Obſ. XIV. Panarola Pentecoſt. I. Obſ. XLVI. ſimiliter *pulmonum lobos ſuperiorem & inferiorem ſiniſtri lateris abſentes* ex M. N. Cur. Dec. I. Ann. IV. & V. Obſ. XL. percepimus.

7. *Compreſſionem pulmonum* à *mediaſtino* adipe onuſto, dilatationem eorum pro aëre inſpirando impedientem, in plurimis obeſis ſe deprehendiſſe, idem Bartholettus teſtatur, ſicuti *talem*, nec non *anguſtiam*, eorundem *ſubſtantiam veſicularem & vaſa interpoſita* vel *coarctando*, e. gr. aqua & pus in thoracis cavitatem effuſum, pericardium tumore diſtentum, introrſum luxatæ vel vitioſè inflexæ vertebræ, diaphragma ſurſum repulſum aut revulſum, ſternum depreſſum, vicina viſcera p. n. tumefacta, *tumores* & *tubercula* varia adnata, vel *opplendo* & *obſtruendo*, *fluidorum* aut *ſolidorum* corporum præternaturalia *coagula*, *concrementa*, *ſtabilimenta*, *excreſcentiæ*, vel *conſtringendo*, fibræ, à cauſis vel internis, vel externis ſpasmodificis contractæ, vel à nimia reſiccatione corrugatæ, efficere poterunt.

8. Adeoque *ſtrumoſam pulmonum ſubſtantiam* in Epiſtola medica de aortæ polypo legenda in Appendice ad Miſcellan. Nat. Curioſor. Decur. III. Ann. I. p. 96. Alexander Knipſmacoppe; eandem *aridam ſcirrhis plenam* Schenckius in Obſerv. lib. 2. de tumoribus pulmonum; in lobo dextro *pulmonum ſcirrhum ovi gallinacei* magnitu-

dine visum Hippol. Boscus de Facult. Anatom. Lect. IV. p. 23. 40. (confer. Misc. Nat. Curios. Decur. I. Ann. III. Obs. CCLXII. Decur. II. Ann. VII. Obs. CLXXXVIII. & Ann. X. Obs. CLVIII.) *steatomata & atheromata pulmonalia* Columbus lib. XV. Anatom., *pulmones* purulento *ichore* repletos Platerus Observat. lib. II. p. 455; *exustos aridos mucagine alba obductos* D. Bidgood in historiis rarioribus Edmundi de Meara p. 161; in *φθινώδει bronchia alba materia fere tota referta* Bonetus Sepulchreti lib. IV. Sect. I. in Scholiis ad Observat. XIII. p. 1407; in phthisica *glandulas* pulmonales pus continentes D. Alardus Hermannus Cummenus Miscell. Natur. Curios. Decur. I. Ann. III. Obs. CXIX; sero & maculis repletos *pulmones* post susceptam salivationem mercurialem D. Adamus à Lebenvvaldt Miscell. Nat. Curiosor. Decur. II. Ann. VIII. Obs. CXXII; deniqúe *cancrosos* Jacotius Comment. I. in lib. V. Sect. II. Aphor. 67. Coac. Hippocrat. à Schenckio in Observ. allegatus, *sanguine nigerrimo liquido* tum exquisita *sanie* multa *repletos*, citra tamen propriam eorundem *suppurationem*, Cardanus artis curandæ parvæ pag. 294. & seqq., nobis propalarunt.

9. *Tubercula bina in pulmonibus visa* ex Miscell. Nat. Curios. Decur. I. Ann. I. Obs. XLIV; *tuberculum crudum* cum dolore exili ante & retro, magna inspiratione, subdifficili spiritu, tussi sicca, calorisque incremento conjunctum, ex Jodoci Lommii Observat. Medicinal. lib. II. p. 132. & seq., *vomicam pulmonum* sive abscessum à sanguine extra vas quoppiam pnevmonicum propter solutionem continui factam effuso, paulatim hinc in pus converso, propriâ tunicâ investito, & in eorum aliquâ parte abscondito, ex Galeno lib. I. de locis affectis, Tulpio Observat. Medic. lib. II. cap. X. Bartholino Historiar. Anatomic. Centur. III. histor. XCV. Petr. Foresto lib. XVI.

Schol.

Schol. ad Obſervat. LI. Th. Williſio Pharmac. rationalis part. II. Sect. I. cap. X. & XI. Stalpart van der Wiel Obſervat. rariorum Cent. I. Obſ. XXXII. Miſcell. Nat. Curioſor. Decur. I. Ann. VI. & VII. Obſ. XCVII., & talem plusquam quadrageſies in muliere ſanatam ex Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. VI. Obſ. CXXCVI., collegimus.

10. *Lapides in pulmonibus calculoſq;* genitos ex diverſis Autoribus confirmant Bonet. Sepulchreti ſive Anatom. practic. lib. II. Sect. VII. Obſerv. LXXXVI., & Schenckius Obſerv. Medicinal. lib. II. n. 49., Miſcellan. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. VI. & VII. Obſerv. CXXXII. & in Scholio quamplurimæ adductæ Obſervationes, & Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. I. Obſ. CLXVII.; *grandines* ovi magnitudinem æquantes Galenus lib. IV. de locis affectis cap. IX., *pulmones grandineos*, inprimis ad bronchialia vaſa grandinum multitudinem, celeberrimus Hartmannus in Miſc. Nat. Curioſor. Decur. II. Ann. IX. Obſ. IX. vidit; merentur huc vero conferri, quæ *de grandinibus pulmonum* ἀκριβῶς, uti ſolitus erat, ſcripſit ὁ πάνυ Joh. Jacob. Wepferus in Miſcell. Natur. Curioſor. modo allegatorum Decur. & Ann. Obſerv. CCXXIX. & appoſitis Scholiis eruditiſſimis: addere ſaltem adhuc liceat obſervationem ſingularem Excellentiſſimi Wedelii in Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. III. numero XVI. conſignatam, de femina quadam, natione Holſata, quæ cùm ancillæ vices apud calcarium Jenenſem per aliquot annos geſſiſſet, & in officina calcis pulverem frequentius hauſiſſet, *calculos* à calcis vivæ coagulatione pronatos in pulmonibus ſuſcepit.

11. Ceterum *oſſa haud exigua* in pulmonibus pronata in Franciſco Capello ſub ſectione deprehendit Columbus

bus lib. XV. Anatom., *duo talia* inter pleuram & tunicam pulmonum *cavernoſa* genita in Miſcel. Nat. Curioſ. Decur. III. Ann. IX. & X. Obſ. XLIII. D. D. Guſtav. Caſimirus Gahrliep recenſuit & æri incidi curavit. Vid. etiam Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. I. Ann. IV. & V. Obſerv. CCCXXXVII.

12. *Vermes* intra *pulmones* & *uterum*, quo foveantur, & *hoſpitium*, quo excludantur, nanciſci Fernelius Patholog. lib. VI. cap. X., Braſavolus Comment. ad Aphor. 97. lib. IV. Hippocratis, fidem faciunt. confer. Boneti Sepulchret. lib. II. Sect. III. Obſ. X. cum Scholiis.

13. Sed & per tracheam *in bronchia* pulmonalia & ipſos pulmones nonnunquam ſub deglutitione ac inſpiratione ingrati irrumpunt aut impelluntur hoſpites, ſic *fabam* illuc delapſam lethali cum eventu refert Muys Obſerv. Chirurgic. Decur. VII. Obſ. IX. *ſemen phaſeoli minoris* ſpirando in pulmonem detruſum & aſperæ arteriæ parti, qua abit in ramos, *incuneatum* funeſtum Exc. Sommerus Miſc. Nat. Curioſ. Decur. III. Ann. V. & VI., tradunt: plura exempla leg. in Scholiis ad citat. obſervationem M. N. C. Decur. I. Ann. II. Obſ. CLIII. & in parallelismo ad hanc Obſerv. Decur. III. Ann. I. in Appendic. p. 129. Felicior ergo ſors obtigit *mulieri Patavinæ*, quæ *deglutitum* inter ridendum *avellanæ nucis nucleum* poſt exactum bimeſtre ſpatium tuſſi rurſus rejecit, vid. Th. Bartholin. Hiſtor. Anat. Centur. II. XXVII. & civi cuidam Hilzockerenſi, qui nucis avellanæ putaminis fruſtulum ante XIII. menſes intra trachæam admiſſum ſolo expectorantium uſu regeſſit, vid. Miſc. Nat. Cur. Decur. I. Ann. III. Obſ. CXI. tùm vel maxime Domino de Catyli Duci Rothomagenſi, qui nucis myriſticæ partem, tuſſim & extremam maciem ſibi intentantem, tandem

tandem cum tussi maximo repulit cum conatu, sanitati pristinæ postmodum restitutus, vid. P. Borelli Historiar. & Observat. Centur. IV. Obs. LXIII.

14. *Situm pulmonem* naturalem mutare innuit Hippocrat. de Morbis II. n. LVII., si pulmo ad latus prolapsus fuerit, ait, tussis tenet, & erectæ cervicis spiratio, & salivam tussiendo rejicit albam, & dolor ad pectus & dorsum emergit, & incumbens pulmo impellit, & grave quiddam in pectore incumbere videtur, & dolores acuti pungunt, & sanguis stridet velut pellis, & spirationem cohibet, & ad affectum quidem latus decubitum sustinet, non autem ad sanum; quæ omnia ex perverso pulmonis situ suboriri, dum quæ inania esse convenit replentur, hinc aëris transitum impediri, illapsum etiam in latus pulmonem, jacenti in contrarium, molestiam afferre, dum pressus pondere in oppositum propendet, & cordis spatia opprimit, perversionis autem causam solere esse motus vehementiam, vel fibrarum laxitatem, per quas partibus thoracis cum ante tum retrò affigitur, censuit Anton. Molinettus loco ante citato.

15. *Pulmonum vulnera* si in substantiam pulmonum profundius penetraverint, atque arteriæ venæque pnevmonicæ ramos majores, vel plures minores cum insigni sanguinis profusione, sauciaverint, non possunt non ob nectaris vitalis nimium dispendium, à pulmonum perpetuo motu adaugeri solitum, pro lethalibus haberi: *superficialia* nihilominus & *levia* curam admittere observationes testantur, qualem egomet habui in caupone pagi Oberferrieden, cui anno supra millesimum

ſexcenteſimum nonageſimo ſecundo pulmonis dextri lobus globulo ſclopeti transfoſſus erat, à me Divinâ medicamentis benedicente gratia reſtituto, vid. Miſc. N. Curioſor. Decur. III. Ann. I. Obſerv. CXLI., quid quod & vulnera graviora ſæpe medelam recepiſſe experientia loquatur, ſive caſu ſive arte ſanguinis profluvium & alia pernicioſa ſymptomata cohibita, prævisa, & præcauta fuerint; quinimo ſi ullibi hîc veriſſimum deprehenditur Valleriolæ lib. IV. Obſervat. X. effatum, quòd plagis planè lethalibus vulnerati propeque ad internecionem cæſi incolumes quandoque evadant, exempla ſi deſiderentur, vid. Miſcell. Natur. Curioſor. Decur. II. Ann. II. Obſerv. XXXVII. Ejusd. Decur. Ann. IX. Obſerv. XCIII. Anni ſequent. X. Obſerv. CII. Thom. Bartholini Hiſtor. Anatomic. Cent. V. Hiſtor. XCVI. Foreſti lib. VI. Obſerv. Chirurg. IV. Hildani Centur. II. Obſerv. XXXII. Tulpii lib. II. Obſ. c. XVII. Nicol. Fontani lib. I. Reſp. & Cur. Medicin. p. 11.

16. *Phthiſis, apoſtemata* ac *ulcera* pulmonum à lympha ſalſo-muriatica, bile ſalina volatili acri, humore acri acido vitio digeſtionis privatæ in pulmonibus genito, inflammatione ſuppuratoriâ, ſanguine extravaſato puris acris indolem induente, pure ex vomica vel tuberculis purulentis ruptis effuſo, vulnere prægreſſo, exhalationibus metallicis, mercurialibus, arſenicalibus, ſulphureis, miasmatibus contagioſis, ſub inſpiratione ſuſceptis, pilulis mercurialibus deglutitis teſte Foreſto lib. XVI. Obſerv. LVI., vermibus, & aliis cauſis violentis externis ſolutionem continui ſubſtantiæ teneriori membranaceæ vaſculisque numeroſis interfuſis

ſis intentantibus. Quin & in culpa ponenda eſſe videtur nativa ſive hæreditaria diſpoſitio, à parentibus vel cum ſemine ad natos transfuſa, & vel in teneriori parentum æmula ſtructura pulmonum, vel in humorum peculiari dyscraſia ſuppuratoria quærenda, ſiquidem teſte Fernelio patholog. lib. V. cap. X. pleriſque jam ab ipſo ortu & à parentibus latente pulmonum vitio tenentur, quo tandem omnes contabeſcunt, etiamſi nulla aut certe minima deſtillatio è cerebro aut aliunde decumbat. Qui tabida ſtirpe nati ſunt, quaſi hæreditario jure omnes neceſſario tabe marceſcunt, hocque malum ſæpe idem vidit in omnes ejusdem familiæ ordine graſſari. Et qui natura pectus anguſtum atque depreſſum obtinent, hi ſunt in tabem procliviores.

17. *Cancroſum pulmonem* Jacotius Comment. I. in lib. V. Sect. II. Aphor. 67. Coac. prænotionum offendit. *Sphaceloſum* Salmuth Cent. I. Obſerv. IV. enarrat. Sideratam partem membranæ ſuccingentis & coſtarum, dum æger ante triennium pleuriticus, nunquam pus expuerat neque ſanguinem, refert Hollerius libello proprio obſerv. 16. citatus à Schenckio Obſervat. Medicinal. lib. II. de Tumoribus pulmonum n. 162. Nigrum, ſpumoſum, concretum undique poroſum ſanguinem, ſpongiam aut pumicem repræſentantem cum valida tuſſi excretum, ob pulmonis partem nigricantem repertam & ſphacelo corruptam, vidit Dodonæus Obſerv. Medicinal. cap. XXIV.

18. *Pulmonum coaleſcentiam cum pericardio* Fabricius Bartolettus Method. de difficil. reſpirat. Part. III. lib.

IV. c. 3. pag. 291. *coalescentiam cum thorace* Idem lib. IV. part. II. c. 25. p. 269., *cum costis* p. 271., *nexum firmiorem cum pleura nunc in alterutro nunc in utroq. latere* Columbus lib. XV. Anatom., consignaverunt, plura leg. apud Job. van Meeckren Observ. Medic. Chirurg. c. XXXV. p. 154. Theophil. Bonetum Sepulchreti sive Anatom. practic. lib. II. Sect. I. Obs. LXIII. & seqq. Isbrandus de Diemerbroeck Anatom. lib. II. cap. XIII. postquam annotaverat pulmones pleuræ nunc toto ambitu, nunc aliquâ parte, fibrosis nexibus alligari, atque in prosectionibus se inveniisse, fere tertiæ hominum parti hanc connexionem contingere, postea animadvertit, Massam, Riolanum, Bartholinum, Lindanum, errorem errare communem, quando ejuscemodi pulmonum cum partibus vicinis connexionem dyspnœam diuturnam & incurabilem post se trahere scripserunt, in contrarium enim profert observationem in capitaneo furum Anno 1660. mense Novembri publice dissecto habitam, qui in vita optime sanus sine ulla respirandi difficultate vixerat, tametsi in eo pulmo in utroque latere undequaque, non solùm pleuræ, sed & toti diaphragmati & mediastino, tam firmiter annexus fuerit, ut non sine magnâ dilaceratione avelli potuerit.

19. Adhæc *symptomata* pulmonibus infensa sunt quamplurima: *Actio* quippe *eorundem* sive *respiratio* in reciproco aëris commeatu consistens, nunc (*a*) *augetur*, sub concitatiori corporis motu, fluidorumque catholicorum peridromo, ac spirituum impulsu vehementiori; nunc (*b*) plus minus eadem *imminuitur*, sub *respirandi difficultate*, *asthmate*, *orthopnœa*, idque (1.)

quando

quando bronchia ac veſiculæ pulmonales præternaturaliter obſtruuntur, ab humoribus *pituitoſis* craſſis viſcidis à *ſanguine* vel *glandulis* illuc depoſitis, vid. Hildan. Cent. I. Obſ. XI. Hollerius Prax. lib. I. c. XXV. in ſcholiis, vel *lympha* ſimili vitioſa ex glandulis aſperæ arteriæ & bronchialibus extillante, vel *ſanguine* coagulato atro congeſto, vel materia *purulenta*, vel pulverulento *molarum* polline juxta Miſcellan. Natur. Curioſor. Decur. III. Ann. V. & VI. Obſervat. LXIII., vel *lapicidarum* pulviſculo juxta Diemerbrock. Anat. lib. II. c. XIII., vel *polypoſis* excretionibus, tuberculis, vomicâ, calculis grandioribus, maſſa indurata eſſentiæ pulmonum coadnata ingenti copia lapillorum referta juxta Schenckium Obſervat. lib. II. de aſthmate LXIII. (2.) quando *comprimuntur* ſimul tum à cauſis nonnullis jamdum adductis, tùm à *thorace* ſub *gibboſitate* male figurato, vid. Hippocrat. Sect. VI. Aph. 46., vel alias natura *arctiori*, vel *pectoralibus* munimentis nimium coarctato, aut coſtis & cartilaginibus morboſe depreſſis, vid. Bonet. Sepulchreti lib. II. Sect. I. in Scholiis ad Obſerv. CXVI. item à fracturâ ſterni & coſtarum, vid. Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. III. Ann. V. & VI. Obſervat. CLXXIX. vel viſceribus incumbentibus, interpoſitis, & ſubjacentibus in præternaturalem tumorem diſtentis, arteriis item & venis pnevmonicis oſſeis redditis; (3.) *quando* ab aëre nimis panſo aut raro, vel plus æquo craſſiori, vel arſenicalibus, ſulphureo-acidis, aut vitriolaceis, aut ſebaceis, aut mercurialibus tetris effluviis gravido, flatibus & halitibus viſcoſioribus in motu ſuo, ſublato etiam ambientis & interni aeris æquilibrio, ac humorum circulo *ſufflaminantur*, vid. Pechlinus lib.

III. Obſerv. phyſico-medicarum XLIV. Borrich. Actor. Hafniens. Vol. V. Obſerv. XXCVI. Sylv. Prax. Medic. lib. I. c. XXIII. §. 24. &c. (4.) quàndo *fibræ tendineæ & motrices bronchiorum pulmonalium nervique pnevmonici phrenici* ac *thoracici* à materia ſalino-acri acida vel auſterâ ex ſanguine vel lympha ſuggeſta ſpasmodicè contrahuntur, vel propter nimiam ariditatem *corrugantur*, tuncque propter tubulorum æoliorum conſtrictionem non ſolùm aeris commeatus liber impeditur, ſed & ſanguinis peridromus intercipitur, dum nervuli recenſiti vaſcula ſanguifera ſuo circuitu hinc inde amplectentes ſimul conſtringunt, ſicque *aſthma convulſivum* efficiunt. (5.) quando *mobilis* coſtarum cum ſterno ſpinâque *connexio* & *conformatio læſa* thoracis motum ad reſpirationem neceſſarium impedit, vel ſpirituum animalium ad muſculos reſpirationi deſtinatos influxus interruptus, aut diaphragmatis obſtacula, movendi potentiam intercipiunt. Porrò reſpiratio (*c*) *depravatur* ſub *rhonco* ab infarctu pulmonum quadantenus eveniente, *ſibilo* item & *fiſtuloſo* pectoris *ſono* aeris per anguſtiam pulmonalem alicubi factam eliſionem inſequente, tum & præcipue ſub *tuſſi*, vehementi illa crebra & ſonora aeris copioſioris prius admiſſi ex pulmonibus exploſione, à fibrarum tracheæ ſenſilium ac motricium pnevmonicorum pulmonumque, nec non conſequenter muſculorum pectoris, contractione ſpasmodica, propter irritationem prægreſſam, à ſero lymphatico ſalſo aut acido, aut pituita, aut humore viſcoſo plus minus acri, pure, halitibus & fuliginibus intemperatis, ſanguine pulmonali extravaſato, pure effuſo, pulvere aut fumis ſub inſpiratione

ratione admiſſis, vermibus, calculis, concretionibus gypſeis in pulmonibus genitis, aere inclementiori, potu frigido, alimentis vel medicamentis acribus aſſumtis, vicinisque aliis partibus morbosè ſeſe habentibus, ac fibras prædictas laceſſere ac irritare valentibus inducta, eveniens; denique (*d*) ad ſenſum fere *aboletur* ſub apoplexia graviori, ſyncope, aut hyſterica paſſione decumbentibus.

20. *Excretorum vitia* notantur, in *hæmoptyſi*, ſanguinis ex partibus reſpirationi dicatis facta rejectione, propter eorundem vel *anaſtomoſin*, per ſanguinis abundantiam aut abſolutam, aut ex menſium vel hæmorrhoidum ſuppreſſione aut intermiſſa conſueta aliàs ejusdem imminutione comparativam, aut orgasmum & elaſticitatem adauctam inductam; vel *diapedeſin*, à ſanguinis tenuitate ichorosâ, aut fibrarum vaſculoſarum nimiâ laxitate profectam; vel *diæreſin*, per acrimoniam ſanguinis, chyli, ſeri lymphatici, bilioſam, aut ſcorbuticam, aut puris colluviem, coactam vocis acutæ expreſſionem, tuſſim graviorem, clamorem vehementiorem, riſum immodicum, ponderis gravioris elevationem, & alias cauſas externas violentas, impetu ſuo ſolutionem continui in vaſculis ſanguiferis efficientes factam, oriundâ. Sed & huc referri merentur puris, muci viſcidi, calculorum, grandinum, vermium, vaſculorum pulmonalium eroſorum, ſubſtantiæ eorundem putrilaginoſæ, nec non fruſtulorum pulmonalium citra tabem à muliere ſimulata per tuſſim rejectio, de quâ ieg. Borellus Centur. IV. Obſerv. XXCI.

21. Tan-

21. Tandem *qualitates mutatæ habitudini naturali inimicæ* in pulmonibus obſervantur, quarum præcipuas eleganter complexus eſt Dominicus Panarolus Pentecoſt. III. Obſerv. XV. verbis ſequentibus: Nos inter centum cadavera, ait, vix quinque invenimus, in quibus pulmones non eſſent aut variegati aut nigricantes, aut dealbati, aut exſiccati, aut purulenti, aut aquoſi, aut coſtis inhærentes, aut in totum ex una parte carentes, aut his ſimilia; quod nullo modo oriri poteſt niſi ab aëre Romano, ſed non omni, nam ii qui habitant in ſummitatibus, & præcipue in alta ſemita, in colle hortulorum & monte Exquilino, meliori ſanitate fruuntur; ille enim aër Zephyro expoſitus ſympathiam quandam habet cum ſanguine, qui ſi melancholicum terreum morboſumque invenerit, beneficio ſingulari fluidum florentemque reddit.



SPECIMEN XIV.

§. 1.

POst morbidam *pulmonum* viſam *diatheſin* progredimur ad *eorundem cannæ*, ſive *ſpiralis fiſtulæ*, *tracheæ* & *arteriæ aſperæ*, quaſi ἀεροτηρίας, præternaturalem conſtitutionem declarandam, hæc namque cum illis nexu nunquam metuente reſolvi conjuncta ſpectatur. Contemplabimur adeò primò ejusdem *ramos* inter *pulmonum membranaceo-veſiculares ſubſtantiam* multiplici ſerie diſtributos *bronchia* dictos, quorum *inflammationem* vel ſolam, vel peripnevmoniæ ſociam, *ſangvinis* ♀eo-☉ini in *vaſculis* & *pnevmonicis publicis* & *bronchialibus privatis* interceptus commeatus, *intemperiem humidam* ex glandulis inrerioribus retiformi vaſculorum texturæ interſperſis effuſa ſeroſa colluvies, aut lymphæ exundantia, *ſiccam* denique æſtuantis circa præcordia *ſangvinis* fervor, halituumque expanſivus ac preſſorius *calor*, tùm & præcipue *ſeri roridi defectus*, inducere poterunt.

2. *Meatuum* autem *in tubulis* iſtis ipſis *æoliis anguſtiam* & *obſtructionem* nunc *pituita* ibidem depoſita lenta tenax ac *glutinoſa*, *nunc pus*, nunc *cruor extravaſatus*, *tubercula*, *lapilli*, *grandines*, *polypoſæ excreſcentiæ*, & alia extraordinaria, tum & quædam toto genere præternaturalia, in iisdem atque circumpoſitis pulmonibus *enata*, aut *impulſa*, aut *detenta* corpuſcula, in ſpeciminis proxime antecedentis §. 8. 9. 10. 11. 12. & 13. recenſita, *vel compreſſionem vel conſtrictionem* ibidem in §. 7. enarratæ cauſæ, ſimul moliri conſueverunt.

3. *Vulnera* & *ulcera bronchiorum* quoniam & *cauſas* & *ſymptomata* ac reliquam *ſortem cum pulmonibus* communem habent, remittimus Benevolum Lectorem ad retroſpi-

ciendos citati speciminis §. 15. 16. 17; singularem saltem hîc recensebimus observationem in Illustrissimo quodam S. R. I. Comite antehac à nobis annotatam, qui post asthma diuturnum, pulsusque à polypo cordis factam subinde sufflaminationem, tandem tussi ferina cum febre catarrhali & ictero gravi correptus, *pituitosa coagula bronchiorum figuram* & *divaricationes* ramiformes exacte repræsentantia croceo colore saturatè tincta rejecit, sanitati tum aliquantum restitutus, sub velociori corporis autem intentato motu ac animi pathemate concitatiori subitaneâ morte post oppressus.

4. *Supervacaneum* foret, si *symptomatibus bronchiis infensis* enumerandis peculiarem operam hîc collocare vellemus, dum enim hæcce non solitarie sed in pulmonum communitate obveniunt, talem jamdum in superioris speciminis §. 19. & seqq. impendimus.

5. Quin ergò potius nos recipimus ad *truncum asperiæ arteriæ* sive *bronchum* invisendum, prout is p. n. affici solet; ubi quidem nobis mox obvenit Joh. Rhodii Centur. I. Obs. C. in cadavere feminæ anno 1624. consignata observatio, cui *asperia arteria tota* erat *inflammata* parte interiori cum notabili nigredine, conf. Bonet. Sepulchret. L. I. Sect. XXII. Obs. I. quid quod & *bronchi tunicæ ac hemicycli* ab *aëre* qua *externo* ingrediente qua *interno* exeunte plus æquo fervido ultra modum *resiccari*, à *recrementis salinis acrioribus* illuc depositis *exasperari*, ab *uberiori seri* ex glandulis *alluvie humectari* & *relaxari*, (vid. Celeberrimus I. I. Wepferus in cicut. aquaticæ histor. ac noxis p. 266.,) *media* autem intus efformata *cavitas* à fortuito *illapsis* vel *intrusis*, aut ex pulmonibus *rejectis recrementis*, aut *pituitæ*, *cruorisq; extravasati*, *coagmentis*, sustentatis *obturari*, sese patiantur: Sic summe meritus Academiæ Naturæ Curiosorum quondam Præses, Beatus D. D. Volckamerus Senior, in Schol. ad

Ob-

Obſerv. CXXXIV. Decuriæ II. Anni II. Miſcellan. Nat. Curioſ. puero bimulo oſſiculum in aſperam ateriam illapſum inſufflato naribus lilior. convallium pulvere vi ſternutationis feliciter excuſſit.

6. Plurima *craſſæ albæ*, ac *glabræ* alicujus *membranæ fragmenta*, ab *interna* bronchi *tunica* per ferinam atque acrem deſtillationem abraſa expectorata Nicol. Tulpius Obſervat. Medic. lib. IV. cap. IX., *cartilagines* aſperæ arteriæ *corruptas* à Laurentio quodam Alemanno tuſſi rejectas Petr. Foreſtus Obſervat. & Curat. Medicinal. lib. XV. in Schol. ad Obſ. XXXII., miras *tracheæ exulcerationes* Marcellus Donatus de medic. hiſtor. mirabili lib. III. c. 2. Zacutus Luſitanus de Medic. princip. hiſtor. lib. II. hiſtor. II. & III. Galeni de ulcere tracheæ, *abſceſſum externum glandioformem* nucis juglandis magnitudine mox *ſub capite* aſperæ arteriæ ad *cartilaginoſos circulos* firmiſſima radice adnatum Ehrnfrid. Hagendornius Hiſtor. medico. phyſicar. Centur. I. hiſtor. LXXXIX, memoriæ prodiderunt.

7. *Broncho* inflicta *vulnera*, qua parte extra thoracem is in collo prominet, non obſtante cartilagineâ hemicyclorum ſubſtantia, nec præpediente aëris frigidi immediato occurſu, nec turbante continuo ſub reſpiratione motu, nec ſanguinis ac ſaniei ad pulmones delapſu reſiſtente, à circumeffuſo ex membranis & ligamentis carneo-membranaceis nutricio & balſamico glutine conſolidationem admittunt, ſicuti exemplis plurimis id confirmant Schenckius lib. II. Obſervat. XL. Joubertus de affectibus thoracis c. I., Paræus l. IX. c. XXIX. Tulpius lib. I. Obſ. L., Marcus Aurelius Severinus Chirurg. efficacis Part. II. cap. XL; tametſi facile concedamus, ſub latiori ejusmodi vulnerum ſpatio vaſa ſanguifera per collum lateraliter aſſurgentia cum nervis ſimul læſa mortem inferre inevitabilem. Atque hinc à Practicis & Chirurgis fide dignis edocti novimus, in

deſperata anginâ, conclamatis ferme ægri rebus, viam aëri ad pulmones pandi per *bronchotomiam* (minus recte *laryngotomiam*, Fieno concinne *tracheotomiam*, Aquapendenti barbaro vocabulo *ſubſcanationem dictam*) inciſionem nempe inter tertiam & quartam, vel quartam & quintam cartilaginem inſtitutam, ac intruſam mox cannulam alatam, de quâ plura leg. apud Joh. van Horne in Microtechn. §. 17. Celeberrimum D. D. Joh. Guilielmum Pauli in annotationibus eruditiſſimis p. 433. & ſeq., Nuckium Experiment. Chirurgic. XXV., Joh. van Muralto Hippocrat. Helvetic. p. 546. Dolæum Encyclopæd. Chirurgic. rationalis. lib. IV. c. XIV. Quærit autem Riolanus an in *ſtertore ſuffocante* idem tentandum, cum æquè tuto id adminiſtretur? ut liquor dulcis attenuans & incidens aſſumi vel introduci queat ad incidendum ſputum, & provocandam anacatharſin, ſi fieri poſſit, nec dolor tuſſiendo impediat.

8. Interea tamen prudentiſſime animadvertit Excell. Bohnius in Examine Vulnerum lethalium p. 279., tracheæ ſub claviculis & in thorace reconditæ vulnera utplurimum ſuffocando enecare, hinc ſub tali circumſtantia per ſe lethalia pronunciari debere, quod ars naturam in conſolidando juvare nequeat, ſoli vero hujus robori commiſſa opera, quorum ſucceſſus incerti, judicio ſuper lethalitate enunciando normam ſuppeditare haud valeant, cùm non de hujus ſed artis potentia, ubi de lethalitate deponendum, quæſtio ſit, aliàs vulnus illud aſperæ arteriæ ac venæ jugularis Paræus l. a. præter expectationem & divino potius favore quàm arte ſanatum fuiſſe non ſcripſiſſet. Sane enim ſanguinis intra pectoris cavum tunc ſimul introducta effuſio, aërisque irrumpentis admiſſum elaterium veſiculari pulmonum ſubſtantia compreſſa reſpirationis detinebit negocium.

9. Pro-

9. Proximum nunc eſt, ut *Laryngem* ſive *caput aſperæ* contemplemur *arteriæ morbifice p. n. conſtitutum.* Siſtit verò hîc ſeſe nobis ſtatim *Angina, tumor* nempe *vel inflammatorius angina vera* cognominatus, in muſculis laryngis *proximis*, aut *gulæ vicinis* quà *internis* qua *externis à ſanguinis bilioſi* intercepto inibi peridromo enatus: vel *œdematoſus angina notha* itemque *ſpuria* nuncupatus, à ſanguinis pituitoſi lenti lymphæque viſcoſioris ſubſiſtentia & commeatu reciproco ibidem ſufflaminato progenitus: *ſingulatim* verò ejuscemodi *tumor* ſi *interiores laryngis* vel *gutturis* muſculos κυνάγχη, ſi *interiores gulæ muſculos* occupet, συνάγχη, ſi *exteriores gutturis muſculos* obſideat παρακυνάγχη, *ſi gulæ*, παρασυνάγχη, appellari ſolet. Vid. Sennert. Medicin. practic. lib. II. Part. I. c. XXIV. Ettmüllerus Oper. T. II. p. m. 602. Paulus Barbette prax. lib. II. cap. I. & Frid. Deckeri appoſitæ notæ; quam tamen ἀκριβολογίαν planè ſupervacaneam cenſuit Beatus Univerſitatis & Facultatis noſtræ Medicæ Senior cujus memoria ſit in benedictione in Amaltheo ſuo p. 60., & nullum inde commodum reſultare, ſed potius Medicis confuſionem parere reputavit Cl. Dolæus Encyclop. Chirurgic. lib. II. cap. I. p. 581.

10. *Laryngis monſtroſi* exemplum recenſet Hoferus in Herculis Medici lib. I. cap. XII. in ruſtici cujusdam filio recens nato viſi, à cujus gula per medium palati ſpatium proceſſerat rotundum & oblongum corpus cartilagineum, (anſerinam dixiſſes aſperam arteriam) quod extra os ſiniſtræ narium alæ firmiter adhæſerat, & in tuberculum triangulare durum contilagineum terminabatur, ut hinc idem conjecerit, laryngem eſſe è gula per errorem facultatis formatricis, forſitan per imaginationem matris protruſum, incurabilem & portentoſum.

11. *Laryngis cartilagines* in declivioris ætatis corporibus *oſſeam* nanciſci *duritiem* Columbus lib. I. Anat.

c. XIII. & Coiterus lib. I. Obſervat. Anatomic. deprehenderunt, & Riolanus Enchirid. Anatom. lib. IV. c. XIII. talem obſervatam eſſe memorat in quibusdam qui ſtrangulari non potuere in patibulo, nec tantum laryngem ſed etiam canalem aſperæ arteriæ aliàs cartilaginoſum oſſeum, hujusque aſſerti fidem facit Cardanus, qui lib. II. Tract. H. Contrad. 7. fuiſſe olim Bononiæ ſuſpenſum, ſed ſervatum, quòd aſperam arteriam habuiſſet oſſeam, & lib. XIV. de varietate rerum c. LXXVI. quendam bis cruci affixum, ſed eandem ob cauſam ſalvum evaſiſſe, refert. *Oſſiculum* retro *laryngem* natum magnitudine avellanæ majoris ſenſus ibidem moleſti & tuſſis cauſa poſt mortem detectum fuit à Cl. Reiſelio M. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. II. Obſ. CXVI.

12. *Glandem plumbeam* per laryngem ad usque primam cervicis vertebram intruſam & incolumi ægro detentam narrat Ambroſ. Paræus de monſtris & prodigiis lib. XXIIII. c. XIX., *ſemen anguriæ* à puero trienni devoratum, per trimeſtre tempus citra corruptionem in larynge detentum, demumque nulla parte immutatum ac ſi ex recente fructu noviter extractum eſſet, tuſſiendo fortiter exſcreatum teſtatur Panarol. Pentecoſt. II. Obſ. VII. *Tumorem* ex deſtillatione catarrhoſa ad venam jugularem circa aſperæ arteriæ principium omnino *cartilagineum*, filamentorum plurimorum ope muſculis cervicem deorſum trahentibus connexum & aëri & alimentis viam præcludentem, nec ulla arte auferendum Job. van Meeckren Obſervat. Medico-Chirurgic. cap. XXXVII., & in puero decenni poſt lapſum aſthmatico reddito lapides quamplurimos ex gypſeâ materiâ concretos Bonetus Anatom. practic. lib. I. Sect. XXII. Obſ. III. annotaverunt.

13. Porrò

13. Porrò *Scutiformis* cartilago, viris antrorsum magis quam mulieribus prominens, tactuique exposita, subinde *gemina* idque in Viris visa est à Vesalio de human. corporis fabric. lib. I. c. XXXVIII. p. 186: Speciatim verò morbosis pathematibus obnoxiæ sæpius habentur *cartilagines binæ arytænoides* & *guttales* cum *apertura media glottis* vel *rimula* nuncupata, illæ siquidem nimium *comprimuntur* & *angustantur* à musculis accumbentibus vel sub tumore p. n. intumefactis, vel spasmodice contractis, vel à laqueis & vinculis circumjectis *constringuntur*, vel à *nucleis esculentis* aliisque *corpusculis* irrumpentibus vel intrusis, aut *depressa* nimium vel arctius *incumbente*, aut intercedente limo viscoso quasi *agglutinatâ*, epiglottide *occluduntur*; quin & viceversa sub *vociferatione* nimia, *clamore indomito*, musculorum *arytenoidum* languidiori nisu systolico, uberiorique seri afflu-xu *relaxantur*, atque idcirco Cl. Wepferus in l. c. p. 267. si tonsillæ, seri secretioni & effusioni destinatæ glandulæ à vehementissimo vomitu labefactatæ sint, inde humoris plus extillare & *laryngis* rimulam ab acri salso humore irritari atque ad tussim stimulari reputavit, dum ceteroquin à tali & aliis sub raucedine recensendis causis *asperitatem* membranæ propositas cartilagines investiente induci palam est.

14. Prætereà *Epiglottis inflammatione* tentatur juxta Hoferum Herculis Medici lib. I. c. XI. p. 88.; vel *p. n. rigida induratur* ob deficientem humiditatem rorido-mucaginosam, tum ex caruncula pingui ejus parti gibbosæ incumbente tum ex glandulis minoribus parti concavæ subditis subministrari solitam, & excedentem calorem resiccantem tabificum; vel *à musculo attollente proprio* nimium *relevatur*, adeoque quando tunc vel alias sub admisso inter deglutiendum risu aut exspiratione validiori plus solito dehiscit, esculentorum aut potulentorum

torum intra rimulam declivi aberrationi (quod vulgo vocant in den unrechten Schlund kommen) tramitem pandit; quin & alii cuidam *phænomeno* anſam ſuppeditat, dum aſſumtis ſolidis eandem *deprimere* valentibus ſponte cedit, fluidis non adeo promte paret, adeoque illorum præ his deglutitionem faciliorem infert; conſimile prorſus pathema adduxit Guil. Fabric. Hildanus Obſervat. Chirurgic. Cent. V. Obſ. XXXV. alia tamen ſubdita cauſa, quod nimirum in viro ſexagenario paralyſi correpta & humore viſcido imbuta epiglottis aſperam arteriam exacte obtegere haud potuerit, adeoque liquida & inprimis tenuium partium vinum in ipſam aſperam arteriam ſeſe diffundendo ſuffocationis metum excitaverit, duriuſcula contra ratione craſſitiei & ponderis operculum aſperæ arteriæ depreſſerint, & proinde ſine difficultate ad ventriculum pervenerint. Andr. Laurentius Hiſtor. Anatomic. lib. IX. poſt cap. XVII. ſubnexa quæſt. XXVI. cur aliquando liquida difficilius devoremus à cauſis diverſis deducit, viz: *ab eroſa epiglottidis portiuncula*, per ſolidi non permeare idonei alimenti pondus depreſſa, viam ad gulam ſolum concedente, liquidis per fiſſuras & rimulas minimas illius in tracheam influentibus, *ab oſſis ypſiloidis* & *laryngis muſculis* paralyſi aut ſpasmo tentatis, ſolis adeo cibis ſolidis pondere & gravitate declivem ad gulam tranſitum ſibi parantibus, *à tumore & inflammatione glandularum*, in faucibus obviarum, nec non *caruncularum mollium & fungoſarum*, in interiore œſophagi parte adnatarum, à potulentis imbibitis in majorem molem deglutitioni obſiſtentem tunc expanſis, ſolidis vero & ſiccis per compreſſionem & coarctationem dictarum glandularum cavum tranſitorium ſibi facile efformantibus.

15. Re-

15. Reliquum eſt, ut *ſymptomata aſperæ arteriæ totius* indagemus, *actiones* itaque *læſas* quod attinet, ipſæ vel in *reſpiratione* vel *ſonoræ vocis expreſſione læſa* attendendæ ſunt: & *priores* quidem cùm ex præcedentis ſpeciminis §. 19. facile colligi poſſint, de *poſterioribus*, ut loquamur, reſtat.

16. *Sonoræ* igitur *vocis* ſive *vocalis ſimplicis efformationis aucta actio* obvenit ſub *vociferatione*, & *clamore* majori cum impetu prolato, conſpirante hûc inſigni fibrarum motricium in muſculis, thoracem deprimentibus, tùm diaphragmate ac pulmonibus, & trachea, diſpoſitarum ſeſe contrahendi niſu: *imminuta*, ſub *voce exili ac debili*, deficiente varias ob cauſas dictarum fibrarum in officio ſuo conatu. *Depravata* cognoſcitur ſub *longâ*, incomparatione ad naturalem dijudicandâ, duo quaſi temporis momenta ſub expreſſione tranſigente, atque ſenio rigidioribusque bronchi & bronchiorum cartilaginibus, nec non pulmonum ac diaphragmatis tum & thoracis muſculorum exſpirationi famulantium fibris motricibus ſegniori motui idoneis imputanda; *ſub brevi* contrario ſeſe habente modo & cauſas contrarias agnoſcente; *durâ* ex alliſione aëris ad rigidiores reſiccatasque laterales arytænoidum cartilagines reſultante; *molli* ex contactu ad easdem teneriores placido emergente; *ſubtili & tenui* ex rimulæ laryngis anguſtiâ & verſus fauces elevatione proſiliente; *craſſa ac gravi* ab ejusdem rimulæ dilatatione, à faucibus depreſſione, & bronchi amplitudine evenientе; *tenebrosâ*, ſonitui quem edit plumbum ex unius laminæ cum altera attritu æquiparanda, laxitati glottidis & circumaffuſo humori pituitoſo viſcido adſcribendâ; *tremulâ* ab intercepta ſubinde aëris ex pulmonibus ac tracheæ hemicyclis expulſione ac inæquabili ſpirituum

animalium influxu deducenda ; *abrupta* Hippocrati in lib. de victus ratione in acutis lib. IV. comm. XXXIII. (vel quicunque alius auctor fuerit) dicta, quod media incidatur, à ceſſante ſub actione ſua fibrarum motricium derepente vi ſyſtolica, ob cohibitum ad tempus ſanguinis & ſpirituum influxum inſequente ; *clangoſa*, ſonum capite in fictile ſiccum aut cavum ædificium immiſſo editum æmulante, ſecundum Galenum l. II. de uſu partium cap. VII. vehementi ariditati vocalium inſtrumentorum, quæ ad laryngem & arteriam pertinent, & præſertim ſiccitati tunicæ interioris aſperæ arteriæ, aliàs naturaliter levi humiditate rigari ac æquari ſolitæ, quin & juxta aliorum obſervationes eroſioni internæ bronchi ac bronchiorum factæ, aſſignandâ ; *clavthmode plorabunda querula luctuoſa flebili* à cordis axietate & mœrore, vel inflammatione aliquâ interna eryſipelaceâ productâ ; ac demum & frequentius ſub voce *rauca ſive raucedine* ab *aſperitate* membranæ arytenoides cartilagines rimulam laryngis efformantes ſuccingente, à variis cauſis aëre frigido, clamore immoderato, pulvere, fumo acri, vapore conſimili, lympha acri ſalſa vel ſalino-acida plus minus tenui ac viſcoſa &c. confertim ibi ſuſceptis, & admiſſis, vel paulatim congeſtis profectâ eveniente ; plura de his vide in Baptiſt. Codronchii de vitiis vocis lib. I. c. XII. & ſeqq. Miſcell. Natur. Curioſor. Decur. I. Ann. IV. & V. & Obſerv. CXLVI. Decur. II. Ann. VIII. Obſ. XIV. & CLI. Helmont. Tr. Aſthma & Tuſſis 42. 43. Miſc. Natur. Curioſ. Dec. III. Ann. I. Obſ. XXXVI. Actor. Hafnienſ. Volum. II. Obſ. CXVII. *Deniq; ſonoræ vocis actio abolita* adeſt in *aphoniâ*, ejusdem omnimodâ *privatione* vel *amiſſione*, à *nativitate* vel *aliis cauſis rimulæ coarctationem* impedi-

pedientibus *acriùs determinatam* per eandem *eliſionem* denegantibus, cumprimis *ſpirituum animalium* per quinti ac ſeptimi paris nec non recurrentes nervos *denegato aut abrupto & turbato influxu* inſequente. Sic Sennertus Med. practic. lib. II. part. III. cap. IV. recenſet affectum κατ' ἐξοχὴν ἀφωνίαν dicendum, neque ad apoplexiam, neque ad epilepſiam referendum, ſed inter eos medium, cadunt enim eo affecti velut apoplectici ſine ſenſu, non autem motu privantur, neque tamen convelluntur ut epileptici, aliquando ſtertunt, nec tamen diſcuſſo morbo paralyſin alicujus membri incurrunt, uti accurate annotavit Adrianus Spigelius l. II. de febre ſemitertianâ cap. XVI. conf. Rolfincius lib. II. ordin. & method. Medicin. ſpecial. conſultator. Conſultat. XV. Henr. ab Heer Obſ. III. Cardilucius in in Officin. ſanitatis p. 260. & 261. Jamque olim Galenus *nervis recurrentibus* filo *interceptis* aut *diſſectis* vocem tolli novit, uti patet ex lib. I. de locis affectis cap. VI. & VIII. Adminiſtrat. Anatom. ac II. de Decret. Hippocr. & Platonis: à *cerebri percuſſione obmuteſcentiam* Hippocrat. lib. VII. Aphor. 59., conf. Miſcell. Nat. Curioſor. Decur. II. Ann. VIII. Obſerv. XV., *à caſu ab alto eandem* Valleriola lib. VI. Obſervat. IV. Foreſtus lib. XIV. Obſ. XXXIII. Höchſtetterus Decur. IV. Obſ. IV. à *crapulâ* rurſus Hippocrates Sect. V. Aphor. V. Foreſtus lib. XIV. Obſervat. XXXIII. in Scholio, Höchſtetterus Decur. III. Obſ. IX. deprehenderunt; ac Valerius Maximus lib. I. c. VIII. commemorat, Nauſimenſis Athenienſis uxorem cum filii ac filiæ ſuæ ſtupro interveniſſet, inopinati monſtri perculſam conſpectu, & in præſens ad indignandum, & in poſterum ad obloquendum obmutuiſſe.

17. Ex-

17. *Excretorum vitia* coincidunt cum illis, quæ in Speciminis præcedentis §. 20. recensuimus.

18. *Qualitates habitudini naturali Tracheæ inimicæ adeoq; mutatæ, tactiles* in asperitate, duritie ac rigiditate, vel viceversa mollitie ac flexilitate cartilaginum præternaturali, *visibiles* in *rejectis extraordinariis*, & *conformationis* vitiis, *audibiles* sub *vocis morbidis sonis*, *gustatiles* in *excretis* mediante screatu vel tussi *expulsis*, deniqúe *olfactiles* sub *fœtore* animæ *putrilaginoso* sese in sensus ingerunt nostros.



SPECIMEN XV.

§. 1.

EMenso ferme Thoracis interno decederemus spatio, nisi nos ad sui etiam contemplationem revocaret *Thymus*, & suos quos patitur manes tantisper respicere juberet. Equidem si id, quod veritas exigit, libere eloqui velimus, in consignandis *illius morbosis pathematibus* Autores, desidesne dicam, an tumultuarios, parcos admodum fuisse deprehendimus. Sed enim verò si æqua mentis lance perpendamus, à Galeno lib. XVI. de Usu partium c. X. & lib. VI. de Usu partium cap. IV. *glandulam maximam & mollissimam thymum* habitam, mirari quispiam posset, cur non sub morbosa specie etiam sese Anatomicorum oculis sæpius sese obtulerit, aut ut verbis Celeberrimi Simonis Pauli in Digressione de vera unica & proxima febrium causa §. 17. utamur, practicæ Medicinæ Doctores de *ejusdem morbis* notatu dignum quidpiam non sint commentati? nisi cum ætatis incremento *ipsam* utplurimum decrescere, visuique se subtrahere communis sensu confirmata opinio esset.

2. Nulli interea dubitamus, ab *intercepto* fervidioris *sanguinis*, per *arteriarum carotidum propagines* uberius intra laxiorem glanduloſam substantiam effusi, ad *venosos* à *jugularibus* propinquis dimissos *surculos* reciproco commeatu, *thymum* inflammationis periculo obnoxium esse posse; sicuti ceteroquin ob molliorem texturam, & seri tam exuperantiam quàm illuc factam promtiorem receptionem, in feminis quàm maribus, & in humidis complexionibus quàm siccis, modo nominatam glandulam in majorem assurgere tumorem Whar-

tonus in adenograph. cap. XVI. de glandulis thoracis annotavit.

3. Adeoque paulo ante citatus Simon Pauli affirmat, se ex quorundam lue venereâ infestatorum cadaverum sectionibus id doctum, posse *thymum* tam certo instar spongiæ ab excrementitiis corruptis humoribus intumescere, quàm ter tria sunt novem: unde quoq; taliter affectos non esse sonora voce, ægrè cibum potumque deglutientes, sæpiusque per foramina nasi in nares ea excernentes, ægre respirantes, insuper compresso à tumore *thymi* œsophago, renitente cartilaginosâ aspera arteriâ; imò subdit porrò, eosdem ob pravam hanc *thymi* constitutionem fœtente esse animâ, salvis adhuc pulmonibus (id enim si ita se non haberet, aut exulcerati pulmones essent, qui quæso fieri posset, ut spatio sex septimanarum lue venereâ infectis mederi possemus?) non tussientes sed sputatores & screatores.

4. Id sane à vero haud alienum videtur, *rhontum infantilem pectorisq; stertorem* à seri chylique viscidioris recrementis, non in solis organis spiritualibus, quin & glandulosa *thymi* compage, collectis ac coacervatis induci. Quod si enim Deusingius, uti in Idea Machinæ humanæ Anatomico-physiologica Sect. XVIII. §. 6. p. 182. annotavimus, infantium & recens natorum *thymum* lacte turgidum observavit, & Schneiderus in omni fœtu humano vegeto & sano lac perfectum reperiri, eodemque maxime glandulam *thymum* abundare perspexit, ecquis dubitabit lacte aut ex longiori inibi facta morâ in coagulum coeunte, aut à vitioso acore in liquamen viscosum coacto infarctum *thymi* ingenerari posse, ut adeo, quando Hippocrates lib. de glandulis t. II. scripsit: τὴν πλεονεξίην τῦ ἄλλυ σώματος αἱ ἀδένες κέρδος ποιεύμεναι τροφῆ ξύντρο-

ξύντροπος ἀντίηση εἶναι, redundantia reliqui corporis, quam glandulæ pro lucro deputant, alimentum ipsis familiare est, verba isthæc quodammodo hûc applicare liceat.

5. Porrò *thymum* magnitudine pugnum æquantem intus suppuratum, ostium in tracheam habentem, in studioso suevo ex suppresso risu hæmoptoico facto, tandem hectica tabe demortuo observavit Excellentissimus Jenensium Medicinæ Doctor & Prof. Slevogtius, referente Dn. Licent. Granzio in Dissert. inaugurali sub ejusdem præsidio habita de vomicâ pulmonum & glandularum vicinarum §. XXIII. p. 16.

6. Clariss. Joh. Nicol. Binninger Observat. & Curat. medicinal. lib. III. Obs. XXIX. in filiola sua Margaretha trienni ex tussi implacabili defunctâ, post mortem *thymum*, spongiosum aliàs, *plane osseum* conspexit: in virgine octodecim circiter annorum ex intestini ilei gangræno si maxima ac polypo cordis defuncta *thymum* glandulam duram & subatram Exc. Harderus in Apiario Obs. LXVI. p. 260. & alibi *livescentem* ac maxime *scirrhosam* deprehendit: Riolanus verò in Enchirid. Anatomici cap. ultimo suspicatur, tumefacto *thymo* viris strangulationes accidere posse, uti in mulieribus hystericis frequentius *idem* intumescens ipsas suffocet, nisi venæsectione occurratur.

7. Post Thymi considerationem pathologicam similem nunc ordine exposcunt glandulæ binæ *thyroideæ* dictæ, circa laryngis humiliorem sedem ad latera cartilaginis thyroideæ, primarumque aliquot annulorum asperæ arteriæ sitæ, & à Fr. Ruyschio Observat. Anatomico-chirurgicarum Centur. I. Obs. LI. pro glandulis sanguineis, id est sanguini inservientibus, vel cum sanguine respectu coloris convenientibus æstimatæ, tales siquidem modo solæ modo juxta cum aliis sociis circa

collum obvenientibus conglobatis glandulis morboſe afficiuntur, quando à *ſtrumis* ſive *ſcrophulis*, pro peſſimo colli morbo Hippocrati de glandulis VI. 3. reputatis, ſcilicet tumoribus abſque inflammatione & dolore duris ac concoloribus, à lympha tenaci coagulabili, & partim pituitoſis indigeſtis crudis viſcidis ac glutinoſis recrementis combinata, partim tartareo-ſalinis ſive ſalino-acido-terreis aſpredinibus condenſata, intra fibrillarum intercapedines muſcoſas membranularumque poros ab ulteriori progreſſu detenta, occupantur.

8. *Strumæ* ſiquidem ac *ſcrophulæ* communiter pro iisdem habentur, uti etiam legimus in Beati D. D. Brunonis Amaltheo p. 819. & Blancardi Lexico p. 292. & 308. Whartonus autem adenograph. c. XL. diſtinctionis ſequentes recenſet notas, quòd ſcrophula mollior & utplurimum minus profunda exiſtat, ſtruma immobilior & profundior, illa altius in tumorem attollatur, hæc depreſſa magis ſubſiſtat, illa acutius ſentiat, hæc ſtupidior notetur: ſed & apud alios Autores offendimus, quòd majores & ſolitarios hujuscemodi tumores ſtrumas, plures autem minores per ſeries diſpoſitas, & inſtar uvarum ex eodem racemo dependentes ſcrophulas appellare conſueverint.

9. Quam tamen ἀκριβολογίαν nos haud moramur, quin potius id attendimus, quod præter dictas glandulas *jugulares* etiam, à latere colli ſitæ inter muſculos capitis & cervicis, ſuperiores majores pallidiores, inferiores magis rubeſcentes, quin inſuper glandulæ novæ Nuckii ſub occipitis & cervicis cute deliteſcentes *occipitales* & *cervicales* ideo denominatæ ſedem modo propoſitis tumoribus præbeant.

10. Idque eo facilius obtingere poterit, cum prædictæ glandulæ omnes & ſingulæ merito conglobatarum

rum classi adscribantur, nec enim assentimur Cl. Barbette prax. medic. lib. II. c. 2. asserenti, sub *strumis* pariter affectas esse glandulas conglomeratas colli salivales hodie dictas, utpote quas subjectum per se scrophulis haud præbere Anatomiæ magis gnari melius norunt, hinc quas citatus Autor in observatione subnexa in virginis nobilis bilioſæ macræ scrophulis multiplicibus vexatæ & febri hectica emaciatæ cadavere ultra mille glandulas minores & majores à faucibus ad os pubis usque se reperisse scribit, conglobatas fuisse probabili animi conjecturâ præsumimus, inprimis cum Anatomicus accuratissimus Fr. de le Boë Sylvius A. 1663. d. 22. Jun. in Nosocomio Lugdunensi cultro subjecta virgine ex glandulis colli conglobatis dissectis & pressis albicantem quandam materiam pultaceam & veluti gypseam erupisse, conglomeratas autem nihil mali passas annotaverit, teste Boneto Sepulchreti sive Anatom. practic. lib. IV. Sect. II. in Schol. ad Observ. VI. p. 1527., atq; idcirco quodammodo subscribimus Riolano Lib. II. Anthropograph. c. V. cum scrophulis mesenterium etiam strumosum esse statuenti, sicuti pro confirmatione facit Joach. Georg. Elsneri Miscell. Natur. Curios. Decur. I. Ann. I. Obs. LVII. & Henr. Roonhusii Obs. Chirurg. p. 2. adducta observatio. Similiter in nobili adolescente austriaco scrophulas non solum in ambitu colli enatas, sed & sub axillis glandulas induratas, ut & exiguas sub pectore dorso sub cute patefactas, inque collo indies auctas Felix Platerus lib. III. Observat. p. 675. adhæc in juvene Friburgensi scrophulis in collo multis abundante, tumorem in pectoris regione, ubi costæ dehiscunt, instar pugni mollem tamen & tactui cedentem Idem ibid. p. 678., nec minus *glandulas sub mento* intumefactas & in scrophulas induratas p. 668. observavit.

11. *Scrophulas ſubito* erumpentes non rarò mali quid portendere Ehrnfried Hagendornius Hiſtor. medico-phyſicar. Cent. III. Hiſt. XCIIX., ac per eos, quibus praxin exercuit medicam, annos, ſæpe ſibi obſervare licuiſſe ſcribit, ſi in ſcorbuticis, cachecticis, aſthmaticis, aliisque morboſæ conditionis ægrotantibus præter morem ſubitaneo impetu ſive in colli confinio, ſive brachiis pectore alibique tubercula albicantia, renitentia, dura, indolentia efflorescant, quæ neque internis neque externis profligari poſſint, utplurimum præ *foribus* eſſe *mortem*, cæteris tunc paribus, contendit, tribusque id confirmat exemplis.

12. Ceterum *ſtrumam pediculis refertam* Petrus Foreſtus in Schol. ad lib. VIII. Obſ. XV., *ſtrumas* terribili exemplo juvenis cujusdam gulam aſperamque arteriam ſimul comprimentes, ut neque potus neque aër transire poterit Nic. Fontanus lib. I. Reſponſ. & Curat. p. 66., in regione juguli unciam unam cum ſemiſſe pendentem *ſtrumam magnam* venis refertam, & quæ beneficio membranarum duntaxat vaſis maximis illis juxta jugulum adſcendentibus adhæſerit, carniformi quadam materia ac ſanguine repletam, vaſa illius loci prementem, infantem ſuffocaſſe Platerus lib. I. Obſ. pag. 175., *ſtrumarum ſemina* à formâ ſeminum lupinorum parum differentia Nicol. Tulpius Obſ. l. 1. c. 46.; *ſtrumam* vermiculis plerumque ſubruffis & piloſis, nec non multipedibus Cl. Paullini in Obſervat. medico-phyſicis numero IV. in appendic. ad Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. V.; ex tumore in ſiniſtra colli parte inſtar *ſtrumæ* oblongæ, fœtum humanum medii digiti longitudinem æquantem, in quo cranium manus & pedes optimè discerni poterant, exemtum M. N. C. Decur. II. Ann. X. Obſ. LVI., nos certiores fecerunt.

13. *En-*

13. *Endemias* adhæc *ſtrumas*, aquarum potui inſervientium petrificis aut viſcoſo-terreis moleculis permixtarum culpa, alicubi exiſtere, teſtantur Carinthiæ, & Styriæ homines, & qui ultra Salzburgum Oenopontem & Curiam Rhætiæ oppidum incolunt, item Luccenſes in Italia, obviis paſſim exemplis, vid. Joh. Langii Epiſt. Medicinal. l. III. Epiſt. IV. p 984.

14. Circa ramos tracheæ arteriæ *tubercula plurima* ex viſcida materia in ſcirrhos concretâ conſignavit G. F. Hildanus Cent. II. Obſ. XXIX., & Hagendornius Hiſtor. Medico-Phyſic. Cent. I. Hiſtor. LXXXIX. memorat, ſibi viſum in muliere ſexagenariâ majori piſcatoris Calicenſis uxore *abſceſſum ganglioformem*, nucis juglandis magnitudine mox ſub capite aſperæ arteriæ ad cartilaginoſos circulos firmiſſima radice adnatum, interdum dolorificum, interdum ruborem præ ſe ferentem, reſpirationis difficultatem inferentem, rejecta demum per tuſſim materia purulenta maciem pediſſequam habentem.

15. Interea neutiquam cum ſtrumis confundi debet *Bronchocele* ſive *hernia gutturis*, viz. tumor colli magnus & rotundus inter cutem & aſperam arteriam reconditus, variam materiam modo ſevo, modo melli, modo pulti ſimilem, propriæ membranæ folliculo incluſam, comprehendens, modo carneam molem complectens, modo inſtar anevrismatis ſeſe habens, qualis utplurimum emergit à nimiâ membranarum ibidem circumexpanſarum dilatatione & ruptura, ſive per violentam ſpiritus retentionem, ſive ponderis gravioris elevationem, ſive in ſexu ſequiori per laborioſam valde fœtus ſub partu excluſionem, inducta, ut adeo è divulſis fibrillis tubulisq; vel ſanguiferis vel lymphaticis vel lymphatico-nerveis membranaceisve ſolutionem continui ſic paſſis extillantes ſeri lymphatici ac nutricii particulæ extrava-

travaſatæ, & ſtagnando acorem coagulativum adeptæ varieque corruptæ, ſub tali tumore colligantur. Ubi non poſſumus non mentionem facere oppido raræ obſervationis ab Illuſtri Paulo de Sorbait olim habitæ, qui ex *bronchocele* ab aquæ frigidæ & cœnoſæ potu ſubſecuta *bufonem vivum* exiiſſe notavit M. N. C. Decur. I. Ann. III. Obſ. CIII.

16. De reliquo nullum penes nos dubium eſt, glandulas, quas Celeberrimus Philippus Verheyen corporis humani Anatom. Tr. III. c. VIII. deſcripſit, & Tab. XIIX. Fig. VI. lit. CCC. ære exprimi curavit, primæ aſperæ arteriæ diviſioni primisque ejus ramulis adjacentes, nonnullas ab illis notabiliter diſtantes, magnitudine varias molles & ſucculentas, communi involucro tectas, colore ſubnigras, alias figura ferme ovales, alias irregulares, alias magis longas ad inſtar uvarum corinthiacarum, alias triangulares, ob ſuperficiei æqualitatem ad glandulas conglobatas referendas, ſimilibus cum affinibus glandulis morbis, etſi hactenus nondum deſcriptis, obnoxias eſſe, hinc conſequenter ab intemperata ſanguinis & lymphæ dyscraſiâ *intemperiei diverſæ*, ab eorundem cohibito motu *tumoribus* & *morbis meatuum*, ab acrimoniâ erodente & depaſcente *abſceſſibus ac ulceribus*, *deſtillationibus* adhæc *catarrhalibus* ſuccumbere, & haud ſubminiſtrato, uti quidem debebant, ab ipſis pro bronchiorum humectatione humore unctuoſo ad *raucedinis* geneſin ſymbolum conferre.

SPECIMEN XVI.

§. 1.

A *Thorace* medio dum ad ſupremum tendimus *caput*, ſub tranſitu *cervicis vertebræ ſeptem* nos tantisper in ſui contemplatione detinent, utpote quæ ex obſervatione Cl. Muys Chirurg. rationalis Decur. VII. Obſ. VII. ſæpe *vitioſe inflecti* ſolent, cum notabili *colli diſtorſione* in puerulis atque puellis, quoties tendo muſculi maſtoidei alterutrius hac aut illa de cauſa contrahitur; dum & ſcaleni vitioſam inflexionem, præſertim ſi cum maſtoideo rigidam ac calloſam duritiem contraxerit, obſtipum caput efficere, recte advertit Tulpius Obſervat. Medic. lib. IV. cap. LVIII.; huc quoque conferantur, quæ perdocte, uti ſolet, differuit de capitis diſtortione Arnoldus Bootius in Obſervat. Medic. de affectibus omiſſis cap. V.

2. Neque indicta relinquenda *earundem luxatio* & *ſubluxatio*, quæ aut violentæ ſub lapſu emotioni proceſſuum obliquè aſcendentium & deſcendentium ex ſinulis ſuis, aut muſculorum tendinum & ligamentorum devincientium relaxationi, ab humorum ſeroſorum uberiori affluxu inductæ, imputanda erit: Sic Dominic. Panarolus Pentecoſt. II. Obſ. XXVI. memorat, ruſticum quendam ex arbore delapſum, *cervicis vertebra ſecunda* prope atlantem vertebram (uti ex mortui ſectione obſervaverat) *luxatâ* per quamplurimos dies vixiſſe, ubi alios brevi temporis ſpatio mortuos viderat, quanquam admodum magna luxatio eſſet; nos verò heic quondam in ſenatorii oppidani ordinis viro ſub præcipiti ab equo lapſu *quartæ cervicis vertebræ ſubluxationem* annotavimus, collo inde relicto oblique inflexo rigido, angina poſt ali-

quot annos eodem demum mortuo; ceteroquin ingenioſe admodum Celeberrimus J. J. Wepferus aliquando in illis, qui ob luxatas colli vertebras diu paralytici decubuere, quibusque ob eandem cauſam vertebrales arteriæ anguſtiores redditæ fuere, arteriarum carotidum compreſſionem quoque ſubitam ſupervenire poſſe, atque apoplexiam gigni, haud adeò à veroſimili abeſſe, quin aliquando fieri hoc queat, cenſuit in Exercitat. de locis affectis in apoplexiâ p. 121.

3. De *ſtrumis* cum in proxime antecedente ſpecimine verba jamdum fecerimus, hîc addere liceat à Joh. Muis in Not. ad Paul. Barbett. Anatom. practic. lib. II. c. III. deſcriptam extare in femina 17. annos nata ſponte enatam *ſtrumam*, quadrienni ſpatio in magnam molem, à ſuperiori maxilla ad cervicem, & ab auris meatu ad claviculam usque protenſam, circumferentia ſua dodrantem ulnæ Batavæ implentem, nodoſam, ſaxeâ duritie præditam, feliciter nihilominus cultro reciſam.

4. Singularis *glandula*, ſive *tuberculum* ancillæ cujusdam in collo ſupra claviculam genitum, quod ſingulis pleniluniis creverat & rumpebatur, plerumque circa menſes, ſi verò non rumperetur, ancilla ſe male habuerat, proponitur in Miſcell. Natur. Curioſor. Decur. III. Ann. IV. Obſ. LXXIX.

5. Adhæc verò notandum, *glandulas jugulares*, ſimilesq; in collo diſpoſitas *conglobatas*, *occipitales* & *cervicales*, aliasque fortean *innumeras minimas* morboſum affine cum aliis hujus ordinis ſociis commune ſubire fatum, atque lymphæ motum reciprocum nonnunquam remorari, ſuccedente hinc neceſſario hujus ſtaſi aut extravaſatione, fœcunda tumorum rhevmaticorum aut ulceroſorum matre; hinc Medicus perſpicaciſſimus Beatus Ettmüllerus in Valetudinario infantili cap. II. §. XXVI. ſapien-

pientiſſime annotavit, defœdationibus faciei & capitis puſtuloſis cruſtoſis ulceroſis infantium, glandularum in collo & circa caput denſe conſitarum item parotidum &c. tumores conjunctos eſſe ſolere, ita quidem ut vel præcedant, vel ſimul affligant, vel dictos affectus declinantes ſubſequantur; rariſſime tamen hoc poſterius obſervari, & vel metum recidivæ vel mutationem dictæ defœdationis in alium affectum p. n. ſecum trahere; iſtud prius frequentiſſime accidere, ita ut mulierculæ etiam per experientiam edoctæ, ex conditione dictorum tumorum quaſi ſcrofuloſorum, & quos ordinarie Hauptdrüßen appellare ſolent, affectuum talium vel diuturnitatem vel magnitudinem aliasve circumſtantias probabiliter præſagire ſoleant; ſubditque Celeberrimus ille vir, ſe obſervaſſe tumores tales glandularum ad parvi ovi gallinacei magnitudinem in collo, mox infra aurem, protuberâſſe, cum cruſta lactea caput obducens evanuiſſet, tumore autem ſucceſſivè ſubſidente, tandem dicta lactumina rurſus efforuiſſe.

6. Vaſa *carotidum & vertebralium arterioſa*, ſive à *tumoribus* adnatis, aut *glandulis* in præternaturalem amplitudinem & duritiem protuberantibus, *compreſſa*, aut à *coagulo* quopiam interno *obſtipata*, aut à *polypoſis* concretionibus *obturata*, ſanguinis ad cerebrum affluxum neceſſarium interceperint, *apoplexiam* ingenerare erudite declaravit ante citatus Wepferus; eidemque aſſentitur Excellentiſſ. Hermannus Boerhaave in Aphorismis doctiſſimis de cognoſcendis & curandis morbis n. 1010., ubi inter cauſas apoplexiæ recenſet, quæcunque ſanguinem, lympham, materiem ſpirituum ita mutant, ut per arterias cerebri libere ire non poſſint, ſed impacta hæreant, taliaque ſunt, inquit, ſæpe polypoſæ in carotidibus vertebralibus arteriis concretiones, ſive circa cor primo, ſive intra ipſum cranium factæ.

7. Nec

7. Nec minus *venoſæ, jugularium* præcipue, quadantenus vero *vertebralium* ac *cervicalium*, propagines, ſi in revehendo à capite ejusdemque confinibus ſanguine deficiant, tum ipſius tum ſeri lymphatici exundationis culpam habere, præter experimentum à Williſio pharmac. rational. part. II. ſect. II. cap. III. & Lowero in tractatu de Corde cap. II. p. 124. conſignatum notiſſimum, ſana ratio comprobat.

8. De *vulneribus* etiam *colli* id hîc monere oportet, ſive *arteriæ carotides* ſive *vertebrales*, ſive *venæ jugulares interna & vertebrales* gravius ſauciatæ fuerint, ob ſanguinis haud coërcendam profuſionem lethale inferre periculum, hinc Hippocrat. lib. II. prorhet. lethalia dixit vulnera, quæ in venas παχείας h. e. magnas & amplas colli inciderunt, notante Sebizio in Exam. vulner. part. diſſimilarium part. II. §. 20, & Celſus lib. V. de re medic. cap. XXVI. ſervari, inquit, non poſſunt, quibus circa fauces h. e. circa jugulum venæ grandes ſunt præciſæ. Sic porrò *nervorum recurrentium vulnera*, cum dolore & inſigni inflammatione ſtipata ſunt, atque ſi in utroque latere inflicta fuerint, vocis uſum naturalem auferunt, ſi in alterutro ſaltem latere obvenerint, vocem ex dimidio tollunt, neq; ſoluta continui unitate nervi illi unquam coaleſcunt. Stupendum ideo & ſine pari quis exemplum illud dixerit, quod in Miſcell. Natur. Curioſor. Decur. I. Ann. IV. & V. Obſ. XXXIX. conſignavit Antonius de Pozzis cujusdam capitanei, vaſis prædictis ſub profundo colli vulnere omnibus læſis reſtituti, & in prælia denuo armati.

9. Atque nunc ipſum, quod collo ſuſtentatur, *caput*, nobiliorum aliàs animæ functionum ſedes, prout *morboſas* quoque *turbas* capit, à nobis conſiderandum erit. Stupuimus adeò primum, Plinium Hiſtor. Natural. lib. V.

c. VIII.

c. VIII. integras gentes ἀκεφάλους recenſere, atque expreſſis verbis Blemmyas capitibus deſtitutos, ore & oculis pectori affixis, nominare, & Solinum Blemmyas, (ſed non eos, qui vicina rubro mari incolunt) truncos naſci parte, qua caput eſt, os tamen & oculos, habere in pectore, quoque aſſerere; ſed πολυμαθέστατος Wepferus, quid de fabula iſta ſtatuendum ſit, erudite docuit in Diſſertatiuncula peculiari Miſcellan. Nat. Curioſor. Decur. I. Ann. III. Obſ. CXXIX. ſubnexa p. 214. & ſeq.

10. Jam verò ut *ſingulatim morboſa capitis vitia* recenſeamus, haud equidem hic adducemus *præternaturalem diſpoſitionem*, quam *ejusdem integumenta* cum reliquis totius corporis *communem* habent, cum quæ hic notanda veniant ex ſuperioribus facile dijudicari poterunt, quin potius ſeorſim primo *capillorum*, quorum in cute capitis fœcundam pariter ac denſam produxit cæſariem provida utilitatum natura, *diatheſin morbidam* disquiremus. Ubi quidem mox nobis obvenit *calvities* indecora, nam juxta Ovidium

turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus,
& ſine fronde frutex, & ſine crine caput,

qualis quidem in *ſenibus bulborum radicalium tabitudini & ariditati* ex ſucci nutricii inopiâ vel aſſimilatione denegata, *cutisq; reſiccationi* ejusdem diſtributionem intercipienti, ſuccedit, nonnunquam *ante diem deperdito* ſub morborum diuturnitate aut vehementia aut virulentia *nutrimento*, vel *pororum* in cute ac ſuperextenſa cuticulâ *laxitati* firmandis capillis impari ſupervenit. Singulare interea exemplum *fontanellæ* cranii in muliere 23 annorum pollicem circiter latæ *calvitie deformis*, licet capilli toto reliquo capite provenerant, exhibetur in M. N. Cur. Decur. I. Ann. VI. & VII. Obſ. LXXIV.

11. Illud autem *pilorum defluvium*, quod ab humori-

bus acribus vel venenatis ſepticis radicales bulbos depaſcentibus inducitur *alopecia* & *ophiaſis* ſpeciatim nuncupatur, pilis in utroque *affectu* areatim decidentibus; dum *prior* ſub qualibet figura in conſpectum veniens, & quandoque barbam inficiens, à vulpe ἀλώπηξ Græcis dicto, ejusmodi depilationem ſæpius oſtendente, *poſterior* in occipite, ad aures vel etiam verſus frontem conſpicienda, à ſerpente ὄφις, eò quod depilatio inſtar tortilis ſerpentis hinc inde obrepat, nomen ſuſcepit, vid. Galen. l. II. Meth. medendi c. 2. & Euſtachius Rudius de affectibus externarum corporis humani partium partis poſterioris lib. II. cap. VII. & VIII.; *alopeciæ leproſæ* exemplum in append. Miſc. Natur. Curioſor. Decur. I. Ann. VI. & VII. p. 179 habetur.

12. Quin & *capilli* per violentam *attractionem abrumpi*, ſed & *evelli* ſeſe patiuntur, quanquam Th. Bartholinus Hiſtoriar. Anatomic. rarior. Cent. III. hiſtor. LXXVI. notaverit, Helſingora oborta inter duos contentione alterius pilos tam altis radicibus hæſiſſe, ut à cute avelli nequiverint, quin potius ipſa ſubjecta cutis una cum pilis ex cranio divulſa ſit.

13. Atque huc etiam referenda erit tùm illa *tinea capillorum*, ſub quâ ſicuti à tinea veſtes, ita à vermiculis exiguis illi non quidem integri, ſed particulatim & fruſtillatim eroſi & abſumpti decidunt, vulgo die Haarmilben appellant, pl. vid. apud Sennert. Medicinæ practicæ lib. V. Part. III. Sect. II. cap. V.: tùm & *eorundem fiſſura*, ſub qua iidem in extremitate diviſi, atque fiſi & veluti bifurcati redduntur, qualem deformitatem à ſucco nutricio in capillorum veluti canaliculorum extremitatibus forſan ſubinde conſtrictis, aut ab aëre rigido ex parte contractis, ad latera exſudante, & ita ſenſim ulterius aucto in bifurcatas aut tricuſpidatas extremi-

tremitates faceſſente atque elongato deducit Cl. Zvvingerus in Theatro praxeos Medic. p. 389. & ſeq.

14. Adhæc præternaturaliter ſibi implicantur capilli in *plica polonica* Germanis Polniſchen Zopff/ oder Mohrenlocken / item Wichtel-Zöpff / Juden-Zopff &c. dicta, nota ſcilicet illa capillorum vaſorumque capillarium ac tubulorum excretoriorum illuc exporrectorum in longitudinem & amplitudinem quaſi ſcirrhoſam inſigni contorſione, à ſucci nutricii viſcoſioris & glutinoſioris exuperantia, per vaſorum capillarium ac tubulorum excretoriorum ipſorumque capillorum fibrillas minimas deſtendendo dilaceratas exſtillante, atque in coagulum concreſcente enata, de quâ merentur legi, quæ de plica explicata antehac prolixe diſſeruit D. Simon Schulzius in Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. I. Anni VI. & VII. Obſ. CXXXVIII., *plicam* autem ex vulnere capitis genitam exhibet Miſc. dictorum Decur. II. Ann. I. Obſ. I. Cæteroquin *pilorum* non in capite ſolum, ſed facie & univerſo corpore *luxuriem* videatis in Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. IX. & X. Obſ. XCV. Bartholin. Hiſtor. Anat. rarior. Cent. I. Hiſtor. XLII. Borell. Hiſtor. & Obſerv. Cent. I. Obſ. X.

15. *Canities pilorum* in ſenibus naturalis omnino habenda eſt, *extraordinaria* & quandoque *præternaturalis* contra pronuncianda erit, quæ ex terrore repentino, motu, curisque gravioribus intempeſtive, & repente evenit, qualis exempla collegit paulo ante citatus Sennertus cap. ſeq. VII., inſigniter mutatæ humorum affluentium craſi, & texturæ capillorum aliter modificatæ, aliam luminis incidentis reflexionem parienti, adſcribenda: ubi quidem non poſſumus non ex antea allegati Zvvingeri Theatro p. 389. illam huc excerpere obſervationem, quod qui à patribus jam ſenibus progeneran-

tur

tur infantes, citius quam alii caneſcant, in cujus aſſerti fidem in proſcenium adducit binos fratres Baſileenſes, Medicinæ Profeſſores, Felicem & Thomam Plateros, qnorum prior à parente adhuc juvene genitus ante ſenectutem decrepitam canus non evaſit, poſterior autem quadraginta & aliquot annis junior, atque adeo à parente jam ſeptuagenario prognatus, pluribus ante fratrem ætate ſua majorem annis canus redditus fuit. Naturæ interea luſui imputabimus *capillos* in ſene quam maxime *virides* juxta M. N. C. Decur. II. Ann. VII. Obſ. CLV. *ſimilesq;* in Viro inter quintum & ſextum luſtrum vivente juxta M. N. C. Decur. II. Ann. VI. Obſ. CCXXVI., confer. Borell. Obſerv. phyſico-medic. Cent. II. obſ. LVI., tùm & *cæruleos* à Paullino in Appendic. ad M. N. C. Decur. II. Ann. IV. p. 203. notatos, ſicuti Solinus c. 65. in Indis omnibus promiſſam cæſariem non ſine fuco cœrulei olim conſpexit.

16. Infenſum cutis capillatæcap itis malum porrò ſe nobis ſiſtit *Porrigo* ſive *furfuratio*, ubi ſquamæ copioſæ furfuris ad inſtar pectinando, ſcalpendo, aut ſuapte ſponte decidunt, & eædem quidem ab erodente acido ſalino acri recremento lymphæ viſcoſiori impacto cuticulam in lamellas minimas dividente ac cum iisdem ſeſe coagulante emergunt, comitemque vel pediſſequam quandoque ſibi adſciſcunt alteram capitis *tineam* & *achorem*, ſcabiem nempe cruſtoſam à conſimili humore ſed acriori & exulcerante enatam, *qualem*, ſi per foraminula plura & ampliora humorem lentum melli ſimilem ploret, *cerion* & *favum*, ſi lactantium caput & faciem deſœdet, *cruſtam lacteam* ac *lactumina* Practici nuncupant: Accedit hisce nonnunquam *pediculatio* φθειρίασις, pediculorum acervatim ex ovulis albicantibus genitorum, & inter ſordium lentorem excluſorum, proventus.

17. Tumo-

17. *Tumores* quoque obveniunt *capitis* aliqui hîc recenſendi, pericranium inter & incumbentia integumenta recónditi, materiam proprii folliculi membranacei ambitu melli aut pulti æquiparandam comprehendentes: ſcil. *teſtudo* tumor magnus mollis vel non valde durus in modum teſtudinis latiori forma conſpicuus meliceridi aſſimilandus, *talpa* ſeu *topinaria* inſtar talpæ ſub cute cranium depaſcens atheromati comparanda: *meliceris* autem peculiaris ſupra aurem dextram in juvene XXIV. annorum præter *materiam melli ſimilem* à lymphæ portionibus ſalinis volatilibus cum oleoſis quibusdam ac pituitoſis particulis in coagulum redactis *faſciculum piloſum* complexa antehac à nobis relata eſt in Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. V. Obſ. CCX.

18. Mentionem ſui demum expoſcit *hydrocephalus externus*, vel *inter integumenta capitis & pericranium*, vel inter *hoc* & proximè ſubjectum *cranium* ſpatium ſibi excavans, à *ſeri lymphatici* vel *exſuperantia*, atque ibidem inducto *decubitu*, vel *interceptione & præpedito* per venas ac vaſa lymphatica *refluxu*, vid. Felix Platerus Tom. III. prax. cap. III. de extuberantia p. 231. Dionyſius van der Sterre de Partu, Carol. Piſo Obſerv. ſelect. de illuvie ſeroſa Obſerv. I. p. 37. Mich. Ettmullerus Operum Tom. II. p. m. 763., vel denique à *pravâ matris imaginatione*, enatus, annotantibus Guil. Fabr. Hildano Cent. V. Obſ. III., Levino Lemnio lib. I. de occultis naturæ miracul. c. IV., Marcello Donato lib. II. de medica hiſtoriâ mirabili c. 1. p. 87. quid quod *hydrocephalum* idem Hildanus Cent. III. Obſ. XVIII. memoret *arte fictum* Lutetiæ Pariſiorum à nequiſſimis parentibus, qui infantuli ſui capitis cutem circa nucham ad muſculos usque inciderant parvo foramine, per quod mediante fiſtula cutem paulatim inflaverant, hacque dein extracta, ſatisque artificioſe foramine ſemper cerâ aut ſimili materia obtu-

rato, intra breve temporis ſpatium infantuli caput in tantam extenderant molem, ut puero quaſi hydrocephalo laboranti per Galliam deducto viſuique expoſito turpiſſimum quæſtum lucrumq; fecerint, capite re perſpectâ ideo mulctati.

19. Ad *cranium* ipſum nunc acceſſuris evidentiſſime patet, *figuram* ejusdem *globoſam* cœli æmulam in illis vitiatam eſſe hominibus, qui *capite depreſſo* vel *nimis acuminato*, aut aliàs *improportionato* incedunt, & uti ex Williſio bene advertit Celeberrimus J. J. Harderus in Apiario, Schol. ad Obſerv. XXXV, utplurimum functionis animalis labe quadam notabili afficiuntur, propterea quod ſubtus concluſa cerebra tanquam ſpecula diſtorta rerum ſpecies nec rectè colligant, nec animæ rationali verè objiciant: quomodo autem *figura* ex ſuturarum inconcinna ſerie deformis reſultare quibusdam viſum ſit, poſtea indagabimus.

20. Supra *cranium* inhumatum relictum, proculdubio ab ovulis ſeminalibus minimis inter lamellas rimas agentes admiſſis, atque vel telluris rore vel ſuſceptæ pluviæ humido irrigatis *muſcus* excreſcit *usnea* dictus, ſed & *ruta muraria* ſupra *cranium* cum *muſco cruſtaceo* enata deſcribitur ac delineatur in Miſc. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. II. Obſ. LIII. ubi in annexo ſcholio de usnea plura ſcitu digna reperire eſt.

21. *Pericranium vulneribus* & *ulceribus* cum integumentis ſuperincumbentibus ſibi communibus obnoxium, dein *inflammationi* ob ſanguinis per vaſcula tenerrima diffuſi interceptum commeatum, *dolori exquiſitiſſimo* à variis cauſis ſolutionem continui ibidem molientibus excitato, ob texturam nerveo-tendineam menyngi duræ conterminam, quandoque ſuccumbit, quin *ſanguini puri* ac *ſero*, ſejunctione præternaturali ab ipſo cranio facta, interſtitium concedit liberum.

22. Su-

22. *Suturæ* porrò erunt considerandæ, siquidem Celsus lib. VIII. de re Medica, *certum* earum *numerum* non esse, sicuti ne *locum* quidem scripsit, nam, præter tres veras lippis & tonsoribus notas, in fœtibus in utero detentis & eodem excluſis quandoque conspicitur peculiaris *frontalis*, inter supercilia terminata, & superius ad hiatum illum qui inter os frontis & syncipitis in teneris obvenit tendens, vel hiatu abolito ac sagittalem usque producta, unde pro sagittalis productione à Celso aliisque habita est sectionum magistris, etiamsi tum quod aliquando non exacte per medium frontis excurrat, nec sagittali directe occurrat, nec semper jungatur, rectius *frontalis productio* dici mereatur. *Sagittalis* uti in infantibus *ad narium summitatem excurrens* os frontis bifidum reddere solet, ita retrorsum quoque *per os occipitis ad primam usque vertebram* excurrere, hocque findere, præter Vesalii testimonium confirmat Obs. CXV. Misc. Nat. Curiosor. Decur. II, Anni II, dum ceteroquin *occipitis os* in quatuor divisum ossa, nec tamen suturis, sed harmoniis distinctum conspicitur. *Bregmatis osſiculum*, quo natura locum illum in infantibus apertum postmodum replet, peculiari circumscriptum *suturula* aspectu certe jucundo, & in interna cranii tabula, *loco* inter *os petrosum* dextrum & *verticem* medio, *duas* exacte *sphæricas suturas*, quin & ad latus sagittalis in confinio lambdoidis suturæ *duas particulas osseas peculiaribus suturis* comprehensas, annotavit Petrus Paaw in succenturiato Anatomico, continente commentaria in Hippocr. de capitis vulneribus p. m. 18. & in primitiis Anatomicis de humani corporis ossibus Part. I. c. VI. p. 31. conf. Misc. Nat. Curios. Decur. I. Ann. VI. & VII. Obs. CXXCI. Atque *hæc* non inter *præternaturalia*, quin potius *extraordinaria contingentia* recenseri merentur, quibus etiam annumerandæ erunt *suturæ geminatæ* Sylvio & Eusta-

chio visæ, designatæ ab allegato modo Pavio in Anatom. succenturiato p. 17. adeò & hîc ludit in humanis divina potentia rebus. Atque huc pariter referendæ erunt *positus* & *figuræ futurarum* variantes, ab Hippocrate jam olim perspectæ, hinc ille sub initium l. de Vulner. capitis, ὐδὲ αἱ ῥαφαὶ τῆς κεφαλῆς πάντων καὶ ταῦτα πεφύκασιν, scripsit, & ante citatus Paaw peculiarem impendit operam in declarandis atque delineandis exemplis *capitum in figura* laborantium, indeque *vitiosarum futurarum* in commentario ad Hippocrat. p. 22. & seqq., & ære ibidem incisis iconibus, Fallopio contra negante, mutata figura, mutari ipsas futuras in expositione libr. Galen. de ossibus cap. XIII. p. 489.

23. In *senibus* robustioribus & siccioribus ætate provectioribus *futuræ aboleri* nonnunquam solent, idque in Viro tanquam rarum quid observatum refert Aristoteles, atque Herodotus in Calliope p. 619. tanquam insolitum quid annotavit, in pugna prope Plutæam comportatis Persarum cadaveribus, inventum esse caput, *nullam* habens *futuram*, uno tantum solido osse constans, Arato tamen non videtur id adeo fuisse rarum visum esse in versu ἐν τοῖς ἰατρικοῖς (libris deperditis, sed ex quibus nobis hunc versum servavit Pollux lib. II. c. IV.)

Πολλαὶ δ' ἀῤῥαφέες κεφαλαὶ πάγεν ἀνθρώποισι,

atque Celsus lib. VIII. de re Medic. cap. 1. locis æstuosis *calvariam sine futuris* facilius inveniri scripsit. Huc referantur, quæ de Alberto Marchione Brandenburgico & Antonio de Franckenstein in Idea Machinæ humanæ Anatomico-Physiologica Sect. XXI. p. 203. recensuimus, dum interea nobis obtigit, ut anno supra millesimum septingentesimum quinto Mense Septembri Universitatem Juliam invisentibus Excellentissimus Dn. Andreas Julius Böttcher, Med. Prof. Publ. primarius celeberrimus

& Ar-

& Archiater Gvelpherbytanus meritiſſimus, dicti Franckenſteinii cranium oculis uſurpandum obtulerit, inſignis amplitudinis & laminarum craſſitiei, conſpiciendâ tamen intus aliquali ſuturæ ſagittalis lineola reſiduâ. Non minus ab Herodoto Arato & Arriano in vita Alexandri Magni ſcriptum eſt, Æthiopum & Ægyptiorum capita *nullis* eſſe prædita *futuris*, quod etſi falſum eſſe Æthiops nigerrimus in ſcholis medicis publice diſſectus Riolano Enchirid. Anatomic. lib. VI. cap. VI. p. 441., cujus cranium noſtris prorſus erat conſimile, impoſuerit, Cl. Pechlinus tamen Obſervat. lib. II. Obſ. XXXIX. voluit confirmare, quando in Æthiopiſſa cranium offendit præter Riolani opinionem maximam partem ἄῤῥαφον.

24. Præterea Realdus Columbus lib. I. de oſſibus cap. IV. etſi fuerit perſuaſus, non eſſe credendum *futuras capitis laxari*, quod alioquin adeo compacte invicem inhæreant, ut nulla vi laxari poſſint, niſi quis ſcalpello divellere aut frangere tentaverit, & ipſe artis noſtræ princeps Hippocrates Epidemior. lib. V. t. XIV. ex manu lapidis ictum in futuras in medio ſyncipite pertigiſſe quando ſcribit, inſignem *violentiam* externam quoque procul dubio ſuppoſuerit, ſicuti ceteroquin ſub lapſu contuſione aut vulnere inſigni cum impetu ſuſceptis contiguum futurarum ſolvi extra omne dubium habetur. Frequens tamen tamen in hibernia eſſe, ut *capitis oſſa à ſe ſecedant*, ac notabili *ſpatio dehiſcant*, præcipue in *coronali ſutura*, ſed & quandoque in *ſagittali*, idque à *cæca* ac *interna cauſa*, abſque ulla externa *occaſione* aut *violentia*, huicque malo promiſcue obnoxios eſſe viros æque ac mulieres, nec teneros modo & delicatos, ſed duros quoque ac robuſtos, ipſosque adeo agreſtes, ſolibus & frigoribus, & omnigenis aëris injuriis laboribusque in ſummam corporis firmitatem duratos, erudite advertit Arnoldus Bootius in Obſer-

vationibus medicis de affectibus omissis cap. peculiari IV. Sic Sennertus lib. I. Prax. part. I. c. XXV. in Polonia sub pestis sævitia extinctis cranium ruptum; in viro febre ardente laborante coronalem & sagittalem disjunctas G. Fabricius Hildanus Cent. I. Obs. I.; in milite quopiam circa futuram coronalem post vini uberiorem ingurgitationem ad pollicis latitudinem dehiscentiam in Misc. Nat. Curios. Decur. I. Anni IV. Obs. XXXIII., in puella futuram lambdoideam ad spatium satis amplum hiantem, ut motus arteriarum quovis pulsu observaretur non tactu solo sed & visu, adhæc ubi puella plorabat, exiens ex fissura sive cerebrum sive menynx sola in cute & musculis cedentibus observabilem tumorem pro rimæ magnitudine forma quasi farciminis effecerit D. D. Joh. Burgius in M. Nat. C. Decur. I. Ann. IX. & X. Obs. CLXXXIX., nos certiores reddiderunt. Alia exempla vid. in Misc. N. C. Decur. II. Anni IX. Obs. CCXXVII. & CCXXX. Et sane cùm in saturis veris ossium extremitates prominentiis acutis & quasi digitatim sibi invicem conserantur, ab adaucta cerebri subtus concluſi mole, inflatione, vasorum turgescentia, menyngis expansione, spiritus cohibitione, sanguinis effusione ac serosa colluvie, halitibus elasticis &c. subtus collectis, in tantum omnes dictæ extremitatum prominentiæ ab invicem divelli poterunt, ut notabile interstitium inde resultet, ideoque Celeberrimus Gabriel. Clauderus ab ebullientibus p. n. atomis sanguinis impuri sub cephalalgia contumaci aliquot in personis subsecutas cranii divaricationes cum sonitu, daß man es krachen gehöret/ in Misc. Nat. Cur. Decur. II. Ann. IV. Obs. CXLII., idemque à cranii discessione sub partu obtingente in seq. Observatione scriptum reliquit. Et Beatus Parens noster D. Mauricius Hoffmannus in civis hujus oppidi uxore XLIII. annorum post mensium semestrem suppressionem cum notabili

tabili ſuturæ ſagittalis disceſſu ſanguinem erupiſſe obſervavit; nec minus Hildanus Cent. I. Obſ. I. ob dolorem, inflammationem & copioſum in cerebro humorem, ſuturis ſagittali & coronali disjunctis, auditos eſſe ſonitus & cranii crepitationem quandam, ac ſi lignum finderetur, atque cerebri motum attrectanti perceptum fuiſſe notavit: Adeoque recte animadvertit ante allegatus Bootius unicum in hibernia eſſe in manibus præſidium, quibus prehenſum utrinque caput à fronte & ſummo occipitio, ſi coronalis ſuturæ compages laxata, à lateribus verò, ſi in ſagittali eſt vitium, ſenſim ac blandius primo adduci, poſtea validius ſtringi debet, donec in unum oſſa coierint, atque vetulæ Hamburgicæ, cum atrocisſimis capitis doloribus per 30. annos conflictatæ poſt longa demum faſtidia & medelarum experimenta nihil conducibilius repertum manus auxilio, nempe fronti atque occipiti applicata utraque manu, idque vi maxima velut faſcino & dolorem & pulſum arteriarum circa ſuturam coronalem notabilem ſublatam, memoriæ prodidit Pechlinus Obſervat. Phyſico-Medicarum lib. II. Obſ. XXXIX., ſicuti ligaturæ arctius capiti circumductæ ob eandem cauſam, nonnunquam ob vaſorum nimis diſtentorum ſaltem coarctationem, in medelam cedunt.

25. *Hiatus* ille *rhomboides*, *membranacea fontanella* vel *vertex palpitans* in infantibus dici ſolitus, ſi in hisce ſponte *ſubſideat* aut *collabaſcat*, pro infauſto apud noſtrates mulierculas habetur omine, ſi verò violenter *deprimatur*, intentatâ cerebro & vaſculis ſanguiferis ſuccumbentibus ſimul noxa necem accelerare poterit; in *fovea verticis* infantis monſtroſi *membranula nigra*, poſt mortem autem *vireſcens* ſtatim, viſa eſt à Cl. Reiſelio in Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. VIII. Obſ. LIII. Alioquin autem prædictus *hiatus* ſicuti tutelæ gratia aliquot poſt partum menſibus oſſeam

ut

utplurimum acquirit ſoliditatem, ita extra conſuetum naturæ ordinem nonnunquam in adultis *mollitiem* ſervat, qualem, à Bauhino in prima ſua uxore, & à Lindeno in femina triginta annorum, ut ei capite dolenti vel parturienti coronalis futura ad pollicis latitudinem dehiſceret, conſpicuo tunc cerebri motu, tum etiam à ſeipſo in nobili quadam domina quadragenariâ viſam, refert Isbr. Diemebröck Anatom. lib. IX. cap. XI.

26. Extra cranium porrò aliquando excreſcit tumor mollis & ſpongioſus *fungus* dictus, gravioribus ejusdem læſionibus ſuccedens, à portionibus ſeri chyloſi nutricii ex membranis cerebri, atque meditullii cranii carunculis, ſolutionem continui perpeſſis profuſis, in carnoſam luxuriantem ſubſtantiam concreſcentibus genitus, vid. Hildan. Cent. I. Obſ. XV. Cent. II. Obſ. XXXVI. Scultet. Armam. Chirurgic. bipartiti Part. II. Obſ. XIX. M. N. C. Decur. II. Ann. IX. Obſ. CLXXIV. Dolæi Encyclopæd. chirurgic. rational. Lib. V. cap. XIII.

27. *Vulnera* nunc præcipue indaganda nobis erunt, quæ ſi per *capillatam* ſaltem partem & *integumenta communia* abſque violenta cranio ſimul illata concuſſione aut contuſione penetraverint, equidem parum momenti videntur habere, nihilominus quia gravia ſæpe producunt ſymptomata, & magis quam cetera, propter partis naturam, errandi facilitatem, & curandi difficultatem, periculis expoſita, prout ſolidè declaravit Fortunatus Fidelis de Relationibus Medicorum lib. IV. Sect. I. cap. VI. p. 552., vere à veteribus dictum legimus, *nullum capitis vulnus parvi faciendum, aut leviter & perfunctorie tractandum* teſte P. Pavv in Anatom. ſuccenturiato p. 2. Attendenda præcipue circa *futuras* inflicta *vulnera*, menyngem duram ibidem foris dimiſſam in conſenſum abripientia, *ſyncipitis oſſi* cute tenui obtecto illata, & *cerebro perpendiculariter* imminentia, *fronti*

inten-

intentata, propter venam frontis læsam hæmorrhagiam inferentem, aut musculum frontalem transversim dissectum superciliorum supra oculos casum relinquentem, *musculis* denique *temporalibus* gladio transfixa, de quibus postremis merentur legi, quæ ἀκριβῶς differuit Exc. Bohnius de capitis vulneribus lethalibus Sect. II. cap. 1. p. 175. & seq.

28. Nec minus circumspectos esse oportet Chirurgos in curandis *pericranii vulneribus*, siquidem ob exquisitum sensum doloris & inflammationis metuenda pernicies est, nec declinanda propter continuitatem duræ matris συμπάθεια, & propter contiguitatem ipsius subjecti cerebri σύμπνοια.

29. Sic & si sub *vulneribus* integumentorum capitis incumbentium *cranii*, vel *externa* ac *diploe*, vel *interna* etiam *tabula, continui solutionem* perpessæ fuerint, ob aëris præsertim intemperati contactum immediatum insuetum, sanguinis & seri lymphatici ex diploes cavernulis ac caruncu-lis profusionem, ac putredinis vim noxiam, nonnisi *anceps* mente præsumi poterit *eventus*, adeoque sæpius allegatus P. Pavv. in Anatomic. succenturiato p. 36. rectissimè censuit, cranii medullositatem, quam tabulis interpositam cernimus, è suis excussam & expressam cavernulis, inflammatam, ac putrilagine tactam in eandem inflammationem imò & putredinem os ipsum traxisse: dum de reliquo ad *prædicendam* ejuscemodi *læsionum terminationem, diversam ossium cranium* componentium *habitudinem, locum affectum, instrumenti lædentis* obtusi vel acuti, pungentis, scindentis, aut cum impetu discutientis, gravioris aut lævioris, majori vel minori impetu adacti, *conditionem, læsoris* positum, robur aut imbecillitatem, *læsi* temperamentum, statum corporis, situm, *aëris ambientis qualitatem* & alias circumstantias attendere oportebit.

30. Sed ut ulterius ſingulatim *cranii læſiones* ordine recenſeamus Hippocratem in lib. de Vulneribus capitis ducem ſequemur. Obvenit igitur *prima ſpecies fiſſura* ῥῆγμα & ῥήξις, *qualis, cute* ad ſenſum manente *integra*, cranio ab *inſtrumento gravi obtuſo*, vel *vehemente* ad corpus durum renitens *alliſione*, induci ſolet, atque *varia, recta, incurva, longa brevis*, cum *fractura* vel ſine *ea* obtingens, *evidens* alia, quæ diducta cute oculis conſpici aut ſpecillo tangi poteſt, & vel unica vel duas tabulas cranii tranſit, alia *cæca* ſenſui non ſtatim obvia, ſummam tantum pervadens laminam aut ejus ſuperficiem ſolum infeſtans, inſtar pili ſubtilis, unde fiſſura capillaris & ad imitationem Æginetæ lib. VI. c. IX. τελχισμὸς & τελχοειδὴς ῥωγμὴ dicta eſt, dum nihilominus per talem vix capillarem & ſubtiliſſimam rimulam magnam concreti ac teterrimi ſanguinis copiam in duram matrem defluxiſſe notavit Fr. Arcæus de recta curandorum vulnerum ratione lib. 1. c. 2. p. 13.; porro deprehenditur fiſſura aliqua *ſuperficialis*, alia *profunda*, denique integra permanente *lamina externa* in *interiori fiſſura* fatiſcit, Græcis ἀπόχημα dicta, de quâ tamen diſtincte poſtea loquemur.

31. *Secunda* ſpecies læſionis cranii φλάσις Hippocrati, Galeno θλάσις vel. θλάσμα, interpretibus *contuſio* vel *colliſio* nuncupatur, eſtque *cranii ad interiora inflexio*, ita ut tangentibut ac intuentibus exterius *lacuna* ſive *fovea* appareat, ceu in ſtanneis, cupreis, plumbeis, imo & argenteis vaſis ex alliſione violenta aut lapſu ad corpus durum, vel ictu mallei inflicto, tota die evenire ſolet; adeoque in hac ſpecie *figura* & *ſitus oſſis* læditur, non unio continui in tantum, in quantum vel fiſſura, rima, aut fractura appellari poterit: obvenit vero *eadem* potiſſimum duplex, etenim nonnunquam *utramq; percutit laminam*, ita ut ſæpe menynx ipſa abſcedat dura, vel omnino à toto incumbente cranio

pre-

prematur, nonnunquam *exteriorem* ſolùm ferit. Et quoniam infantium puerorumque ac in primo ætatis flore conſtitutorum crania fibras ac lamellas obtinent quodammodo flexiles, hujuscemodi *colliſionem* ſæpius iidem experiuntur, ſive ex alto cadant, ſive graviori cum impetu adacto corpore graviùs percutiantur, nec tamen adultorum crania, aliquantum extrinſeco violentorum occurſui vel reſiſtentiæ cedere idonea, ab eadem prorſus immunia exiſtunt. Sic J. Scultetus Armam. Chirurg. Part. II. Obſ. XX. in ancilla triginta annorum in exteriori lamina ſyncipitis dextri ex lapſu de ſcala minimè fiſſam depreſſionem obſervavit; decimo autem ætatis anno talem quoque notaverunt G. F. Hildan. Cent. III. Obſ. XXI. & Mart. Bogdanus Obſerv. Med. IX.

32. *Tertia* ſpecies denominatur ἔσφλασις, *depreſſio*, *introceſſio*, *deceſſio*, quando telis obtuſis, lapidibus, fuſtium ictibus, vel ex facto ad rem duram obtuſam capitis alliſione, os cranii finditur & alicubi abrumpitur à continuo ſibi oſſe, fractumque ſimul introtruditur, & ſub limbo ſive ora oſſis vicini integri hæret, ita ut *fiſſura* & *colliſio* hic concurrant: Sed & hujus quædam notabiles ſeſe in conſpectum dant differentiæ, ſiquidem vel ſolummodo portio oſſis, etiamnum integro adhærens, ex parte latet ſub oppoſiti oſſis limbo, vel portio oſſis ab integro per fracturam avulſa, & fragmentum univerſum ſub oſſe integro aut vicino ſe recipit, quò minus nec conſpici nec inſtrumentis chirurgicis apprehendi & extrahi poſſit, vel in aliquot fragmenta diviſo oſſe horum nonnulla menyngibus infixa hærent, imò his pertuſis ipſi cerebro, vel ipſo fiſſuræ fracturæque loco utraque ora ita eſt depreſſa, ac introrſum truſa, neutrius ut limbus orave, forſice ut retrahatur, arripi & relevari queat. Exempla videantur apud Schenckium Obſerv. Medicinal. lib. I.

de cranio, Horſtium lib. II. Obſ. 1. Petr. de Marchettis Obſervat. Medico-chirurgicar. VIII. IX. M. N. C. Decur. II. Ann. IX. Obſerv. CCXXI. Decur. II. Ann. I. Obſ. XCI. Ejusd. Decur. Ann. X. Obſ. XXIV. Accidit præterea nonnunquam ut ſub cranii depreſſione exterior lamina integra perſtet, inferiori depreſſa & ruptâ, qualem hiſtoriam conſignavit Scultetus in Armam. chirurg. Part. II. Obſ. XIV. & in ruſtica juvencula latiorem laminæ interioris cranii partem palmæ latitudine à ſuperiori per contuſionem inferius abruptam, & duræ matri incumbentem, ſuperiori cranii parte arctiſſimè adhærentem, deſcripſit B. Præſes Fehrius M. N. C. Dec. II. Anni II. Obſ. I.

33. *Quarta* ſpecies ſæpius notabilis appellatur ἕδρη, latinè *ſedes* ſive *veſtigium*, Cælio Aureliano morbor. chronic. lib. IV. cap. III. p. 509. *ſeſſio*, qua *cum* incumbentium capiti integumentorum & pericranii *vulnere*, *inſtrumenti lædentis* aut *teli veſtigium* remanet, atque apparet, qua impactum erat, atque hujus Pavvius in Comment. ad Hippocr. de Vulneribus capitis p. 102. quatuor recenſet modos huc excerpendos: (1) qvum quis pugione ita feritur, ut veſtigium ictus in oſſe appareat, qualem læſionem *diſtincte* Scultetus armam. chirurg. part. II. Obſ. XVIII. *puncturam* dixit, aut cum machæra aut glande è tormento emiſſa portio ſuperficiei cranii aufertur. (2) Quum acumine gladii aut pugionis ita læſum cranium, ut teli veſtigium in exteriori ſeſe oſtendat cranii ſuperficie, ſimulque quod reliquum eſt, cranii fiſſum ſit; (3) Qvum cranium colliſum ſeu intus depreſſum, ſimul fiſſum eſt, uti ſi quis ex alto in declive rectà in caput cadat, aut lapide, fuſto, globo catenæ nexo, vulneretur. (4) Quando cranium finditur, deorſum deprimitur, & ſimul introtruditur, hoc eſt, qvum ῥήξις θλάσις ἔσφλασις cum ἕδρα coincidunt.

35. *Quin-*

34. *Quinta* ſpecies ξυμφορὰ, Paulo Æginetæ & Græcis aliis ἀπήχημα, Latinis *Infortunium*, *Reſonitus*, *Contrafiſſura*, *oppoſitio* dicitur, eſtque talis cranii violenta læſio, in qua non quæ ictum aut violentiam excipit pars, ſed quæ ipſi *oppoſita* eſt *finditur*; idque evenit vel *in eodem oſſe* & quidem aut *lateraliter*, cum v. g. oſſis frontis dextra parte icta, ſiniſtra finditur, aut *ſupernè deorſum*, cum non prima quæ ictum paſſa, ſed ſecunda inferior lamina continui ſolutionem ſuſtinet; vel *in diverſis oſſibus*, hocque aut *à parte dextra in ſiniſtram* & *viceverſa*, ut cum icto oſſe bregmatis dextro, rumpitur ſiniſtrum, aut ab antica in poſticum & contra, ut cum icta fronte occiput dehiſcit, conf. Paræus operum Chirurg. lib. IX. cap. VIII. quid quod utraque tabula integra venas & arterias ſub ea parte cranii ruptas videret Amatus Luſitanus Centur. III. Curat. XLII? Et licet inter Autores dentur propoſitam *contrafiſſuram* negantes, eandem tamen, præter celeberrimos Viros B. Ammannum in Diſp. de Reſonitu cap. II. §. V. Bohn. in Examine Vulner. lethalium p. 194. Joh. Gvil. Pauli in Annotationibus ad Horne μικροτέχνην p. 408, ſeriò adſtruxit, atque à flexione in locis contrafiſſuræ contingente fortiori, particularum compagem ſuperante, & majorem figuræ mutationem pariente deduxit Dn. Rudolphus Chriſtianus Wagnerus, Mathem. & Naturalium in Academiâ Julia Prof. ordinarius optimè meritus, in Diſput. ſua inaugurali de contrafiſſura Jenæ Anno ſuperiori MDCCVIII. habitâ.

35. Sunt verò Autores, qui præter declaratas *quinq;* læſionum cranii *ſpecies* porrò diſtinctè recenſent *ſextam*, ἐγγείσωμα ſive ἐκγείσωμα *ſuggrundinationem*, ſive oſſis ad internum receſſum, ſub quâ os ita dividitur, ut læſa pars in medio naturali loco dimoveatur & deſideat, atque ad ſubjectam menyngem premendo pertingat, circumcirca

verò elevatum os eſt, ut foris cavum videatur inſtar ſuggrundarum, partium tecti prominentium, quibus ſtillicidia à parietibus arcentur; *ſeptimam καμάρωσιν* ſive *καμάρωμα concamerationem* ſive *teſtudinationem*, ubi oſſis pars aliqua in cameræ vel teſtudinis formam ſuſpenſa relinquitur, altrinſecus à reliquo cranio ſeparata, adeoque à ſexta ſpecie diſtincta, quia in priori pars media ictu deprimitur ad menynges, oræ verò elevantur, in poſteriori media oſſis portio elevatur & attollitur in modum fornicis, extremitates autem deprimuntur ad menynges; *octavam ἔμπιεσμα effracturum*, ubi os ictum in plura veluti fragmenta ſchidia atque teſtulas dividitur ſuppoſitam duram menyngem urgentes; *nonam ἐκκοπὴν exciſionem*, dum portio quidem cranii quædam exciſa, aut ex infractione ſurſum elevata, at nondum penitus ablata eſt; ac denique *decimam ἀποσκεπαρνισμὸν dedolationem & aſciationem*, ubi portio calvariæ decuſſa ſive exciſa ſimulque ablata deprehenditur: Sed præterquam quod Hippocrates ex parte tales ſub quinque ſpeciebus complexus ſit, ad easdem ſano ſenſu facile reduci poterunt.

36. *Cranii oſſa eroſioni*, & *cariei* ab ichore ac pure acri & virulento quoq; ſubjecta ſunt, uti ſub ulceribus venereis malignis ibidem enatis quandoq; obvenit, & in M. N. C. Decur. II. Anni VI. Obſ. LXXIV. deſcribitur ablata capitis olla in ſiniſtro cerebri lobo ejusque regione antica inventus abſceſſus inſtar ovi gallinacei pure craſſo & inſpiſſato refertus tantæ acrimoniæ, ut cranium ipſum corroſerit. Conf. Th. Bartholini Hiſtor. Anatom. Cent. VI. hiſtor. VIII. Bonet. Sepulchreti lib. I. Sect. I. Obſerv. XCIV. & ſeq.

37. Quæ *mala* gerantur in *externis cranii partibus quà mollibus quà duris* hucusque contemplati ſumus, proximum eſt, ut quæ calvariam *damnoſa intus* maneant vi-

tia

tia diſpiciamus. Hîc vero nobis mox ſe ſubjicit illa *hydrocephali interni* ſpecies, ubi ſerum lymphaticum extravaſatum inter cranium & duram matrem fluctuat, vid. Melch. Sebizii Manualis ſive Speculi Medicinæ practicæ Part. II. Sect. II. cap. XXII. Jacobi Primerosii Enchiridii medici practici part. II. de capitis affectibus XXIII. p. 62. J. J. Wepfer. Hiſtor. apoplect. XIV. Exercit. de apoplex. p. 403.

38. Ipſa dura *menynx inflammationi* quoque eſt obnoxia, ſanguine ſulphureo-ſalino acriori in reciproco libero commeatu intercepto, hinc *venæ* eandem perreptantes ultra modum & morem dilatatæ ac expanſæ nigræ varicoſæ, minimi digiti craſſitiem pæne æquantes, viſæ ſunt apud Bonet. Anat. practic. lib. I. Sect. I. Obſ. I. conf. Ballonius lib. III. Conf. LXXI. Greg. Horſtius Tom. II. lib. II. Obſ. I. *eadem* quoq; *menynx tumida* & elata ac ſi *flatibus* diſtenta Wepfero in Obſ. Anat. de Apoplexia Hiſtor. XV. p. 414., *puſtulis eroſa* à Rumlero Obſ. LIII., *tribus gummatibus candidis* obſeſſa à Rhod. lib. I. Obſ. XXXIII. Lud. Mercato de Morbo gallico lib. II. cap. VI., *gangræna corrupta* ex *compreſſione* ab Antonio de Pozzis Miſcell. Natur. Curioſ. Decur. I. Ann. IV. & V. Obſ. XXXV., *glutinoſo humore obſita* à Rhodio Cent. I. Obſ. LXXIV., *tenaciter cranio connata*, ut non citra dilacerationem avelli potuerit à Platero Obſerv. lib. I. p. 101., *nullibi cranio connexa* à Mich. Heilando Miſc. Natur. Curioſor. Decur. III. Ann. VII. & VIII., annotata eſt.

39. Ingenioſiſſimus Georgius Baglivus ſicuti *naturalem* duræ menyngi *motum* attribuit à fibris & villis motricibus perficiendum, ſive oſcillationem conſtrictoriam, per quam fluidum nerveum exprimat, & in fibras cerebri medullares inſinuet, ita *præternaturales* quoque ejusdem *motus* concipit, cum violentas ob cauſas

turba-

turbata ſuarum partium ſtructura elatere & reſiſtentia, pro *regularibus* & *ordinatis motibus irregulares* ac *violentos* producit, horumque cauſa fluidi quoque nervei expreſſionem & curſum irregularem fore ac turbatum, & hinc manias, deliria, vigilias, dolores capitis, vertigines, epilepſias &c. ſubnaſci exiſtimat, uti de hisce legi merentur, quæ protulit de Fibrâ motrice cap. V. operum noviſſimè editorum p. 276.

40. Similiter *pia menynx* inflammatione tentata ex obſervatione Nicol. Fontan. Analect. c. 2. J. Rhodii Cent. I. Obſ. XL, *ſero turgida* ut ſolitam craſſitiem quatuor ſuperaret, ex Bonet. Anat. Practic. lib. I. Sect. I. Obſ. XVI., *duræ matri præter naturam intermediis fibris validiſſimis accreta* ex obſervatione Wepferi Hiſtor. apoplectic. XVI. p. 424., vel ab *illa plus æquo ſejuncta* ac *pure* vel *ſero referta*, nobis quoque viſa, omnes *anfractus cerebri colligans & æquans*, ut tota cerebri ſuperficies lævis & æqualis apparuerit ex Obſ. XV. citati Wepferi pag. 414., intra *cerebri anfractus ſero ſuffuſa*, & à *cerebro* citra laceratione *ſeparabilis* ex Obſ. XLI. Anat. practicæ Boneti lib. I. Sect. II., in conſpectum ſeſe dedit.

41. Vulnera *duræ* & *piæ matri* inflicta *ſimpliciter lethalia* haud pronunciare licebit, ſiquidem ipſimet bis terve ſub noſtrâ curâ talia curata obſervavimus, *ſinubus* autem quæ inferuntur, non poſſunt & propter uberiorem ſanguinis profuſionem, ejusdemque ad venas præpeditam reductionem, & propter contorſiones fibrarum ſpaſticas, perniciem minari metuendam.

SPECIMEN XVII.

§. 1.

IPſum etiam *cerebrum*, quod ad intelligentiam internuncium pronunciavit Hippocrates lib. de morbo ſacro XVII. 6., *multiplici morborum genere* tentatur juxta Riolanum Enchirid. Anatomic. lib. IV. c. II., & *ſymptomatum plurimorum* ſerie afficitur, quibus recenſendis tantiſper noſtram commodabimus operam.

2. Et primum quidem pro *fluidorum humoroſorum* ac *ſpirituoſorum* ad *cerebrum* affluentium diversâ *dyscraſiâ, aërisq;*, ambientis vitiata *qualitate*, tum *vaſorum meatuumq;* aliena *modificatione, idem intemperie* affligitur diversâ: modo *calida* à particulis ſpirituoſo-ſulphureis uberioribus cum particulis acrioribus ſalinis in motum rapidiorem intra vaſa & meatus ampliores circumactis; modo *frigida* à particulis exuperantibus acido-ſalino terreis, depreſſis æthereo-elaſticis ſulphureo-ſalinis intra vaſa & meatus anguſtiores ſegnius agitatis; modo *humida* à particulis exundantibus ſeroſo-aqueis intra laxiora vaſa & ſimiles tubulos effuſis; modo *ſicca* à ſeri lymphæque defectu, vaſorumque ac meatuum arctiori ſtricturâ inducta: iſtæ autem *ſimplices* differentiæ, ſi mutuo ſibi conjungantur vel occurrant, *compoſitas* reſultare faciunt *intemperies*, dum utrarumque *ſigna* in diſputat. ex arte parva Galeni VII. erudite olim recenſuit Melchior Sebizius, quibus *ſimilia* de temperie cerebri conjecturas probabiles ſubminiſtrantia videantur in prælocquio Petri Laurembergii ad Mnemonica Ciceronis typis impreſſo in Miſc. Nat. Curioſor. Decur. I. Ann. III. p. 602.

3. Clarioris verò doctrinæ gratia diſtincte magis is locuturus eſſet, ſi *intemperiem* aliquam *cerebri ſanguineo-plethoricam*, ab *ubertate* nimiâ *portionum* ſanguinis *balſamica-*

rum, aliam *biliosam*, à *copia* portionum sulphureo-salinarum acrium, vel salino-oleosarum *biliosarum*; aliam *pituitosam*, ab exuperantia portionum chylosо-lymphatico-viscosarum *pituitosarum*; aliam *melancholicam*, à *prædominio* portionum acido-salino terrearum *melancholicarum*; aliam denique *serosam*; à *colluvie* aquearum portionum sive *serosarum* diluentium cerebro *affusarum*, quis cum modernis singulatim derivare ac denominare mallet.

4. Quemadmodum autem in antecedente Specimine §. 38. & 40. menyngum *inflammationem* recensuimus, ita hîc quoque monendum erit, cum *illa cerebri quoad substantiam propriam inflammationem* individuo nexu plerumque junctam esse, nonnunquam tamen citra *priorem* prævian *posteriorem* generari posse *systrophicam* quibusdam dictam, à concitatiori *sanguinis sulphureo-salini bilioси acrioris* per arterias ad cerebrum *affluxu*, à nimia *ejusdem* copia, orgasmo, & turgescentia, per aërem fervidiorem, vini generosioris ingurgitationem, ciborum aromaticorum abusum, commotionem animi aut corporis vehementiorem &c. *inducto*, aut alias etiam causas facta inibi *extravasatione*, hincque præpedito ad *sinuum* tubulos reductorios & *venas ejusdem peridromo*, aut demum *hoc ipso* ob *tubulorum*, *sinuum* & *vasorum revehentium*, *ordinem* ac *situm inversum*, item spasticam obvenientm *constrictionem*, comite febre acuta & delirio, *intercepto*: hinc Ballonius lib. III. Consil. LXXI. in quodam ab obscura *phrenitide* extincto *venas cerebri* varicosas & sangvine nigro turgentes, medullam cerebri sicciorem, ac membranas quasi per siriasin & deflagrationem arefactas conspexit; similiter Rumlerus Observ. LIII. in quodam diu in carcere detento omnes cerebri spiras nigro sanguine refertas, qualis etiam in ipsa cerebri substantia copiosius latebat, annotavit: Adeoque licet ab Autoribus nonnullis *ipsius cerebri phlogosis* in dubium vocetur,

hanc-

hancce tamen ex Petri Salii Diverſi de affectibus particularibus cap. I. & IV. erudite adſtruxit Dan. Sennertus Inſtit. Medic. lib. II. Part. III. Sect. II. cap. IV.

5. *Figura cerebri* neceſſe eſt ut vitietur, quoties *morbus malæ conformationis in figura cranii* inſignis occurrit, de quali in Specimine citato §. 19. verba fecimus; ita Williſius in Anat. Cerebri Figur. IV. effigiem exhibuit cerebri humani ab ipſa nativitate fatui, cujus moles tenuior ac ſolito minor fuerat, ac ipſi novimus ſimilem ab ortu ſimplicem hominem ſive naturâ ſervum in aula Onoldina & Oettingenſi notiſſimum Caſparum Meierum, cui facie anteriori oſſibusque ibidem ad magnitudinem decentem efformatis, vertice contra cum ſyncipitis & occipitis oſſibus anguſtiſſimo ambitu circumſcriptis, & in acumen medium aliquantiſper prominentibus, ſubtus *reconditam cerebri & cerebelli effigurationem* male ſeſe habere probabili animi conjectura præſumere licet; hinc rurſus Williſius Anim. brutor. Part. II. Patholog. cap. XIII. de ſtupiditate ἀκεφάλῳ cenſuit, cerebri figuram genuinam & optimam globoſam eſſe debere, ſcilicet in eum finem, ut ſpiritus æquabili effluxu à meditullio ejus quaquaverſum in ambitum diffundantur, & illinc æqualibus ubique reflexionum angulis retorqueantur, adeoque qui capite depreſſo vel nimis acuminato vel aliàs improportionato inſigniuntur, utplurimum functionis animalis labe quadam notabili affici. Ceteroquin in puero quinquenni hydrocephalo mortuo, & quinque libras aquæ *cerebro* complexo, *hocce* amiſſa *figura* naturali formam *quaſi fornicis* induiſſe obſervavit Tulpius Obſ. Medic. lib. I. c. XXIV.

6. Morbi *meatuum* & in *corticali exteriori* & *medullari interna ſubſtantia* contemplationi noſtræ ſeſe ſubjiciunt diverſi: vel enim *præternaturaliter anguſtantur*, dum aut à *ſanguine* extravaſato nunc fluido nunc in grumum col-

lecto, aut ab *acido* aut *austero* morbido in coagulum coacto, aut à *chylo* crudo indigesto gelatinoso-glutinoso, aut à *pituita* lenta viscosa, aut *sero* effuso, aut à *vaporibus* turbulentis narcoticis susceptis, *obstruuntur*; aut à *tumoribus* incumbentibus itemque præternaturaliter aliis enatis *corpusculis*, lapillis, glandulis, vermiculis &c. aut à *cranio* propter vim extrinsecus sub lapsu, contusione, fracturâ, fissurâ &c. illatam introrsum recedente, *comprimuntur*, aut à *vasis sanguiferis* transeuntibus plus æquo turgidis *coarctantur*, aut per *subsidentiam occluduntur*, de quâ vid. Th. Bartholin. Cent. IV. histor. LXXXVI. Wepfer. in Exercit. de locis affectis in apoplexiâ p. 279. & 298. Sic celeberrimus Brunnerus in muliere 35. annorum apoplectica utrumque non solum ventriculum, sed & *omnes cerebri cavitates* sanguine diluto fluido *farctas* & *oppilatas* invenit, vid. historia in Apiario Clariss. Harderi in Schol. ad Obs. XXX. p. 137. Idem etiam in cerebri hydrope utrumque ventriculum non solum aquâ scatuisse turbidâ, quin omnes recessus & cerebri cavitates hac inundatas ac repletas conspexit Miscell. Nat. Curios. Decur. III. Ann. I. Obs. CLIII. adhæc Platerus Praxeos lib. I. cap. 2. meminit *glandulæ magnæ duræ* supra corpus callosum genitæ; præterea in uxore cujusdam J.C. frequenter inunctione ex hydrargyro usa, & hinc in eam capitis gravitatem redacta, ut, hoc parum in latus aliquod inclinato, statim illuc magnum pondus deferri perciperet, nec caput nisi adhibita manu attollere potuerit, *binas uncias mercurii repertas* ex P. Castelli Dissert. I. Dodechap. Chalcanti p. 7., itemque in aurificis aperti capitis cerebro sub anatomia Romæ facta plusquam ℔ j. *mercurii* visam ex Observationibus Phil. Jac. Sachsii recenset Th. Bonet. Anat. Practic. lib. I. Sect. I. Obs. CXIV.

7. Viceversa *meatus utriusq;* nominatæ *cerebri substantiæ ultra modum naturalem*, ab adaucto sanguinis & spiri-

tuum

tuum seriq́ue *elaterio*, *motu* impetuosiori, sub vigiliis nimiis, ferocia, mania, phrenitide &c. notabili, à *medicamentis* spirituosis salinis volatilibus alcalicis & oleoso-aromaticis, sulphureo-salino-æthereo-odoriferis *intus* assumptis, *sacculis* & *cucuphis* vel *suffimigiis* similibus *extrinsecus* susceptis, *aëre* fervidiori, *incalescentiâ corporis* & sub hoc ferociori sanguinis ad caput *impulsu*, etiam *expandi* atq́ue *ampliari* poterunt.

8. Deniq́ue quod *nominati meatus* in *ordine*, *positu*q́; ac *figurâ* suâ, sub *violenta cerebri*, ejusdemque *membranarum*, per ictum, casum, contusionem, vulnera, abscessus, aliasve læsiones *cranii* graviores in proxime præcedente Specimine declaratas, sternutationem immoderatam ac immodicam, narium emunctionem succussoriam, vomitum laboriosum, tussim ferinam, saltum enormem, partum difficillimum, horrisonam sclopetorum bellicorum explosionem, *inducta commotione* turbentur, non improbabili mentis conjectura præsumere licebit; cum cerebrum non tantum cranii galeæ osseæ contiguum, sed per membranas ac vasa continuum esse notetur.

9. Consimiles prorsus *morbos* in *tubulis* ac *vasis sanguiferis* nec non *sinibus cerebri* obvenire, *meatus* verò insuper in *iisdem* factâ spasmodica fibrarum tendineo-membranacearum crispatura angustari posse, vero consentaneum videtur.

10, *Superficies cerebri* in *morbosum* transmutata *statum* potissimum conspicitur, si *gyri* & *anfractus* à *serosa colluvie* deleantur, uti apud Bonet. Sepulchreti sive Anatom. Practicæ lib. I. Sect. X. Obs. XV. in pueri Colonienſis capite in molem incredibilem expanso, cranio mortui dissecto, in duobus anterioribus cerebri ventriculis aqua ad ℔ xviij. reperta fuit, à qua *substantia* cerebri ita distendebatur, ut *gyri* non conspicerentur, conf. Misc. Nat. Curios.

Decur. I. Ann. IV. & V. Obſ. CXCVI; aut ſi *ſuperficies* eadem *extraordinario* obtegatur *velamento*, ſicuti idem Bonetus Anat. pract. lib. I. Sect. I. Obſ. XXIII. exemplum propoſuit cujusdam feminæ, ubi ablata cranii olla corporeque falciformi à criſtâ galli reſecto ac retrorſum flexo, *ſuperficies cerebri* ubiqúe ceu *gelatina flava* transparente tegebatur. Quid quod & *ſuperficiei* morbidam diſpoſitionem quis non immerito pronunciaverit, ſi corticalis ſubſtantiæ *tubercula glandulosa* plus quàm par eſt promineant? à ſeri quippe abſorpti & detenti redundantia *glandulas* mirum in modum intumeſcere experientia loquitur quotidiana.

11. *Auctæ magnitudinis* in *cerebro morbi* obveniunt, ſive *univerſales* ejusdem *univerſi*, ſive *particulares* hujus aut illius *partis*, *tumores*, à ſangvine, chylo, ſero, lympha, pure, in peridromo ſuo interceptis, aut extravaſatis, aut intrà certa conceptacula collectis enati: Pro confirmatione hujus aſſerti ſubſerviet hiſtoria ab Andr. Veſalio lib. I. de humani corporis fabrica cap. V. conſignata de puella quadam duorum annorum, cujus caput aliquot menſium ſpatio in tantam excrevit molem, ut ob novem aquarum in *cerebro* collectarum libras quodvis vivi caput magnitudine longum ſuperaverit. Plures *Hydrocephali* ejuscemodi *interni*, ubi vel *ſerum* ſuprà *corticem cerebri* ſaltem collectum, vel ad ipſam *medullam* effuſum, vel per *univerſam cerebri ſubſtantiam* & *ventriculos* ac *cavitates* omnes *exundans* repertum, obſervationes & ſpecies vid. apud Gvil. Fabr. Hildanum Cent. I. Obſ. X. Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Anni IX. Obſ. CCXXVII. & Decur. III. Ann. I Obſ. CLII. Bonet. Anat. Practic. lib. I. Sect. XVI. Obſ. VIII. Stalpart. van der Wiel Obſervat. rarior. Centur. poſterior. Part. prioris Obſ. XV. Vieuſſens Nevrograph. univerſal. lib. I. cap. XVI.

12. Hîc

12. Hîc quoque recenſenda erit Obſervatio Th. Williſii de Anima brutorum Part. II. Patholog. Cap. II. habita in muliere quinquagenaria, poſt ſeximeſtrem *cephalalgiam lethargo* defuncta, ſub cujus cranio aperto è latere ſinus tertii *tumor ſcirrhoſus* tres digitos latus membranis accreverat, *cerebri* anfractus autem tùm exteriores tùm cavitas interna fuerunt aqua limpida repleta. Tumor *ſteatomatis* conſiſtentia pugni magnitudine, *cerebrum* & *cerebellum* inter, eo præciſe loco, ubi *conarium* utrique ſubſternitur choroidis plexus alæ, cœcitatis, ſurditatis atque omnium ſenſuum & functionum animalium & necis cauſa à Drelincurtio Anatomico quondam ſagaciſſimo annotatus teſte Th. Boneto Anat. practic. lib. I. Sect. II. Obſ. LIII. In muliere ex cephalalgia multorum annorum, eaque atrociſſima & invicta, pereunte, *ſinus cerebri nigro mucilaginoſo tenaciq; glutino* obſeſſus, ſparſis *polypi* inſtar per laterales ramos fibris, annotatus à Celeberrimo Pechlino M. N. C. Decur. I. Ann. IX. & X. Obſ. XXV. in ſinu *cerebri* falcato *polypoſæ concretiones* viſæ ab Alexand. Knipsmacoppe in Epiſtol. medic. de aortæ polypo in append. ad M. N. C. Decur. III. Ann. I. p. 107. Adhæc in Sacerdote in fine conſecrationis ſtolido & paulo poſt apoplectico facto *veſicæ* aliquot rotundæ albidæ humore pituitoſo repletæ *ſupra corpus calloſum* viſæ ſunt à Dominico Pamarolo Pentecoſt. I. Obſerv. XVII.

13. Sed & porrò *imminuta cerebri magnitudo* nonnunquam deprehenditur, ſive à denegato *ſanguinis, ſeri* & *nutrimenti, affluxu, ſpirituumq;* vapeſcentiâ ac deficiente *elaterio*, ſive à *reſiccatione*, ſive *colliquatione*, ſive *reſolutione*, ſive *compreſſione* ea evenerit, ſive aliqua ejus *portio* aut ſublata, aut aliorſum excreta fuerit. In quorum fidem faciunt diverſæ ab Autoribus poſterorum memoriæ relictæ obſervationes: Siquidem ab ipſo artis noſtræ principe Hippocra-

pocrate Epidemior. lib. VI. Sect. III. 4. edit. Linden. singulatim proponitur ἡ ἐγκεφάλου ἀνάλωσις, *cerebri consumtio*, qualis notante Foësio in Oeconom. pag. 49. sub verbo ἀναλίσκειν Galeno μείωσις appellatur, cùm *cerebrum* siccius redditum ad ossa syncipitis subsidit, & in se contrahitur, minoremque locum occupat, & à syncipite abscedit: sicuti Bonetus Anat. practic. in Schol. ad lib. I. Sect. I. Observ. LXXXVI. ex Salmutho Cent. II. Obs. LXII. exemplum adducit cujusdam, cui ex nimio veneris usu *cerebrum* ita exsiccatum fuerat, ut etiam intra cranium hinc inde ferri videretur, quod ipsum tamen in citato modo Autore reperire sedulo etsi investiganti mihi non licuit, quin in Centur. I. Obs. LXXII. aliam notabilem legi historiam de quodam Zingaro in triremi captivo, & in vertice olim circa futuram lambdoideam una cum particulæ cranii amissione vulnerato, cui *crescente lunâ* à *cerebro* in *majorem molem elato* callus elevabatur amplius, ita ut dimidii transversi digiti spatio reliquam superficiem excederet, *decrescente* vero *lunâ cerebro* in *angustiorem sphæram coëunte*, ille quoque rursus subsidebat.

14. Aliàs autem in quopiam post diuturnum morbum gallicum & intolerabilem capitis dolorem *nihil cerebri* in toto cranio repertum, *præter* quandam *mucositatem* & *phlegma* valde indigestum, quod vix quartam cranii partem oppleverat, ex observationibus Garneri recensetur à citato sæpius Boneto Sepulchret. lib. I. Sect. I. Observ. LXXXVI., & in puero hydrocephalo affecto *cerebri* loco *aqua reperta mucosa* à Kerckringio Spicileg. Anatom. Obs. XLVI., similiter in infante tali, ultra xij. mensuras vel libras xxiiij. sub hydrocephalo comprehendente, *cerebrum exiguum* instar *oculi bovini* ad unciam unam cum dimidiâ accedens totum simul corruptum à D. D. Seligmanno Misc. N.C. Decur. III. Anni I. Obs. CLXV. & ab immodico veneris

abusu

abusu imminutam cerebri substantiam, Horstio in Epistol. attestante, rursus ab eodem in Schol. ad lib. I. Sect. I. Observ. LXXXIV. narratur.

15. Apud Musarum & Gratiarum parentem Plautum in Cassina Actus II. Scen. VI., famulis duobus amoibadin seu alternis convicia ingerentibus inquit Olympio Chalino,

At tu ut *cerebrum* per *nares emungas* tuum.

Quod equidem sese primum captu haud assecutum esse, quî cerebrum per nares emungi possit, ingenue fassus est Henricus ab Heer Observat. Med. XXIV., donec legisset in Erasto Tom. IV. Disput. II. contra Paracelsum, *hoc* illo præsente factum in magna violentia insultus epileptici: facit vero ad ulteriorem hujus asserti fidem historia pueri octo annorum hydrocephalici à Celeberrimo Hardero in Apiarii Schol. ad Obs. XXXIII. p. 149. prolata, ubi *cerebrum* nullum ferme & *instar pultis diffluxerat*, atque observatio Montispessuli habita in anu quadam, ubi *cerebri substantia diffluxerat* à Platero Pract. lib. I. c. II. & Obs. lib. I. p. 15. annotata, conf. alleg. Harder. in Schol. ad Obs. XXX. p. 136. tum & Observ. M. N. C. Decur. II. Anni VI. X. ubi *insignis cerebri quantitas ex naribus profusa* describitur à Cl. Albrechto: similis consignata ab Hagendornio Hist. Cent. I. Histor. LI. Binning. Cent. V. Obs. XXXV. & Schelhammer. Misc. N. C. Decur. III. Anni III. Obs. CLXVIII.: quale quidem symptoma sicuti rarius obtingentibus quis meritò accensuerit, ita ego vix aliter obtingere posse crediderim, nisi vel fervidior motus & concussio, vel ichorosa colluvies, vel purulenta acrimonia compagem cerebri solverit, & extraordinaria per ossium lamellas via patefacta fuerit, adeoque Excellentissimus Wedelius Physiolog. reformatæ cap. XIII. p. 496. ἀνεύρυσμα advertit, in vulnere capitis prope futuræ coronalis lateralem basin, osse ceteroquin integro,

ob male tractatam læsionem à chirurgo, *ichorem purulentum* manifeste exudasse, qualem apertione facta hinc intus deprehenderat, subditque, idem tristi spectaculo exhibuisse studiosum, cujus *cerebrum* ab erysipelate maligno in abscessum abierat, *pure* per has vias indeque in extimas partes capitis & faciei exuperante, donec vitæ pausam faceret: atque adeo à *purulenta* potius *acrimonia* in vulnerato illo, cujus mentio facta est in Miscell. Natur. Curios. Decur. II. Ann. IV. Obs. CXXIX., quam *halecum crudiorum* esu & cerevisiæ potu, inventum *cerebrum in fœdum* quasi *liquamen* seu *gelatinam* abiisse.

16. Ceteroquin autem *naturali cerebri quantitati* notabile quidpiam *decedit*, si post susceptam *fracturam*, aut perpessum *vulnus* aut *læsionem* aliam *continui patentem* aliqua ejusdem *portio ablata* fuerit; etenim Joh. Beverovicius in Epistol. ad Th. Bartholinum Cent. I. XCIII. de puero sexenni scribit, huic sub fractura ossis syncipitis *cerebrum* paulatim prodiisse instar *fungi*, demumque ad corpus callosum usque *exhaustum* fuisse, insecuta lethali vitæ catastrophe; dum *felicior sors* atque *superstes vita alios* mansit apud G. Horstium Observ. medicar. lib. II. num. I. Petr. de Marchettis Observat. Chirurg. cap. I. II. III. Guil. Fabr. Hildanum Cent. I. Obs. XIII. Centur. II. Obs. II. Borell. Cent. I. Obs. LXXXVIII. G. Francum in Scholio ad Misc. Nat. Cur. Decur. II. Ann. I. Obs. XXIX. confer: Decur. II. Ann. III. Obs. CL. Isbr. Diemerbröck. Anat. lib. III. c. VI.; atque simile exemplum nobis antehac in Praxi hoc obtigit, dum nebuloni pessimo sub vulnere syncipiti dextro à milite Norico in hybernis Raschensibus viventi, ablata cum cranio notabili *cerebri* portione, salutaris restitutio ex voto succesſit, ut non expectata consolidatione perfecta, viribus tamen integris, male sibi conscius inopinato clam aufugerit.

17. Sed

17. Sed, *defuisse* prorsus *cerebrum*, miraculo proximum quis dixerit, id verò annotatum à Beato Parente meo in fœtu septimestri, ubi *cerebri*, *cerebelli* ac *menyngum* defectus aderat, in parte autem faciei opposita durum quodpiam corpus figura primæ vertebræ alata carnea mole obducta protuberaverat, sub quo foramen insigne penetraverat ad vertebrarum cervicalium ac dorsalium thecas, quæ licet membrana quadam firma succinctæ, omni tamen medulla destitutæ fuerant, obstetrice jurante se motum fœtus in utero ad tactum persensisse, & matre id affirmante vid. Misc. Nat. Curios. Decur. I. Ann. II. Obs. XXXVI. cum figur. conf. Vesling. Observ. & epistol. medicinal. à Th. Bartholino edit. Epist. XLIV. Velschius Obs. Med. episagm. IX. *Similis puella* visa est à Bartholino modo dicto, sed vix horæ spatio vitalis, *cerebro destituta*, utpote cujus locum occupaverat caro informis rubra instar mitræ foras producta mobilis, ut detrahi & reponi pro lubitu potuerit. Meretur autem cumprimis hîc legi sagacissimi Naturæ Consulti τὸ πάνυ Wepferi *historia puellæ sine cerebro natæ*, & subnexa dissertatiuncula, in M. N. C. Dec. I. Ann. III. Obs. CXXIX., porro *puella* sine cerebro nata & tamen vehementissimis convulsionibus exagitata descripta est à Celeberrimo quondam Posonienſium Machaone Raygero M. N. C. Decur. I. Ann. VIII. Obs. LXIV.

18. Ad *morbos Cerebri in numero* communiter referri solent *res toto genere præter naturam ibidem repertæ*, *calculi*, *vermes*, *polyposæ concretiones* &c. Sic in Patricio Veneto cum dolore capitis obtuso olfactu orbato post mortem prope basin cerebri repertus *lapis* compressus, thaleri nummi instar, sed non omnino rotundus, coloris cinericii, vid. Bonet. Anat. practic. lib. I. Sect. XX. Obs. IV. & lib. I. Sect. I. Obs. CXII. Misc. Nat. Curios. Dec. I. Ann. I.

Schol. ad Obſ. XXVI. p. 94. M. N. C. Decur. II. Ann. I. Obſ. CXXXI.; *ſtyli* ſive *pugiunculi* ſubtilioris *fruſtulum* in cerebro mulierculæ ſub diſſectione viſum Veslingio, quod ipſa geſtaverat per quinquennium ſine omni moleſtiâ, niſi quod ingruente pluvia caput doleret, teſte Rhodio Cent. I. Obſ. XXXII. *Vermiculi* ex obſervatione Th. Bartholin. Hiſtor. Anatom. Cent. I. hiſt. LXIV. & aliorum Autorum ibi allegatorum in *cerebro* reperti; *glans plumbea* ſub ſclopeti vulnere intruſa ægro poſt curam vulneris per ſex menſes adhuc ſuperſtite *ibidem* notata à G. F. Hildano Cent. II. Obſ. II.

19. *Situs cerebri perverſus* in *monſtroſis* præcipue deprehenditur *capitibus*, *qualis* etiam obvenit, quando e. g. *idem à cranio carcinomate* exeſo pomi magnitudine protuberavit Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. I. Obſ. CLXVII.; quid quod *ex parte talis* quoque concipienda, ſit ſub *commotione* & *concuſſione cerebri* inſigni ab *externis* & *violentis cauſis*, ictu vel caſu validiori, bombardarum & tormentorum bellicorum majorum, nec non fulgurum, fragore, campanarum, ſi quis minus aſſvetus propius illis dum pulſantur adſtiterit *ſonitu*, & aliis §. præcedente VIII. enumeratis, profecta, quam ſtupiditatem, obmuteſcentiam, delirium, febrem, cœcitatem aliasque ſenſuum & motus animalis læſiones ſubſequi is facile crediderit, qui propter turbatum tunc ſimul meatuum in cerebro ordinem, fibrillas aut canaliculos medullares in nervulorum propagines mox abituros compreſſos, ſubſidentes, contortos, divulſos, dilaceratos, ac interceptum ſanguinis & ſpirituum naturalem commeatum, vel illius ob rupta ſimul vaſa extravaſationem tum & ſeri lymphatici effuſionem hujuscemodi ſymptomata gigni noverit, de quibus ulterius conſulatur Hippocrates Sect. VI. Aph. L. Sect. VII. Aphor. XIV. & LVIII. Obſervationes autem huc ſpectantes videantur

apud

apud Hildan. Cent. I. Obſ. XI. & XII. Cent. III. Obſ. VI. VII. IX. Cent. IV. Obſ. V. Cent. V. Obſ. XI. Miſc. Nat. C. Decur. II. Ann. IX. Obſerv. CLX. Stalpart van der Wiel Obſerv. rar. Cent. II. part. I. Obſ. II.: ſed & ejuscemodi *concuſſionem*, absque ullis ſymptomatibus, *lethalem* nihilominus obtigiſſe, ex Obſerv. CLXI. M. N. C. modo allegat. Valeriol. lib. III. Obſ. VIII. Dodon. Obſerv. Med. I. imò etiam ipſo Hippocrate V. Epidemior. & Pawio à Bohnio allegatis Exam. vulner. lethal. c. II., pateſcit.

20. Inter *morbos ſolutæ unitatis cerebri* contemplationi noſtræ primum ſeſe offerunt *vulnera*, *qualia* quidem inſigne vitæ periculum minari recte reputantur, tùm quia viſcus corporis princeps functionibus animalibus perficiendis deſtinatum affligunt, tùm quia ob molliusculam ejusdem conformationem glanduloſo-fibroſam motu reciproco continuo agitari ſolitam, unionem, ac ob uberiorem ſanguinis et ſeri lymphatici affluxum & collectionem, exſiccationem, ad conſolidationem juxta Gal. lib. IV. Meth. med. cap. V. neceſſariam, non promte admittunt, tùm quia perniciosa admodum ſymptomata ſecum inferunt à Cornel. Celſo lib. V. de re medica cap. XXVI. recenſita. Adeoque Hippocrates in Coacis prænotionibus III. n. 387. edit. Linden. hanc in rem ſcripſit: Ἀποθνήσκουσι δὲ μάλιστα ἐκ τῶν τρωμάτων, ὧν ἂν ἐγκέφαλον τρωθῇ, moriuntur maxime ex vulneribus, ſi quis cerebrum ſauciatus fuerit, & Sect. VI. Aphor. XVIII. διακοπέντι ἐγκέφαλον θανατώδες, cui *perſectum* fuerit *cerebrum* lethale enunciavit, atque in lib. de vulneribus capitis n. III. ſingulatim, quia univerſi capitis os tenuiſſimum ac debiliſſimum eſſe monuerat, quod eſt circa ſynciput, θανασιμώτερά ἐστι καὶ χαλεπώτερα ἰητρεύεσθαί τε καὶ ἐκφυγάνειν τὸν θάνατον lethaliora ac ad curandam, ac ad effugiendam mortem difficiliora *vulnera* docuit. Recentiores

etiam Doctores experientiæ fidiſſimæ magiſtræ ſuffragio ſuffulti *illa cerebri vulnera* ἐξ ἀνάγκης καὶ διὰ παντὸς θάνατον ἐπιφέρειν *neceſſario & ſemper* mortem inferre ſtatuunt, quæ ad *cerebri meditullium* ac *corpus calloſum, fornicem, corpora ſtriata, & medullam oblongatam* profundius penetrant, vel *vaſa majora*, aut plura *minora* in *plexus* collecta cum notabili ſanguinis profuſione ſauciant, aut cum inſigni *capitis cerebriq; concuſſione* infliguntur, aut *eam cerebri regionem* attingunt, à quâ ad partes nobiliores τὸ εἶναι abſolute concernentes fibræ medullares in nervos dein couiendæ propagantur, aut quæ *gravioribus ſymptomatibus*, præſertim apoplexia, epilepſia, convulſionibus, paralyſi &c. mox ſtipantur. Hinc B. Timæus à Guldencklec in Reſponſis Medicis num. XVIII. p. 1002. refert, nobilem quendam ſileſium in inclutâ Francofurtuna ad Viadrum Univerſitate, nutricula olim noſtrâ dulciſſima, in oſſe ſiniſtro capitis ad futuram coronalem bipenni acuta punctim vulneratum, *vulnere* ad ipſos *cerebri vintriculos* penetrante, ſed adeò *anguſto*, ut ſanguis, cujus magna copia ad baſin cerebri defluxerat, nullo modo evacuari potuerit, die tertio ſupervenientius epilepſia forti & convulſionibus mortuum eſſe.

21. Interim tamen haud ibimus inficias, *alia cerebri vulnera*, ubi *propoſitæ circumſtantiæ* non occurrunt, & *æger* maſculus, ceteroquin ſanus, robuſtus, ætate vegetâ, ſub *climate cæli* temperato, & *aëris* craſi moderata, vixerit, omnino *curationem* ſuſcipere *ſalutarem*, prout obſervationes teſtantur apud Salmuth. Sect. III. Obſ. XXXVIII. Hildan. Cent. IV. Obſ. I. II. III. Valeriol. lib. IV. Obſ. X. & lib. V. Obſ. IX. Joh. Andr. à Cruce de Vulnerib. lib. I. Tract. II. cap. XIV. in Scholio ad M. N. Cur. Decur. III. Ann. I. Obſ. CLIII. n. IV. p. 277. quibus adjungatur, ſi lubet, propria noſtra M. N. C. Dec. II. Anni V. n. CCVI. recenſita.

22. Porrò

22. Porrò *apoſtema* ſeu *abſceſſum* rarò *intra cerebrum*, in *menyngibus* verò ſæpe, & per easdem ferme occaſiones, ob quas ſanguinis extravaſatio accidit, excitari ſolere Williſius de Anim. brutor. Part. II. pathologic. cap. VIII. ſtatuit; idipſum tamen poſt inflammationem, vulnerationem, aliamque læſionem graviorem, vel vel cauſas morbificas balſamicam ſanguinis indolem deſtruentes, & in acrimoniam ſalinam acidam acidoque-ſalſam ichoroſam pervertentes fieri poſſe, rurſus obſervationes confirmant. In quodam namque ſclopeto à male feriato homine icto intra ventriculos *materia viridis glutinoſa* multa, formati *abſceſſus* ſoboles, obviam illico venit Excellentiſſ. Hardero in Apiarii Obſerv. XXXI. A vulnere per os temporum ad cerebrum penetrante ibi *apoſtema* excitatum pure copioſo abundans vicinis partibus ad nigrorem vergentibus viſum Th. Bartholino Centur. II. Hiſtor. XXXIV. In puero octo annorum, inſtrumento ligneopaulo ſupra frontem percuſſo, in anteriori cerebri parte *abſceſſus* repertus à Foreſto lib. X. Obſ. XL. Confer. Horſtii Tom. II. lib. II. Obſ. IV. Th. Bartholini Cent. II. Hiſt. XXXIV. Miſcell. Natur. Curioſ. Decur II. Anni VI. Obſ. LXXIV. In *lethargico puero cerebrum* cum cerebello in dextra parte omninò *ſanioſum*, *putridum* ac *corruptum* annotatum à Foreſto obſervat. lib. IX. cap. XI. In coriario quopiam, annis amplius decem poſt curationem per hydrargyrum, non modo os ſyncipitis paulatim computruiſſe, exeſumque fuiſſe, ſed & utraque menynge putredine abſumta *ſubjectam cerebri ſubſtantiam* in *pus* converſam obſervatum à Fernelio lib. de lue venerea cap. VII. In Academico quopiam poſt diuturnam hemicraniam apoplexiâ mortuo, capite aperto non ſolùm phlegmone juxta locum dolentem in menyngibus orta, & illa ſuppurata à ſanie in *cerebrum* decidua *ſub-*

ſtantia

ſtantia hujus livore ac putredine affecta ab ipſo Williſio de Anim. brutor. part. II. cap. II. notata. *Vomicam cerebri intra* ipſam quoque *cerebri* ſubſtantiam naſci oculis ſuis uſurpavit Arnoldus Bootius in obſervationibus medicis de affectibus omiſſis cap. III., cùm in cap. II. præcedente *vomicam hypocraniam* is ipſe erudite propoſuiſſet.

23. Jam vero ſicuti in aliis *partibus mollibus inflammationes* & *abſceſſus putridi* aliæque *continui ſolutiones* perniciosæ tandem in *ſphacelum* et *necroſim* terminantur, ita exitialem talem cataſtrophen cerebrum quoque perpeti Hippocrates Sect. VII. Aphor. L. olim agnovit, & aliorum obſervationes confirmaverunt, vid. Salmuth. Cent. III. Obs. XXII. Bonetus Anat. practic. lib. I. Sect. I. Observ. LXXIX. Laxar. River. Praxeos Medic. lib. I. cap. XII.

24. *De contuſionibus cerebri* quia jamdum in §. VIII. & XIX. verba fecimus, ſupervacaneum foret hîc denuo aliqua apponere: quin potius id addidiſſe ſufficiat, præterquam quod *vaſcula ſanguifera tubuliq; hæmagogi* ac fortean *lymphatici* à cauſis violentis *rupturæ* periculo obnoxia ſint, nec ab *eadem* immunem eſſe cerebri *ſubſtantiam*, ſiquidem in apoplexia fortiſſima defuncta muliere in dextro ventriculo *rimam* conſpexit loco inter thalamum nervi optici & corpus ſtriatum medio, per quam ſanguis in cerebri cavitate effuſus eſt, in ipſo verò *cerebri meditullio* ejusdem lateris amplum *hiatum*, vi ſanguinis impetuosè erumpentis *factum*, & in hoc ſanguinem ovi gallinacei magnitudine concretum, adhæc *ſubſtantiam cerebri* circum circa latera usque ad bifurcationem nervorum opticorum *fiſſam* ac *diruptam* offendit ſolertiſſimus Brunnerus teſte Hardero in Apiario Obſ. XXX. p. 137.

25. *Cerebellum* cum *ejusdem* ferme cum *cerebro ſubſtantiæ* ſit, atque per *vaſa* & *proceſſus* nec non *prominentias* cum illo communicationem habeat, *conſimilibus morbis* à *cauſis* ſimili-

ſimilibus obnoxium quoque eſſe poterit, etſi apud Doctores nec adeò diſtincte exponantur nec recenſeantur. Interea tamen *cerebellum totum induratum* in hydrocephalo, in Miſc. Natur. Cur. Decur. III. Ann. IV. Obſ. LIX., *idem* circa ſui terminationem *ſcirrhos tres* globulorum inſtar tangendos, & *unum* myriſticæ magnitudine medullæ ſpinalis exortui appoſitum, quibus exemtis & diſſectis materia ſubflava, cùm premeretur, exſudavit in Clar. Harderi Apiario Obſ. LVIII., variis *capſulis glanduloſis* in puero hydrocephalico præditum, *extra cranium* poſt terrorem gravidæ à fele impoſito in puello nato *ſitum* in Miſc. Nat. C. Decur. II. An. II. Obſ. CXV., propter ſanguinem inter cranium ac duram matrem copioſum in *occipite* collectum *cerebellum* verſus ſpinalem medullam *procumbens* in citato Apiario Obſ. XXXI., legimus.

26. *Vulnera cerebelli lethalibus* ſapientiſſimè adjudicavit Excell. Bohnius in Examin. vulner. lethalium cap. 1., quoniam illud motibus involuntariis intrinſecis, nempe cordis, diaphragmatis, ventriculi atque inteſtinorum, magis quàm cerebrum videtur litare, quatenus par nervorum quintum, ſextum, octavum, iisdem organis vitalibus dicatorum, majorem ab illo quam ab hoc ſpirituum animalium copiam recipiunt; provocat inſuper ad experientiam, qua edoctus affirmat, vix unum forſan obſervatum, qui ex lacerato cerebello evaſerit, cùm plura paſſim obvia ſint exempla illorum, quibus ingentia quoque *cerebri* vulnera coaluerint; ſubjicit denique experimentum à Perrault mechanique des animaux part. II. c. VII. & à Vieuſſens nevrograph. lib. I. c. XX. inſtitutum, quo compertum eſt, animalis capite per ſuperiora aperto, hincque diſſecto & exemto cerebello hoc illico mori, integro quamvis cerebro & medulla oblongata, contra inſigniter ſatis in ſimili ſubjecto lacerato & evulſo cerebro, ut intactum manſerit

cerebellum, ad aliquot horas satis commode adhuc respiraſſe animal, ejusque cor palpitaſſe; atque tale in catellis junioribus à se æmula imitatione factum experimentum dictorum Autorum asserto respondisse concludit.

27. Prolixa nimis & à proposito nostro aliena opera nunc operosè impendenda foret, si *partium cerebri singularum specialem disquisitionem pathologicam* ulterius in proscenium deducere vellemus. Sufficiat ὡς ἐν παρόδῳ aliquorum tantum meminiſſe pathematum. Et in subjectis quidem cultro Anatomico cadaveribus, sub *hydrope cerebri ventriculi* sero repleti, & aliquando *quartus* eodem distentus, ut immissus stilus ad spinam dorsi usque dilaberetur, ex Miscell. Nat. Cur. Decur. III. Ann. I. Obs. CLIII., *plexus choroidei glandulæ tumidiores* milii grano *nonnihil majores* ex M. N. C. Decur. III. Ann. IV. Obs. LIX., *eædem lucidæ cænosæ ac duriusculæ* ex Boneti Sepulchret. lib. I. Sect. XV. Observ. III; *glandula pituitaria* ab accumulato *sero tumida*, ad latera ejus ascendentes carotides compressura, cerebro ac cerebello sanguinis influxu privatis, veluti apoplexiæ causa, ex Wepfer. Exercit. de locis affectis in apoplex. p. 222.; *glandula pinealis* plurimis arenulis asperis, quarum aliquæ propter magnitudinem *calculi* nomen merebantur, occupata ex Gräffio M. N. C. Decur. I. Ann. I. Observ. CXXVII., *eadem* exiguo *corpore duro* subflavo & nonnihil *aspero* onusta ex Vieussens Nevrograph. universal. cap. XI., post cephalalgiam scorbuticam & convulsiones epilepticas mortuo XIV. annorum puero, in cerebri substantia medullari sub glandula pineali juxta occiput *glandula sebacea*, *aliaque* in fine cerebelli loco calami scriptorii juglandis magnitudine, ut & à parte anteriori intra plicas cerebri insignes *duæ glandulæ* ex M. N. C. Decur. II. Ann. X. Obs. CXI., *glandula* dicta *pinealis nigricans & infecta* ex Bartholin. Anat. lib. III. cap. VI., *putida & pene consumta*, ex Nuckii Epistol. Anatomica

mica de inventis novis pag. 150., in puero ſtulto quaſi ſemper ſomnolento & capite obtuſo *prorſus deficiens* ex Kerckring. Spicileg. Anatom. Obſ. XXXV., & M. N. C. Decur. I. Ann. IV. & V. Obſ. CXCVI., *pituitaria* rurſus *glandula* ſub hydrocephalo nulla reperta, atque ſub hoc *infundibulum* oppilatum ex Celeberr. Brunneri diſput. de glandul. pituitaria; deniqúe ſub diſſectione cerebri in puero octenni maniaco affectu mortuo Sylviano more adornata, *infinita puncta* ſanguinis, maxime in corpore calloſo micantia, præſertim compreſſione facta, ex Obſervat. propriâ Boneti Sepulchreti lib. I. Sect. VIII. Obſ. II., nobis innotuerunt.

28. Poſt *morbos* declaranda reſtant *cerebri ſymptomata*, quò affectus quoscunque uſus olim notavit referendos eſſe, vere ſcripſit acutiſſimus Fernelius lib. V. de partium morbis & ſymptomatis cap. I.; ad cujus etiam imitationem inter *eadem* ſtatim recenſebimus *capitis dolorem*, non ſolùm membranis capitis pericranio & menyngibus, uti ille quidem cenſuerat, ſed & ſinibus atque canaliculis vaſorum ſanguiferorum lymphaticorum & nervoſorum membranaceis infenſum, tanquam *ſymptoma actionis tactus læſæ, auctæ* nimirum & *depravatæ*, ſive *ſenſationem* moleſtam & triſtem *partium capitis ſenſilium externarum & internarum*, à cauſis variis diſtendendo, vellicando, lancinando, aggravando, lacerando & mordendo ſolutionem continuè iisdem intentantibus inductam, quò pertinent ſingulatim, ſangvis quantitate diſtenſivâ, orgasmo tumultuario, ſubſiſtentia, extravaſatione, flatulentiâ, dyscraſia ſalina acri volatili vel acida, ſalſa, ſalſo-muriatica, ſcorbutica, bilioſa, melancholica, venerea, malignaque, peccans, ſerum lymphaticum iisdem qualitatibus vitioſum, & afficiendi modis nocivum, bilis exuperans acrimonia volatili ſalina corrupta, chylus viſcidus hujusque ſoboles pituita, ab-

ſceſſus & pus inde genitum, calculi & vermes ibi hoſpitantes, demumque cauſæ externæ violentæ, uti ictus, lapſus, contuſio, vulneratio, exulceratio; nec *procatarctica* ſangvinis molem craſin & motum adulterantes excludendæ erunt: ſive dein ejusmodi dolor *idiopathicus* aut *ſympathicus*, inveteratus ac habitualis *cephalæa*, recens occaſionalis & accidentalis *cephalalgia, univerſi capitis*, aut *alterutrius* ſaltem *lateris hemicrania*, juxta *ſuturæ ſagittalis longitudinem* vel *intra tempora decurrens ovum*, vel *uno* in *loco* eoque *parvo* firmiter *defixus clavus*, denominandus fuerit.

29. Inter *actiones læſas cerebri* porro nunc ſeſe recenſeri expoſcunt *ſpirituum animalium generatio*, *quantitas*, *qualitas*, *motus ac diſtributio*, *à ſtatu naturali* recedentes. Et *generatio* quidem ac *quantitas ſpirituum animalium* malè ſeſe habet, dum vel *iidem* ob denegatas particulas chyli, lymphæ, ſanguinis ac aëris ſpirituoſas ſubtiliſſimas æthereo-elaſticas, aut pravam *cerebri* diatheſin, in *requiſita copia non generentur*, aut per functiones animi & corporis intenſiores, aut morboſos inſultus ac dolorificas paſſiones *abſumuntur*, aut per *evacuationes enormes deperduntur*. *Qualitas morbida* dyscraſiam fluidorum catholicorum *præternaturalem* à diverſis cauſis ſubnatam, turbatam in cerebro ac cerebello *eorundem ſecretionem*, aut *impeditum commeatum reciprocum*, aut ab admixtis recrementis *depravationem* inſequitur. *Motus* denique *ſpirituum animalium* vel *in ipſo cerebro pervertitur*, tumultuarie *exagitatur*, aut *ſufflaminatur*; vel in *nervorum* demum *canaliculis* ſupprimitur, intercipitur, corrumpitur, uti in ſequentibus diſtinctius explicabitur.

30. Atque hinc quadantenus dein ulterius ſuboriuntur *ſenſuum tàm internorum*, *quam externorum*, atque *motus animalis læſiones* diverſæ: *Illorum* quippe *omnium* & *ſingulorum actiones auctæ* deprehenduntur in *agrypniâ* ſive *pervigilio* & *vigiliâ præternaturali*, cum corporis extenuatione, lan-

languore, delirii metu, aliisque ſymptomatibus ſtipata, à ſpirituum animalium, cerebri, cerebelli & nervoſi generis, agitatione immodica continua & expanſione irradiativa nimium intenta exorta, qualem quidem impulſus ſanguinis quantitate exuperantis, aut in orgasmum acti rapidiorem vehementior, dyscraſia fluidorum catholicorum modo ſulphureo-ſalina, modo acrior ſalina volatilis bilioſa, modo ſalino-acido melancholica, meatus *cerebri* nimis patuli, vel à ſpirituoſis ſalinis volatilibus acrioribus aſſumtis plus æquo expanſi, aut ab aquoſo fluido-æthereis diluti, vel aliarum partium morbi & cauſæ undecunque accedentes dolorem inferentes, & inquietudinem parientes, vel reſpirationi ſufflaminationem intentantes, vel fluidorum catholicorum motum quà inteſtinum quà progreſſivum plus juſto intendentes, aut intercipientes, vel fibrillas nervoſas exquiſite ſenſiles, ubicunque illæ fuerint, irritantes, itemque medicamenta nec non animi pathemata ad motus vegetiores & concitatiores ſpiritus animales impellentia, efficiunt.

31. Viceverſa *dictorum ſenſuum* atque *motus animalis actiones imminutæ* fiunt *ſub affectibus ſoporoſis*, cum imminutione ac depravatione majori vel minori principum functionum conjunctis, à ſpirituum animalium expanſione irradiativâ in cerebro ac cerebello plus minus deficiente aut impedita profectis, ad quorum cenſum referuntur: *Somnolentia* ſive continua in ſomnum propenſio, & inter loquendum obtingens capitis nutatio: *Coma vigil*, ubi ſub inclinatione ad ſomnum, ægri tamen vigilantibus ſimiles varia ſibi fingunt phantasmata, clauſisque oculis abſurda & incompoſita fabulantur: *Coma ſomnolentum* ſive *Cataphora*, ubi cum ſomno profundo ægri hiante ore & demiſsâ maxillâ jacent, à vellicatione tamen & punctione excitati adſtantes reſpiciunt, alloquuntur, interrogatis reſpondent,

ſine febre ac memoriæ vel leviori vel nulla læſione; *Lethargus*, in quo ægri profundo dormiunt, cum delirio & oblivione ac febre lenta ſimul præſente: *Carus*, ubi absque tamen febre ſomnus lethargo gravior ac profundior ſopor adeſt, ita ut ægri nullo ferme modo excitari queant, aut ſi vellicatione quadam excitentur, oculos vix aperiunt & reſpondent; demum *Catalepſis* ſive *Catoche*, ubi ægri inſtar ſtipitis denegato proprio membrorum motu, in eo ſtatu ac ſituatione permanent, in qua ab affectu hoc prehenſi ſunt, leg. River. Prax. lib. I. cap. IV.

32. Inſequuntur autem dicti affectus, quando, ceu jamdum innuimus, *ſpirituum animalium expanſio irradiativa in cerebro* aut deficit, aut quodammodo *ceſſat: prius* fit, dum particulæ pauciores ſpirituoſæ ſalino-ſulphureæ æthereo-elaſticæ ex chylo ſero lymphatico & ſanguine ipſis ſubminiſtrantur, plures contra excrementitiæ pituitoſo-viſcoſæ, chyloſæ crudæ, ſeroſæ, vaporoſæ, lymphaticæ vapeſcentes, tartareo-ſalinæ, ſcorbuticæ, acidæ, vel acido-auſteræ coagulativæ vel vitriolaceo-ſtipticæ vel ſulphureo-narcoticæ aſſociantur; *poſterius* evenit, dum *meatus cerebri & cerebelli* ſpirituum animalium liberiori expanſioni & commeatui alias patentes, vel à vaſis ſanguiferis adjacentibus & transeuntibus plus æquo turgidis, vel à tumoribus ibidem enatis *comprimuntur*, vel à vehementiori capitis commotione & concuſſione fornicisque aliquali ſubſidentia *turbantur* & *occluduntur*, vel à ſanguine propter illatam quamcunque violentiam extravaſato, aut pure effuſo, aut colluvie ſeroſa inundante *opplentur*.

33. *Repentina* & *graviſſima actionum animalium* ſcil. motus & ſenſus *interceptio* cum principum functionum *læſione* conjuncta, ſola reſtante, aliquandiu licet afflicta, *reſpiratione*, notatur in *apoplexiâ*, propter *impeditum* & *ſufflaminatum ſpirituum animalium* in cerebri corpus calloſum medullarem

rem ſubſtantiam reliquam, indeque ulterius exporrectam medullam oblongatam, dispenſationem et influxum irradiativum obveniente, & à cauſis jamdum recenſitis, ſed vehementioribus & majori impetu vel copiâ appulſis, tùm & per univerſam cerebri peripheriam hujusque appendices latius diffuſis, ſed & ulterius ab illis, quas in ſpeciminis proxime præcedentis §. VI. recenſuimus, omnibus ſcilicet & ſingulis, non ſolùm ſpirituum animalium expanſionem irradiativam ſed & ſanguinis aſcenſum ac peridromum inibi coercentibus ac coarctantibus, ingenerari ſolitâ.

34. Poſt *quam* adeo *remanet*, quin & *ſeorſim* aliquando *evenit paralyſis* ſive *privatio motus* & *ſenſus*, & quidem aut *utriusq;* ſimul, aut *alterutrius* ſaltem, nunc in *toto corpore*, nunc in *unius ſaltem lateris membris*, à *ſpirituum animalium* in nervos & muſculos motus voluntarii organa *intromiſſione, ſuſceptione* & *activitate*, aut propter meatus in nervoſo-genere ab apoplexiâ prægreſſa, vel ſanguine copioſiori extravaſato grumoſo, vel pituitoſo-viſcoſo, lymphâ glutinoſa craſſâ, recrementis tartareo-ſalinis ſcorbuticis *obſtructos*, vel à tumore graviq; incumbente corpore, aut glandulis adſitis ſcirrhoſis, factaque luxatione vertebræ cujusdam cervicis dorſi aut lumborum *compreſſos*, vel ab acido interno vel frigore externo *adſtrictos*, vel denique à vulnere, lapſu, contuſione ſimilique cauſa violenta *ſolunem continui perpeſſos, plus minus abolitâ & imminutâ*; aut *eadem* propter impuritatum & cruditatum loco pabuli ac ſuccendiculi idonei ex primis viis ac ſangvine chylo ſero lymphatico admixtionem, aut ſulphureo-narcoticorum, mercurialium, ſaturninorum, & arſenicalium effluviorum aſſociationem, *deficiente*.

35. Nempe enim ſi *corporibus binis ſtriatis & medullæ oblongatæ* huicque continuæ *ſpinali* ſpirituum animalium influxus

fluxus & energia denegentur, fit *paraplegia*, in quâ omnes sub capite partes exsolvuntur; quod si verò in *alterutrum corpus striatum* aut *latus medullæ oblongatæ* & *spinalis* id obtingat, oritur *hemiplegia*; quod si deniqúe *spinali tantùm medullæ sub cerebro & cerebello* spirituum animalium copiæ necessariæ & vires *derogentur*, vel in *nervis* tantum *quibusdam* propter obstructionem, compressionem vel solutam unitatem *eædem subtrahantur*, *paralysis particularis* in pluribus vel paucioribus partibus notatur; demum quæ post *colicam spasmodicam*, materia morbifica ex plexibus mesentericis in artuum nervos translata, atque inibi spirituum animalium vires supprimente, succedit paralysis, *paresis* communiter appellatur.

36. *Ratiocinatio* & *imaginatio* sub variis *deliriorum speciebus* evidenter depravantur: viz. 1.) in *Phrenitide* delirio cum furore, audacia, & febre acuta stipato, à sanguinis particulis exuperantibus sulphureis cum salinis volatilibus acribus expansis, & sub motu effero ac extravasatione facta, vel intra poros menyngum & cerebri tubulos stagnatione, tum membranarum involventium tum proximæ subtus reconditæ cerebri substantiæ inflammationem erysipelaceam efficiente, ac spirituum animalium æquabilem crasin & oscillationem vel undulationem pervertente genita, (cui affinis à diaphragmate aliarumque partium subjacentium inflammatione inducta, & cerebro, intercedente fluidorum & nervorum commercio, communicata afflictio, *paraphrenitis* nuncupatur;) 2.) In *Maniâ*, illa mentis emotione diuturna, febre quidem destituta, sed cum audacia & furore conjuncta, à particulis spirituum animalium sulphureis ac nitrosis sub agitatione vehementiori igneum quasi fervorem concipientibus enatâ: (3) In *Melancholia* rationis & imaginationis circa unum vel plura phantasmata oberratione, sine febre & furore, cum timore

& triſti-

& triſtitiâ obtingente, à varicoſa vaſculorum menyngum ac cerebri oppilatione per ſanguinis & ſpirituum dyscraſiam acido-auſteram eveniente; 4.) In *Hydrophobiâ* phantaſtica illa aquæ & fluidorum potulentorum averſatione, poſt ſalivam aut effluvia canis & aliorum animalium rabioſorum ſub morſu aut alio modo communicata ac admiſſa, à fermento volatili ſulphureo maligno tunc ſimul ſuſcepto, fibrarumque oris œſophagi & pulmonum tenſione ſpaſtica tunc ſimul inducta, enatâ; 5.) In *philtromania, furore uterino, tarantiſmo, choreâ ſancti Viti*, illis mentis alienationibus, quas vel philtrorum, vel materiæ ovulorum ſeminalis ſpumeſcentes & titillantes, vel tarantulæ morſu inflictæ, vel aliunde in corpore genitæ particulæ ſalinæ volatiles acres & ſulphureæ per *ſpirituum animalium* tàm vitiatam craſin quàm turbatum motum pepererunt.

37. Huc quoque referri poterit *Noctambulatio* ſive *Noctisurgium*, ὑπνοβατεία, à ſanguinis chyli ac ſeri lymphatici particulis halituoſis acrioribus cholericis ac melancholicis, orgasmo inordinato circumactis, impreſſionem in phantaſia fortem efficientibus, ac ſpiritus animales ad nervos partesque motrices per ῥοπὴν quampiam extrorſum vergentem ſtimulantibus concitata, hincque à Sennerto Inſtitut. Medic. lib. II. Part. II. cap. XII. ſymptomatibus mixtis, in quibus ſcil. plures actiones animales & interdum ratio ſimul læduntur, accenſita. Quin & hic commemorari debent *Incubus* & *Vertigo*: quorum *ille* habetur imminutio inſignis & quaſi quædam abolitio ad tempus motus animalis, in partibus voci & reſpirationi inſervientibus præcipue notabilis, cum prava ſpectri pectori incumbentis imaginatione, propter ſpirituum animalium impeditum in nervos octavæ conjugationis, recurrentes, & intercoſtales influxum eveniens; *hæc* autem eſt actionis imagina-

tivæ circa visum præcipue occupatæ depravatio, corporis objectorumque circumrotationem ac circumgyrationem repræsentans, nunc cum, nunc sine, oculorum caligine motusque voluntarii imbecillitate, plus minus conjuncta, à spirituum animalium inordinato tremulo vorticoso, confuso, ac denique interrupto motu inducta: *qualem* quidem proprii corporis petulanter instituta circumgyratio, aut objectorum in gyrum celeriter versorum aspectus continuatus, aut intuitus corporis supino decubitu expansi in sublime, aut vice versa prospectus ex alto in profundum, aut halituosi vapores, odoriferæ fermentativæ sulphureæ aut salinæ acres moleculæ associatæ, inducere solent; sed & *eandem* causantur, quæcunque spiritus animales cerebri incolas à motu rectilineari expansivo in gyrum reflecti faciunt, uti sunt *textura cerebri* ex contusione, ictu, lapsu, allisione, vulnerationeque graviori quâcunque capitis in *ordine* ac *situ meatuum turbata*, horum *meatuum* à sanguine extravasato, pure effuso, serosa exundante colluvie, recrementis viscoso-pituitosis tartareo-salinis, tumoribus incumbentibus, *facta oppletio* ac *compressio*, tum *spirituum animalium* subsecuta motus anomalia, & à dolore, timore, terrore, & perculsione, *in fugam reciproca conversio*, vel à *fibrillis* membranaceo-nerveis, & accumbentibus tendinosis, ac carnosis, *spasmodice* ob varia irritamenta dolorifica vel repercussorias impressiones *contractis*, *facta repulsio*.

38. *Singularis tertii internorum sensuum memoriæ læsio* notatur, plus minus abolita, vel imminuta, in *oblivione*, à *causis*, *quæ* vel *specierum sensibilium* cerebri substantiæ medullari committendarum firmam *impressionem impediunt*, vel *factam* eandem *evertunt*, relicta: Ad *priorem*

classem

classem referenda erunt cerebri intemperata humiditas aut siccitas, spirituum animalium impuritas, aut deficiens energia, neglecta in tenera ætate memoriæ exercitatio; *ad posteriorem classem* reducenda erunt meatuum cerebri, fibrarumque ac tubulorum medullarium ab ictu, lapsu, causisque violentis facta turbatio, aut ab humoribus, vaporibusque crudis, crassisque & narcoticis oppletio, *idearum* jamdum impressarum ob pluralitatem *confusio*, *spirituum animalium* in *motu* ἀταξία, *orgasmus tumultuarius*, & *corrupta crasis*.

39. *Motus animalis manifesta* & *gravissima læsio* notatur sub *epilepsia*, *motu* scilicet *spasmodico* vel *convulsivo*, *interpolato*, *clonico*, tum *internarum* quarundam thoracis & abdominis *partium* tum *externorum membrorum*, cum detentione utplurimum sensuum ac principum functionum, propter fibrarum nervearum irritationem, hincque simul excitatum spirituum animalium impetuosum ac explosivum in musculares fibras impulsum, eveniens; *qualem* vel *sympathice* in primis viis liquamen viscosum, lac caseosum, pituita intestinalis glutinosa, acore aut austeritate pontica contaminata, purgantia vel venena assumta salina acria, lumbrici intestinales, dentium laborioſa eruptio, lapsus, casus ab alto, contusiones, vulnera, ulcera, & similes nervoso generi intentatæ continui solutiones, tum & effluvia adversa sub auræ vel vaporis specie à ventriculo, intestinis, mesenterio, liene, partibusq; spermaticis, qua masculinis, qua femininis ad cerebrum fibrillasq; nerveas transmissa, inferunt, vel *idiopathice efficit* præternaturalis acidus, aut austerus, aut acris volatilis, & quasi arsenicalis, aut à dispositione hæreditariâ, aut diætæ malo regimine in cortice cerebri fortean & cerebelli glanduloso à sanguine & sero lympha-

tico ſeparari, indeque ad meditullium, huicque continuatas fibrillas nerveas amandari ſolitus *humor*, tum & à matre & nutrice in prima ætate cerebro ac cerebello per iram aut terrorem *ipſis ſpiritibus animalibus impreſſus* ejusmodi *ſpasmodificus motus.*

40. *A propoſitis cauſis fibrillarum nervearum irritationem*, & *conſequenter ſpirituum animalium impulſum exploſivum in fibras motrices harumq; corrugationem, ſed tonicam inducentibus*, oritur *convulſio* vel *ſpaſmus*, involuntaria ſcilicet muſculorum, vel totius corporis *omnium*, vel *plurium*, in anteriori aut poſteriori ejusdem regione, vel *unius* ſaltem, *alteriusve*, *involuntaria* verſus ſuum principium *contractio permanens*, cum rigiditate dolorifica, & reſpective figuræ depravatione conjuncta, adeoque vel *univerſalis* vel *particularis* dicenda. *Prior* rurſus triplex recenſetur: 1.) *Tetanos* quando muſculi & nervi tam anteriores quam poſteriores æqualiter verſus ſuum principium contrahuntur, ſicque partes in æquilibrio quaſi detentæ rigidæ & erectæ permanent. 2.) *Emproſthotonos*, quando corpus cum cervice & capite violenter ad anteriora contrahitur, ita ut mentum pectori admoveatur, ob muſculos caput flectentes & ad anteriora deprimentes ſpasmo affectos. 3.) *Opiſthotonos*, quando corpus verſus poſteriora convellitur, ob muſculos, caput & cervicem extendentes, potiſſimum ſpaſmo irritatos. *Poſterior* ſingularia ſua nacta eſt nomina, ſiquidem convulſio muſculorum oculi *ſtrabismus*, mandibularum, & muſculorum temporalium τρισμὸς, oris ex contractione lati muſculi ac labii ſuperioris, tum & genæ in alterutro tantum latere conſpicienda, *ſpasmus cynicus*, *convulſio canina*, *oris tortura*, in utroque vero notabilis *riſus ſardonius*, compellatur.

41. Re-

41. Recenſitis modo *affectibus* affinitate aliqua accedunt *jectigatio*, motus tremulus inordinatus ſpasmodicus partium membranoſarum & muſculoſarum externarum, inductus à ſpiritu vel vapore acido-viſcoſo intra fibras concluſo, easdemque fluctuatione ſua hinc inde attollente; deinde *horripilatio*, *horror*, *frigoriſq;* in habitu corporis externo *ſenſatio*, à ſpasmodica fibrarum motricium per membranam adipoſo-carnoſam & extimam muſculorum communem diſtributarum *contractione*, & *intercepto* in vaſis capillaribus *ſanguinis peridromo* ac vitiatâ *craſi* progenita.

42. Moleſtus quoque hominibus nonnunquam eſt *tremor membrorum*, ab *inſufficiente* vel *deficiente* vel *interrupto* vel *turbato in nervis ſpirituum animalium influxu* ſubſequens; tùm & *eorundem ſtupor* & ἀναισθησία, ab *intercepta* vel *præcluſa ſpirituum animalium expanſione irradiativa energetica*, fibrillas nerveas & membranaceas ſenſiles animante, ingenerata.

43. Atque *hæc de actionibus læſis cerebri ac cerebelli præcipuis* diſſeruiſſe ſufficiat, in tantum, in quantum præſentis doctrinæ ratio exigebat. In *ſecunda ſymptomatum claſſe* nunc obveniunt *vitia retentorum*, quando ſanguis extravaſatus, ſerum, lympha, vermes, calculi, polypoſæ concretiones, oſſium fragmenta, globuli ſclopeti &c. intra cerebrum ac cerebellum *retinentur*; ſic præter alia jamdum allata exempla Glaſerus in textore defuncto ex quartana & convulſionibus, circa baſin cerebri ad ſpinalis medullæ principium *ſerum, acre & cauſticum*, ad ℥v. notavit, referente Hardero in apiario Obſ. LX. p. 244. & B. Wurffbainius Ephemeridum noſtrarum quondam Director optime meritus *ſubſtantiam caſeoſam* & *intra ventriculos membranaceam* adinvenit Miſc. Nat. Cur.

Decur. II. Ann. IX. Obſ. CCXXVII.; nunc occurrunt *vitia excretorum*, quando cerebrum inſtar pultis diffluit, & per nares excernitur, (ſicuti in fidem obſervationes jamdum adduximus, quibus adjungimus in præſentiarum aliam Celeberrimi Schelhammeri Miſc. Nat. Cur. Decur. III. Ann. III. Obſ. CLXVIII. cerebri poſt graviſſimam cerebri læſionem ex naribus effuſi,) vel ſanguis ſub violenta continui in cranio menyngibus vaſis ac cerebro nec non cerebello ſolutione per aures, oculos, naſum, erumpit, vel pus poſt abſceſſum ruptum aut inflammationem genitum per illas vias exitum molitur, pro confirmatione unicum protuliſſe juvabit exemplum molitoris è ſcala delapſi, cui mox ſanguis per aures eruperat notante Hardero Apiarii Obſ. XXX.

44. In *tertia* tandem *ſymptomatum Claſſe qualitates naturali habitudini cerebri & cerebelli inimicæ* deprehenduntur, ita *cerebrum calloſum* Borello Cent. IV. Obſ. XCIX., *ſicciſſimum* Henrico ab Heer Obſ. III. in fine, *idem cum toto cranio nigerrimum* Chriſt. Franciſ. Paullino in Obſervat. medico-phyſic. num. XXX. in appendice ad Miſc. Natur. Curioſ. Decur. II. Ann. VI. p. 37., in muliere fortiſſima apoplexia interemta *crus medulloſum dextrum* minus floridum ac firmum quam ſiniſtrum, ſed *flaccidum obſcuri coloris* & emarcidum, ac ſi atrophia laboraſſet, Illuſtri Brunnero teſte Hardero in Apiar. Obſ. XXX. p. 737., ſeſe in conſpectum dediſſe, legimus.

45. *Medulla oblongata* & *ſpinalis* ei continua atque ab utraque exporrecti ulterius *nervi*, prolongatum veluti cerebrum, iisdem ferme morbis ac ſymptomatibus ab iisdem cauſis progenitis ſimul ſuccumbunt. *Intemperiem* ſiquidem diverſam ſub initium præſentis ſpecimis enumeratam morbida ſequuntur æmulatione: quin

&

& *similes* prorsus *meatuum morbos* patiuntur, dum vel à *recrementis* pituitoso-viscoso-glutinosis, tartareo-salinis, acidis, austeris, scorbuticis &c. *angustantur, obstruuntur, oppilantur*, à *tumoribus* incumbentibus, vel *membris luxatis, vasis sanguiferis* adjacentibus plus æquo tumidis, *comprimuntur, à ligaturis strictioribus coarctantur*, à *seri roridi* deficiente humectatione *exarescunt*, à *narcoticis* & *opiatis flaccescunt*; vel contra ab *exuperante spirituum* & *sanguinis quantitate, orgasmo* refractario, supra modum distento *elaterio, ampliantur*, vel sub concussione, contusione, ictu, lapsu & externo violentorum objectorum occursu *turbantur*.

46. *Morbi nervorum in situ* tunc præcipue notantur, quando sub violenta *tensione* aut *luxatione* aut *fractura membrorum divelluntur*, aut sub *contractura spasmis* & *motibus spasmodicis contorquentur*, aut à causis violentis *abrumpuntur*, aut ad *partes illas*, quarum functionibus perficiendis destinati erant, non rite *distribuuntur*: Sic Realdus Columbus Lib. XV. Anatom. in Lazaro Vitrivorace, nullo prorsus gustu, dum viveret, prædito, nullius in edendo voluptatis aut abominationis gnaro, post mortem cultro anatomico subjecto, quartam nervorum conjugationem (Willisio quintam) neque ad palatum neque linguam reptasse, sed ad occipitium reflexam fuisse annotavit, conf. Sennert. lib. III. Practic. part. I. Sect. I. c. III., & Eustachius Rudius, teste Schneidero de osse cribriformi, meminit juvenis à nativitate olfactu orbati, eo quod interior narium tunica primi nervorum paris nervis, qui ipsi naturaliter debentur, destituta fuerit.

47. *So-*

47. *Solutæ unitatis morbi in nervis ſenſibus* patent, ſub *vulneribus*, *ulceribus*, *puncturis*, *contuſionibus*, *divulſionibus*, *rupturis*, *dislocationibus* violentis, *gangræna* demum & *ſphacelo*, *illis* enim unà cum *partibus*, per quas excurrunt, afflictis, ut ſimul ſuccumbant nervi, inevitabilis unionis mutuiqúe contactus conſenſus in culpâ eſt.

48. *Symptomata* denique in *cerebro* & *cerebello* jamdum notata, *nervis* infenſa quoqúe eſſe poſſe, propter medullaris ſubſtantiæ continuationem ſana ratio quemlibet hac uſurum edocebit.

SPECIMEN XVIII.

§. 1.

LUciferis *oculorum orbibus* tutelæ gratiâ velamentis ſuis non ſolum obtectis, ſed & in profundo maxillæ ſuperioris ſinu reconditis, nihilominus varia *morborum & ſymptomatum caterva* infauſtam eclipſin intentat, quorum recenſionem in præſente ſpecimine exhibenda *Ophthalmopathia*, prout operæ noſtræ methodus exigit, offeret.

2. Ut autem naturæ ordinem ſequamur, à *morbido exteriorum oculi partium ſtatu* ſcribendi primordia capiemus, ad *interiorum eundem* dein indagandum progreſſuri. Hîc verò mox ſub obtutum noſtrum venit *palpebrarum inflammatio* à cauſis diverſis, quæ vel *ſanguinis* ſulphureo-ſalini & bilioſi fervidioris *per arterias affluxum* impetuoſiorem illuc concitare, vel ejusdem *peridromum* & *refluxum* inde *per venas* intercipere ac remorari valent, enata.

3. Nec minus earundem alius tumor œdemati affinis notatur ἐμφύσημα & *emphyſema* dictus, à ſero lymphatico pituitoſo inter palpebrarum membranas muſculosque effuſo, vel propter ſuſceptum veſpæ aut apis leviorem ictum extravaſato, oriundus, molliuſculus, contactui cedens & quodammodo transparens.

4. Ψωροφθαλμία, *pſorophthalmia, lippitudo pruriginoſa*, affectus ſatis moleſtus eſt, ubi *palpebræ* ab ichore ſalſo tumidæ rubent, cum lacrymarum ſalino-acriorum ſtillicidio, atque canthorum rubente eroſione, materiam purulentam ſtillantibus ductibus lacrymalibus & vaſis hygrophlebaricis palpebras ſub ſomno clauſas conglutinantem.

5. Adhæc haud exiguam afflictionem patientibus parit ξηροφθαλμία *xerophthalmia* & *lippitudo arida*, à particulis salino-terrestribus acribus siccis, in sero uberiori non solutis, quin muco viscido involutis, ad glandulas palpebrarum & oculorum depositis, horumque ruborem & dolorificam sensationem inferentibus enata.

6. Congener huic malum existit *sclerophthalmia* σκληροφθαλμία *lippitudo dura*, à particulis tartareo-mucilaginoso-terreis inter palpebrarum atque oculorum vascula glandulasque excretorias tum & ipsius tunicæ corneæ lamellas impactis, ac in coagulum tenax palpebras conglutinare solitum concretis, inducta.

7. Obvenit porrò considerandа μαδάρωσις *madarosis*, item μίλφωσις, *defluvium capillorum tarsum palpebrarum* aliàs stipantium, ab acrimoniâ seri, sub variolis purulentâ, aut virulentâ venereâ aut leprosâ, bulbos illorum radicales erodente & absumente insequens: cum quâ recensenda etiam erit πτίλωσις *ptilosis*, callosa & rubicunda palpebrarum crassities juxta Æginetam lib. III. cap. XXII. & M. A. Severinum de efficaci medicina Part. II. cap. IV. *pilorum* defectum denegato succi nutricii influxu & bulborum radicalium nimiâ compressione inferens, hinc πτίλοι Galeno lib. XIV. methodi medendi cap. XVIII. dicuntur, quibus periere ex ciliis pili.

8. Peculiaris *palpebrarum* morbus insuper habetur σκλήρωσις sive σκληρία *scirrhositas* seu *scirrhosa* earundem *durities*; *scirrhophthalmiæ* individuus quandoque comes quandoque pedisequa, atque à relictis, post discussas inflammationem efficientes portiones sanguinis subtiliores sulphureo-salinas, recrementis mucaginoso-viscidis inducta.

9. Iisdem infensum quoque existit τράχωμα *trachoma*, asperitas interioris palpebræ tunicæ cum tuberculis instar grano-

granorum milii inæqualiter prominulis, quæ si rimis aut fissuris fatiscant instar acinorum ficus, tunc malum hocce σύκωσις *sycosis ficatio* vocatur, ac deniqúe si remaneat inveterata durities τύλωσις *tylosis* & *callosa palpebra* denominatur, natalesqúe suos accipit à succi nutricii extravasati lentore pituitoso acido coagulativo terreoqúe limo coinquinato.

10. Λαγόφθαλμος *palpebra leporina*, in scholis Medicorum etiam consignata, appellatur conniventia major aut minor superioris palpebræ somni tempore notabilis, ita ut album oculi aliis idem intuentibus plus minus in conspectum veniat, aut ad minimum superior inferiorem palpebram haud immediate contingat, propter musculi elevatoris superioris palpebræ aut strictúram spasticam, aut ex pravâ consuetúdine nimiam perpetuamve versus superiora elevationem, aut propter vulnus & incisionem transversam, vel ulcus prægressum, itemqúe admotum cauterium & relictam postea cicatricem, aut ab ipsâ natura injunctam abbreviationem, aut glandulæ sarcomatisqúe circa commissúram excrescentis morbidam interpositionem factam, eveniens. *Corybantiasmum* eundem fere ac *lagophthalmum* affectum esse censet Plempius Ophthalmograph. lib. V. cap. I., nominis ibidem addita ratione.

11. *Inferior palpebra* quando vitiose evertitur sive extrorsum replicatur, ita ut eversa pars, aliàs interna, cum deformitate instar rubræ carnis conspiciatur, nec oculi albo obduci nec superiori jungi possit, ἐκτρόπιον, *ectropium*, *inversio*, *inversatio* & *eversio* ἐκτροπὴ τῦ βλεφάρυ Doctoribus nuncupatur, atqúe plerumqúe à fibrarum motricium musculi clausoris palpebrarum, per uberiorem seri affluxum aut admota humectantia & emollientia aut præsentem paralysin, relaxatione, aut propter carnis luxuriantis

ex ruptis iisdem fibris excreſcentiam, aut caruncułæ lacrymalis protuberantiam, dimotione & protruſione, aut ſub vulneris ulcerisque conſolidatione nimiâ verſus inferiora detractione factâ, ſuboritur.

12. Præterea nonnunquam obſervatur ἀγκυλοβλέφαρον ἀγκύλωσις τῦ φλεφάρυ, *ancylophlebaron*, ſive *utriusq; palpebræ*, ſub vulnere aut ulcere aut graviori inflammatione & contuſione, ſæpius ſub variolis, obtingens *conglutinatio*, aut *earundem* cum *alba* aut *nigra* proxime ſubjacente oculi parte *concretio* & *cohæſio*, ob puris aut ſeri lymphatici ex glandulis & vaſis hygrophlebaricis excretoriis, item ſucci nutricii ex membranaceâ ſubſtantiâ, effuſi, tenacitatem lentam combinatoriam inducta, vid. Georg. Bartiſch Augendienſt part. IX. cap. XVI. Hildanus Cent. VI. Obſ. VII. Joh. Sculletetus in Armament. chirurgico part. I. Tab. XXX. Fig. VII; quòd ſi verò ab ortu palpebræ ſint counitæ, aut ſub ulcere prævio proprio, aut proximæ tunicæ adnatæ aut corneæ, firmiter combinentur, συμφύοντις βλέφαραι aut φλεβάρων σύμφυσις & πρόσφυσις inſigniri ſolent, ſic *oculi clauſi* & *palpebris recluſis* globus cum pupilla profunde abſconditus in filiolo ex pravâ imaginatione matris, in M. N. C. Decur. II. Ann. VIII. Obſ. LIII., & *oculi globus* ſub *inferiori* ſolum *palpebrâ latens* infantis cœci, in M. N. C. Decur. II. Ann. X. Obſ. XXXII., deſcribitur.

13. *Rarum* admodum *vitium palpebrarum* deprehenditur κολόβωμα *coloboma*, *mutilatio*, Celſo *curtum*, quando nempe *palpebra*, ſicuti ſub labio leporino labium, *dehiſcit*, idque vel ex pravâ matris imaginatione, vel nutrimenti defectu, vel fibrarum ſub terrore, lapſu, & concuſſione teneri embryonis corpuſculi, abruptione aut divulſione in utero gignitur.

14. Sæpius notatur ὑδατὶς *hydatis aqvula* & *aquoſitas palpebrarum*, tumor nempe tenuis transparens à ſero lympha-

tico

tico fluidiori in motu ſuo intercepto, ac inter membranas palpebrarum effuſo, neque per vaſa lacrymalia excretoria debite expurgato, emergens. *Aqvula* quoque vocatur pinguis quædam materia palpebræ cuti p. n. ſubſtrata ex Gal. lib. XIV. M. M. C. XIX. & Cl. Hofmanno Comment. in Gal. de V. P. n. 740., notante Beato D.D. Brunone in Amaltheo p. 476.

15. Peſſima exiſtit μύδησις μύδωσις *palpebrarum putredo* ſive *corruptio* ab uberiori ſeri putrilaginoſi ſubſalſo-pinguis affluxu, interiorem earum ſuperficiem aliquantum excoriante, ſubnata.

16. Peculiare *tuberculum palpebrarum* tarſo implantatum, à figuræ aliquali ſimilitudine nomen nactum, eſt *Hordeolum* κεγχρὶς græcis, & ad imitationem latinis quoque *Crithe*, Galeno πύδια dictum, in tenui folliculo membranaceo tantillum chyli illuc depoſiti, ſuppurationem tarde & rarò acquirentis, complectens. Quin & alii *tumores cum folliculo* atheromati meliceridi & ſteatomati æquiparandi in *palpebris* ſedem ſuam inveniunt, quorum cauſas generatim in Specim. I. §. XIV. tradidimus.

17. Interea ab hordeolo tàm duritie quàm immobilitate ſua & reſplendeſcente candore diſtinguitur *grando* χαλάζωσις & χάλαζα vel χαλάζωσις, humorem aut grandini aut vitro fuſo, non nunquam albumini ovorum, ſimilem ſub ambitu ſuo continens, pituitæ vitreæ Galeno dictæ ſobolem, qualis feliciter & promte diſcuſſa legitur in Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. X. Obſ. CC.

18. πώρωσις *poroſis* Medicis præeunte Galeno dicitur tophacea itemque calloſa exterioris aut interioris palpebræ ſubſtantiæ intumeſcentia, quæ ſi lapideam induat duritiem λιθίασις *lithiaſis* & *lapideſcentia* audit, utraque autem à recrementis tartareo-ſalinis chyli & lymphæ cum tenacitate glutinoſa nexu firmiori junctis pronaſcitur.

19. Spurcitiem horridam *palpebris* infert φθειρίασις *pediculatio*, ab *ovulis* pediculorum sive morpionum intra sordes putrilaginosas & viscidas ibidem depositis, ac fœcundo veluti utero commissis demumque exclusis propullulans. Vid. Zacut. Lusitan. Prax. Med. admirand. lib. I. Obs. LX.

20. Molestiam pariter haud levem hominibus molitur τριχίασις *trichiasis*, ea oculorum à pilis palpebrarum tarsum obsidentibus offensio, qualis duplex recensetur: 1.) διστιχίασις *distichiasis*, quando geminatus *pilorum ordo* & quidem *præternaturalis interiorum* oculi bulbo obvertitur; 2.) φαλάγγωσις *phalangosis* acies pilorum multiplex & quidem nonnullorum sub interiori tarsi superficie enatorum, nec nisi hac relevatâ conspiciendorum, tunicam proxime subjectam adnatam dolorificè pariter lacessentium; *causa* autem hujuscemodi *vitiorum* à bulbis radicalibus pilorum præter consuetum ordinem dispositis, aut extra seriem naturalem evagantibus, aut multiplicatis, aut à primigenia mala conformatione, aut morbosâ diathesi meatuum per qvos pili erumpunt, petenda erit.

21. Mentionem sui quoque exposcit τῶν βλεφάρων ἀτονία *atonia* & *imbecillitas palpebræ* inprimis *superioris* ac veluti *paralysis* quæpiam, ita ut illa absque manuum adminiculo sponte attolli nequeat, culpâ *musculi palpebræ superioris elevatoris* vel ab exuperante seri decubitu plus æquo relaxati ac depressi, vel spirituum animalium influxu orbati, aut horum energiâ destituti, oriunda: sed & hîc recenseri poterit dictæ *palpebræ p. n. amplitudo & elongatio*, ita ut tamctsi superiora versus retrahatur, oculi bulbus tamen obtectus permaneat, dum talis aut primæ jamdum intra uterum efformationi insolitæ, aut præternaturali extensioni à causis posteà supervenientibus e. g. seri affusi relaxationi, aut mediantibus digitis productioni factæ, imputanda erit.

22. Apud

22. Apud Practicos inter *palpebrarum* morbos enumerantur: χήμωσις, quando eædem cum rubore & dolore reflexæ ac notabili hiatu distantes oculum haud obtegunt, aut quando album oculi ita supra nigrum intumuit, ut nigro subsidente & albo eminente hiatus cujusdam similitudo oriatur juxta Gorræum in definit. medic. p. 507. dein priori contraria φίμωσις, quando palpebræ à tumore vel inflammatione depressæ diduci ab invicem nequeunt, ut oculus subtus reconditus in conspectum detur.

23. Notabilis est πλαδαρώσις, σάρκωσις, *pladarotes* & *morum*, *excrescentia* scilicet sub interiori palpebrarum membrana carnosa instar *piſorum tuberosa* & *laxa*, sanguinem loturæ carnium similem pallido-roseum fundens, atque erosioni fibrillarum vel exulcerationi prægressæ succedens: quin & hîc memorare liceat *ganglia nodosq; palpebrarum*, succi nutricii effusioni, post fibrillarum solutam unitatem, & condensationi attribuenda, vid. Joh. Philipp. Ingrassias Tract. I. cap. I. de tumoribus præter naturam, Zacutus Lusitanus Prax. medic. admirandæ lib. I. Obs. LVIII.

24. Deprehenditur insuper *circa palpebras* κιρσὸς *varix*, *venularum* ibidem distributarum inæqualis ac nodosa *protuberantia*, à sanguine acido-viscoso vel tartareo-salino vel vitriolaceo aut aluminoso-terreo in peridromo suo intercepto, *valvulasq;* illarum præter naturam premendo distendente genita. Quid quòd & καρκῖνος *cancer* sive *carcinoma* easdem occupare soleat, *ulcus* rubens vel subnigrum dolorificum *venis lividis* & *varicosis* de sese sparsis conspicuum, à sanguine acido-arsenicali septico productum, quale anno suprà millesimum sexcentesimum septuagesimo tertio in religiosi cujusdam palpebra superiori Patavii vidimus, atque Celeberrimo Antonio de Marchettis Anatomico & Chirurgo dexterrimo idem rescindenti adstitimus.

timus. Nec *ulcera alia* pus plus minus acre fundentia, post inflammationem, contusionem aliasque læsiones insequentia, palpebras intactas relinquunt, quas etiam *adustiones* ab objectis actuali & potentiali igne præditis cum impetu adactis vel leviter etiam admotis affligunt. Vid. Poterius Curat. & Observat. Cent. I. Cap. X. & Not. Exc. Frid. Hofmanni ad l. c. p. 30.

25. *Vulnera* denique *palpebras* lædunt, Aristoteli jamdum perspecta, ideoque si ab illis *palpebræ* solutionem continui patiantur, *coalescere* non posse, quia sint cutis sine carne, lib. II. de partibus animal. cap. XIII. asserenti, nempe uti interpretantur Doctores non per primam, sed secundam intentionem; dum transversalis illarum dissectio musculi elevatoris actionem abrumpit.

26. Post visum *præternaturalem palpebrarum statum*, nunc agedum inquiramus, quinam *angulis oculorum* & *glandulis lacrymalibus* infensi sint affectus? Sistit autem sese nobis primum *Anchilops* ἀγχίλωψ, *tumor caruncula lacrymalis* in cantho oculorum interno reconditæ, à sanguinis & seri lymphatici chylosi plus minus acris ibi facta extravasatione & collectione genitus, qualis nisi mature discutiatur aut resolvatur Αιγίλωψ *Ægilops fistula lacrymalis* sive *ulcus fistulosum* saniem ac pus facta pressione refundens nuncupatur, cariem proxime contiguo ossi minitans & sæpe efficiens, vid. Misc. Nat. Curios. Decur. II. Anni III. Obs. CXXXII. Ann. VI. Observ. XXXVI. Fr. Peccet. Chir. lib. III. c. XVI. Petr. de Marchettis Observ. Chirurg. XXII.

27. Ἐγκανθὶς *encanthis* in statu præternaturali nuncupatur *caruncula lacrymalis præternaturalis intumescentia & excrescentia*, aut à sanguine chylosо viscosiori mitiori, aut acri-arsenicali virulento cancroso, aut pure ibi relicto, per fibrillas solutionem continui perpessas effuso, aut ungulæ post abscissionem factam remanente portione enata.

Clariss.

Clariſſ. Arnoldus Bootius in Obſervat. Medicis de affectibus omiſſis cap. IX. refert, Richardum Osberton Equitem auratum & Hiberniæ procuratorem fiſcalem ſexagenarium, cum hydrope laboraret, absque præcedente ophthalmia aut epiphora ullave omnino de oculis querela infeſtari cœpiſſe in omnibus quatuor oculorum angulis excreſcentiis quibusdam mucaginoſis crudo ovi albumini non abſimilibus, ſed multo firmioribus neque usque adeo claris ac candidis, quem affectum lippitudinem mucaginoſam ideo denominavit, & alio ſubjecto exemplo confirmavit.

28. Ῥοιὰς *Rhœas, fluxus oculi*, habetur *abſumtio* ac *imminutio caruncuλæ lacrymalis* cum involuntario lacrymarum ſtillicidio, poſt *ægylopem* aut admota *topica* cathæretica aut affluxum ichoris corroſivi nimium inſequens, aliàs acrimoniam puris & medicamentorum, nonnunquam etiam ſalſuginem ſeri ac lacrymarum ſepticam, pro causâ agnoſcens. An exemplum de ῥυπώδη homine, qui caruncula abſumta per patentes narium meatus ſpecies viſibiles admiſiſſe, & proxima quæque objecta dignoviſſe fertur, à Schenckio Obſerv. CCCXX. de oculis allatum, rei veritati convenerit, fides penes Autorem eſto. conferatur Smetius in Miſcellan. Medicis lib. X. p. 531. n. 1575.

29. A conſimili cauſa quoque originem ſumunt περιβρώσις *peribroſis, angulorum oculi eroſio*, & veluti à pulvere acri inſperſo *pruritus continuus*; itemque ἐπινυκτὶς *epinyctis*, *ulcuſculum eorundem exiguum*, inſtar veſiculæ rubentis conſpicuum, factâque ſpontaneâ apertione materiam ſanguinolentam effundens, ac nocturno tempore dolorem cum palpebrarum conglutinatione pruriginoſum inferens; Plempius Ophthalmograph. lib. V. c. 3. oculorum affectibus *gramias* adſcribit, quas alii *glamas* vo-

cant, *gramiam* autem idem esse Latinis quod λήμη Græcis monet, atque Hermolaum minus scite lacrymam congelatam interpretatum esse censet, cùm concreta lacryma sit seu cocta oculi calore materia, uti mucus in naribus. Unde oculi lippi ac humidi sordibus ac pituita laborantes γλημώδεις ὀφθαλμοὶ καὶ ὑγροὶ, ab Hippocrate autem lib. II. de Morb. mulier. IX. 6. XII. 5. γλαμυροὶ καὶ ἐμβλυόσσοντες gramiosi ac lacrymabundi vocantur teste Foesio in Oeconomia p. 136. Ideoque Cælius Aurelianus acutorum morborum lib. II. c. VI. oculos *lemis* obsitos vel lacrymantes spongiâ vaporare, atque ita demersos excitare jubet. *Vermis* longitudinis semipalmaris per canthum oculi internum extractus recensetur ex Observ. Lusitani à Schenckio Obs. lib. I. de ocul. Observ. CCCXXII.

30. Sed & præterea *lacrymæ morbidæ* simul evadunt, sive propter *interceptum sanguinis* ex arteriis in venas oculorum palpebrarum ac glandularum liberum *commeatum*, sive uberiorem *seri lymphatici* affluxum, per *ductus & tubulos* ac *vasa excretoria laxiora exundent*, nec per *puncta lacrymalia* ad canalem nervosum narium *expurgentur*; sive propter *glandularum secernentium & vasculorum excernentium* obstructionem & deperditionem ad oculorum humectationem requisitæ *deficiant*, sive ab admixtis recrementis pituitosis viscidis *glutinosæ*, sive denique *acrimonia* salina diversa *molestæ & noxiæ* evadant, sive deniqne ab admixto cruore aut puris *sanguinolentæ* & purulentæ appareant, vid. Forest. Obs. lib. XI. Obs. XIII.; *verminosæ* autem visæ in M. N. C. Decur. II. Ann. V. Obs. XX. & *lacteæ* cum oculorum fluxu chylioso M. N. C. Decur. II. Ann. IX. Obs. LXXXVI. atque *urina* per oculos excreta in C. F. Paullini Observ. medico-physic. Obs. CXI. in appendic. ad M. N. C. Decur. II. Ann. V. p. 69., describuntur.

31. Nec

31. Nec *muſculi oculorum* à *morboſis afflictionibus* immunes permanent, quin in ſenſus noſtros venit στραβισμὸς *ſtrabismus*, *ſtrabilismus*, *oculorum diſtortio*, à muſculorum præcipue obliquorum ſpasmodica intorſione, & aliorum inæquabili niſu ſpaſtico depravato, obtingens; dein notatur ἵππος *equus*, *perpetua eorundem commotio* & immodica *circumvolutio*, (ob quam Hippocrati ὀφθαλμοὶ ἑστῶτες, ἀστήρικτοι καὶ διαπαντὸς κινούμενοι *oculi perpetuo mobiles inſtabiles* dicti ſunt,) à muſculorum ad contractionem interpolatam momentaneam irritamento, per cauſas diverſas ſubminiſtrato, & voluntatis ac phantaſiæ incitamento nimio eveniens, atque in infantibus ab ipſo ortu viſionis beneficio orbatis à nobis bis terve annotata; denique deprehenditur nonnunquam παράλυσις *paralyſis* & *oculorum reſolutio à ſpirituum animalium* in nervos muſculosque oculi motorios ſufflaminato *influxu*, aut eorundem ſuppreſsâ *energiâ*, profecta.

32. Sed relictis *exterioribus* oculi *partibus* ordo receptus nos jubet, ea inſpicere mala, quæ *univerſum oculi bulbum* propius tangunt. Ubi quidem notabilis quam maxime eſt πρόπτωσις, ἔκπτωσις, ἐξοφθαλμία, *exitus*, *prolapſus*, *expreſſio*, *prominentia*, *procidentia oculi*, aut *efformationi primigeniæ*, aut *intumeſcentiæ* ex inflammatione, contuſione, lapſu, ſtrangulatione, gangræna, inductæ, aut *protruſioni* ſub vehementiori parturiendi, aut fæces duriores excernedi, aut graviora pondera elevandi niſu, aut *elongationi* nervi optici & fibrarum membranacearum ſub declivi capitis depreſſione concipiendæ, aut *relaxationi* ab affluxu ſeri aquoſi copioſiori metuendæ, veluti cauſis efficientibus adſcribenda, vid. Miſc. N. C. Decur. II. Ann. III. Obſ. CXXVI. Bartholin. Cent. IV. hiſt. XXIII. Schenckius Obſ. Medicinal. de oculis CCCXII. & ſeq. Foreſt. Obſ. Lib. XI. Obſ. XL. Salmuth. Cent. II. Obſ. XLII. Tulpius Obſ. lib. I. cap. XXVIII.

33. Ἀτροφία τῦ ὀφθαλμῦ, μικροφθαλμὸς *atrophia, imminutio, profunditas, macies oculi, parvus oculus*, rursus aut à *connata effiguratione*, aut *causis*, *succi nutricii* ad oculorum bulbum *affluxum* arcentibus, aut *ejusdem assimilationem* præpedientibus, aut ejusdem *deperditionem* inferentibus, aut *spiritus* pessundantibus, item à febribus diuturnis, mœrore, cephalalgia, lacrymatione immodica, vigiliis, & læsionibus externis violentis, remanere solet, vid. M. N. C. Decur. I. Ann. I. Obs. XII.

34. Deficit quoque oculorum alter in *monoculis* sive à *nativitate* talibus, sive postea per vulnus ulcus contusionem aut alias causas violentas & substantiam ophthalmicam deperdere validas uno orbatis. Absque *oculis* autem natorum, tum aliorum, qui *tres* aut *quatuor* habebant, vel alienis partibus *sitos*, vel deniq́ue *pupillas binas* atque has diversi coloris, mentio fit apud Schenckium de ocul. Obs. CCLXXVIII. quod quidem ὡς ἐν παρόδῳ hîc consignare libuit.

35. Ῥῆξις *rhexis*, *ruptio*, *ruptura* oculorum membranis intentatur pariter à fortuitorum externorum violento occursu, premendo, contundendo, dilacerando, solutionem continui efficiente, sicuti universo oculo *vulnera* ab instrumentis acutis cæsim aut punctim adactis, & *ulcera* à pure post inflammationem & variolas inter tunicas ibidem collecto, vel ab humoribus & topicis septicis susceptis, ingenerari solent, sed de illis in sequentibus denuo loquemur.

36. Συγχυσις *synchysis* & *confusio* oculis accidit, quando propter membranarum violentam percussionem, aut rupturam aut inflammationem graviorem, aut tunicæ uveæ aut aliarum partium vascula sanguifera præternaturaliter aperta, cruoremq́ue hinc effusum, humores & in situ & in pelluciditate suâ turbantur, pupilla simul discolore & turbida conspiciendâ.

37. Οἴδη-

37. Οἴδημα ὀφθαλμῦ *oculi oedema* nuncupatur inflatio tumida tunicæ oculi albugineæ, ſed & quadantenus corneæ, ab uberiori ſeri affluxu, & inter tunicæ albugineæ poros ac vaſcula, tùm & corneæ lamellas, effuſione proveniens, idem verò ſi acre ſimul extiterit pruritum moleſtum quoque faceſſere conſuevit.

38. Ῥεῦμα ὀφθαλμῦ *fluxus, oculi delacrymatio*, eſt ſuperabundans ſeri diverſimode acris ad oculi glandulas & membranas effuſio, inſequente ejusdem nunc profluvio, nunc ſub lacrymarum ſpecie ſtillicidio, favente hujuscemodi excretioni laxitate illarum ſpongiosâ. Atque ejusdem ſingularis ſpecies in puella nobili Marchica quatuor annorum, quæ circa feſtum Michaelis cum aurora inceperat, & ſole occidente deſierat, ita quidem ut afflicta per totum diem in facie jacuerit cum effluxu materiæ aquoſæ, nec adigenda fuerit, in loco etiamſi tenebroſo, ut cælum conſpiceret, fugiente verò ſole viderit, effluxus lymphæ ceſſaverit, ſurrexerit, candelam lucentem imo & flammam in camino ſive noxa aut ulla læſione conſpexerit, & pertulerit, recenſetur à D. D. Ledelio M. N. C. Decur. III. Ann. V. & VI. Obſ. LII.

39. Ἀνθράκωσις ὀφθαλμῦ, *anthracoſis, oculi carbunculatio, carbunculus ocularis* habetur *exulceratio* oculi & palpebrarum *cruſtoſa*, à ſale acri cauſtico peſtifero inducta. Sed & meminiſſe hîc oportet *ficus* & *fungi oculorum* modo *ſcirrhoſi*, modo *cancroſi; illius* quidem duri fere indolentis & à naturali colore parum recedentis, atque ab humoris pituitoſo-viſcoſi coagulo enati, *hujus* autem inæqualis rubentis venis liveſcentibus interdiſtincti, & à ſero lymphatico acido ſalino acri ſeptico & arſenicali intra tubulos & meatus membranarum ac glandularum ocularium effuſo inducti. vid. Hildan. Centur. I. Obſ. I.

40. Μυωπίασις μυωπία *myopia luſcioſitas* affectus ille denominatur, ſub quo limis tantum ſive conniventibus oculis homines res ſibi proxime oppoſitas ſolum diſtincte cernunt, remotas autem vel prorſus non vident, aut ad minimum accurate haud dignoſcunt, provenitque ab humoris cryſtallini ſitu poſteriora magis verſus reclinato, quo minus radii objectorum remotorum viſivi centrum ejusdem attingant, ſed divergendo ad latera uveæ tunicam retinam, tanquam primarium viſionis organon, extremis ſuis apicibus haud feriant. Joh. Baptiſt. du Hamel de corpore animato lib. II. cap. VI. myopes quosdam, quibus cryſtallinus globoſior eſt, aut oculus magis prominulus, diſtincte non videre objecta longius diſſita docet, quod radii nimium refracti citius coeant, neque ordinatam picturam in fundo oculi, ſed citra, nempe in humore vitreo, exhibeant.

41. Αμβλυωπία *amblyopia*, *hebetudo*, *caligatio* eſt ejusmodi viſus debilitas, ſub qua objecta obſcurè & quaſi per nebulam ſaltem in ſenſum viſionis incurrunt, tum propter tunicæ albugineæ aut corneæ præternaturalem craſſitiem, aut illis ſuperextenſum velamentum, aut cicatricem obductam, aut arroſionem factam, tum propter humorum cumprimis aquei opacitatem turbidam, tum propter nervi optici aliqualem obſtructionem, ejusdemque fibrarum atoniam, aut ſpirituum influentium inopiam, defectum, ac impuritatem à cauſis tàm internis quàm externis profectam plur. vid. apud Ludovic. Mercatum oper. Tom. III. de intern. morbor. curat. lib. I. c. XX. Miſcellan. Natur. Curioſor. Decur. II. Ann. X Obſ. CXXXIII. Decur. III. Ann. IV. Obſ. I. Bartholinum Hiſtor. Anat. Centur. IV. hiſt. XXXII. Panarolum Pentec. III. Obſ. XLVI. Singularis prorſus obſervatio eſt à Smetio in Miſcellan. Medic. lib. X. p. 548. prola-

ta

ta de filia ſua Johanna inter prandendum de viſus repentina læſione conqueſta, qua dimidiatæ molis ſolum objectorum ſpecies ſe discernere poſſe XIV. ætatis anno dicebat, additque idem bis poſtea obtigiſſe, & ultimo poſt 3. horas evanuiſſe, nempe dum ante prandium lectum ſterneret, dextro oculo objecta dimidio minora, idque obſcure ſatis, apparuiſſe, ſiniſtro autem oculo nivis flocculos obverſari, mox quoque omnia circumagi, viſa, demum capite doluiſſe.

42. Νυκταλωπίασις *Nyctalopiaſis*, Νυκταλωπία *nyctalopia* veſpertina aut nocturna cœcitudo appellatur, qua laborantes *diluculo* & *crepuſculo obſcure*, *noctu* autem, accenſa etſi candela, *parum* aut *nihil vident*, imputanda nimiæ *pupillæ adſtrictioni* ſive *anguſtiæ*, atque *retinæ laxitati*, ita quidem ut debiliter diſperſi paucioresque admiſſi radii luminoſi viſum commovere nequeant.

43. Ἡμεραλωπία *hemeralopia*, *acies nocturna* præcedenti contraria diatheſis denominatur, qua prædíti *nocturno tempore clarius* discernunt *objecta* quàm *diurno*, attribuenda non tàm innato cuidam oculis lumini, ſed potius pupillæ multo ampliori, choroidi minus nigricanti, ſed pallide flaveſcenti aut cœruleæ, & humorum magis reſplendeſcenti puritati, & non tàm *præternaturali* quàm *extraordinaria* reputanda. Sic ex oculis erumpens flamma in ſubjectam albam chartam, quæ adeo illuminabatur, ut illius lucis uſura adhuc ſcribere potuerit duas lineas, poſt meditationes intenſiores ingruente crepuſculo ad noctem vergente in ſemetipſo notata à Joh. Tackio Archiatro Haſſo-Darmſtadienſi, eſt relata à Reiſelio in M. N. C. Decur. I. Anni VIII. Obſ. XXVIII., qualis ſanguinis & ſpirituum vehementiori agitationi & circumrotationi, circa retinam fortè & pupillam factæ, vindicanda erit, quemadmodum nonnulli mediante fricti-

ne & commotione ſive impulſu validiori ſcintillas quaſi reſplendeſcentes in oculo excutere noverunt. Conf. Marcellus Donatus lib. II. de medica hiſtoria mirabili cap. IX., Salmuth. Centur. I. Obſ. LVII &LVIII. *Splendorem oculorum* in defunctis memorant Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. IX. Obſ. XI. Plempius ophthalmograph. probl. LXVIII.

44. Juvabit verò ulterius ſcrutari *morboſas afflictiones*, quæ *ſingulatim* unam alteramve *tunicam* oculi attingunt & obſident. Ubi quidem mox in conſpectum noſtrum ſeſe dat Ὑπόσφαγμα *Hyposphagma*, *ſugillatio*, *ſanguinis effuſio*, viz. *macula tunicæ* præprimis oculi *albugineæ* ex rubro livida, à ſanguine intra poros ejusdem, vel propter copiam rumpentem, vel acrimoniam corrodentem, vel propter fibrarum tubulorumque reciproco fluidorum commeatui ſubſervientium, à lapſu, ictu, contuſione, tubarum inflatione &c. turbatum ordinem & ſitum ac figuram, ex arteriis effuſo ac extravaſato, leg. Horſtius Problemat. Decad. III. Quæſt. II.

45. Ἐπανάστημα ἐχθώδης, *epanaſtema*, *hypenaſtema ochtodes*, ὑπόνυξ ἐπανάστασις, eſt præternaturalis intumeſcentia & protuberantia membranarum oculi bulbum componentium exteriorum, aut ab exundante fluidorum in orbem circumagi ſolitorum affluxu, aut ſub inflammatione inſigni cohibito horum peridromo, aut interceptis intra illas halitibus ac flatibus viſcoſis, aut humoribus contentis plus æquo turgeſcentibus, proveniens. Vid. Pareus lib. XVI. cap. XIII.

46. Ὀφθαλμία *ophthalmia* proprie nuncupatur *inflammatio tunicæ oculi albugineæ* ſive *adnatæ* cum rubore, ardore, dolore, lacrymarum moleſta extillatione, à *ſanguine* vel ſulphureo-ſalino fervidiore, vel ſalino-ſulphureo acriore, aut per arterias in oculi prædictam tunicam

cam ubertim & confertim *irrumpente*; aut ibidem propter digestionis privatæ vitium lente *hærente*, aut propter tubulorum & fibrarum reciproco commeatui subservientium inversam & immutatam seriem ac effigurationem *subsistente*, oriunda, qualis anniversaria modo dextrum modo sinistrum oculum alternatim infestans in Miscell. Nat. Curiosor. Decur III Ann. II. Obs. CCXI. recensetur. Ophthalmiæ verò affinis ἐπιφορὰ *epiphora* stricte denominatur seri plus minus acris aut viscidi sub lacrymarum specie ad tunicam oculi albugineam canthosque oculi cum dolore & aliquali rubore ac pruritu factus effluxus; & τάραξις *taraxis perturbatio* Doctoribus quibusdam vocatur *inflammatio parva*, non adeo exquisito dolore stipata, & à fumo, pulvere illapso, radiis solaribus intensioribus, allii ceparum & similium acrioribus effluviis extrinsecus admissis producta; sic W. H. Waldschmidius Prof. Publ. Kilonienſis clarissimus in Dissertat. epistolica Kiliæ Holsator. An. 1693. impressa casum proponit pueruli unius anni, qui quoties deferebatur in conclave radiis solaribus aut candelæ illuminatum, toties insigniter intumescebant oculi, colore rubicundo suffundebantur, lacrymæ fluminis instar fluebant, eoque tempore nihil videbat; quamprimum vero idem iterum deportabatur in conclave radiis destitutum, oculique tinctura croci & benzoini fovebantur, tumor ruborque recedebant. Conf. Salmuth. Cent. III. Obs. XXCIII.

47. Quin & à nonnullis huc quoque refertur χήμωσις *chemosis*, *hiatus*, expansio scilicet sejunctiva tunicæ albugineæ supra corneam, propter fibrillas illam cum hac connectentes ab humoribus interfluis detentis ab invicem divulsas, sicuti à Galeno quoque in definit. eadem pro tali vitio oculorum habita est, cùm album

oculi nigro ſupereminet, eoque ſublimius evadit, adeo ut hiatus cujusdam ſimilitudo appareat inter nigrum & album, tametſi in lib. de facile parabilibus pro rubra carnoſaque corneæ oculi tunicæ inflammatione accepta fuerit, conf. Dn. D. Brunonis p. m. Amaltheum p. 200.

48. Pernicioſiſſima obtingit ὀφθαλμία σφακελίζουσα *ophthalmia in ſphacelum* degenerans, ſive *putredinem lethalem*, poſt ſanguinis & ſpirituum ſuppreſſum motum vitalem, atque deſtructam penitus cum functionum animalium privatione ſtructuram organicam eveniens, antehac à me viſa in puero decenni vicini montis gratiæ, ita ut chirurgus univerſum oculum dextrum cum gena ejusdem lateris exſciderit, ipſo per biduum adhuc ſuperſtite.

49. Πτερύγιον, *pterygium*, *unguis*, *ungula*, *onyx*, *ſagitta*, eſt membranula nervoſa fibroſa & albicans, ex oculorum canthis, præprimis majori & recondita ibi lacrymali caruncula, poſt prægreſſam fibrillarum vel vaſculorum rupturam, itemque eroſionem ipſius tunicæ albugineæ, ex ſucco nutricio viſcoſiori effuſo progenita, eidem albugineæ firmiter agglutinata, interdum & corneæ adhæreſcens, primum albeſcens, temporis ſucceſſu nigreſcens, pupillam ex toto vel parte obtegens, ſicque ſpecierum viſibilium receptionem quadantenus vel penitus præpediens. *Excreſcentia carnoſa* in *uno* & *pterygion* in *altero oculo* ex eryſipelate faciei inſecuta legitur in Miſc. Natur. Curioſ. Decur. III. Ann. V. & VI. Obſ. CLVIII.; ſed & *vermiculi* exigui ac quaſi *pediculi* intra albugineam tunicam excluſi, pruritu moleſtiſſimo graves, in Epiſtolâ peculiari recenſentur à Chirurgo Regio Pariſienſi le Jeune ad Jacob. Gvillemeau, quæ in Germanicum idioma verſa videatur in Dn. D. Martini Schurigens aufrichtigen Augen- und Zahn-Artzt p. 264.

50. *Pannus* Gr. ῥάκος ὕφασμα Cl. Zvingero in Theatro Prax.

Prax. Medic. p. 304. ipſiſſima adnata oculi tunica incraſſata appellatur, ſed Foreſtus lib. XI. de morbis oculorum & palpebrarum in Schol. ad Obſerv. VI. p. 13. id inter unguem & pannum diſcriminis intercedere ſcribit, quod ungula ſive pterygion ſit nerveum quid ſine venarum repletione, neque cooperiat oculum, niſi in formâ ſagittæ, at pannus cooperiat totum oculum, vel quaſi totum ſeu tunicam adnatam vel etiam corneam, inſtar panni rubei viſcoſi cum venulis intertexti vel diffuſi, unde & nomen ſuum ab ocularibus medicis receperit, non quod panniculus ſit; ſed quod ſimilitudinem cum eo habeat. *Excreſcentia carnoſa* poſt factam calcis vivæ inſperſionem ſupra corneam tunicam recenſetur in M. N. C. Decur. II. Ann. VII. Obſ. CLXXVI.

51. Αὐγλίη dicitur apud Hippocratem in oculis *albicans cicatrix*, uti in prorrhet., vel ita appellantur albeſcentes humores concreti, uti in Coacis prædictionibus, teſte Gorræo in definit. Medic. p. 9. adeoque poſt variolas, aut alia ulcera, aut vulnera, aut ungulæ reliquias, aut alioquin ſupra albugineam corneamque tunicam effuſum, & in coagulum denſum compactum humorem pituitoſo-viſcoſum, ejusmodi vitium in cornea & albuginea remanere poteſt, id ſi vero nodoſam duritiem obtineat πῶρος *poros* & *tophus* ſalutatur. Quod autem vitium Hippocr. αὐγλίη audiit, hodie uſitatiori voce λευκῶμα *leucoma* & *albugo* exprimitur, quale ſi latius craſſiusque extiterit, atque pupillæ functioni vel corneæ perſpicuitati offecerit, in ægrorum detrimentnm cedit haud floccipendendum.

52. φλυκταίναι φλυκταινίδες *phlyctænæ veſiculæ ſive puſtulæ* conſpiciuntur *lucidæ*, à ſero plus minus aeri inter albugineam corneamque tunicam, vel hujus lamellas effuſo, emergentes, modo cum modo ſine inflammatione & dolore obvenientes, quæ ſi *ſuperficiariæ* ſaltem fuerint πτι-

κάυματα dictæ *nigriores*, *profundiores* autem ἔγκαύματα albæ magis apparent. Pustula oculi ex ophthalmiâ visum obscurans annotata est in M. N. C. Decur. II. Ann. I. Observ. XCIV.

53. Neque etiam tunica adnata & cornea immunis est ab *exulceratione*, earundem siquidem haud rarò deprehenditur ἕλκος *ulcus*, solutio continui purulenta ab humoribus acribus corrodentibus biliosis ichorosis salinis acribus acidis verulentis malignis illuc affluentibus vel ibidem congestis excitata, variis nominibus speciatim insignienda: ulcus etenim minus latum sed profundum βόθριον, rotundum amplius latius sed minus profundum κοίλωμα, quod in iridis externo circulo exortum, extra iridem rubicundum intra autem candidum conspicitur ἄργεμον, denique ulcus sordidum impurum & crustosum Paulo Πίκαυμα, Aetio verò ἔγκαυμα nuncupatur. Quid quod & νομὴ ulcus putrilaginosum ac fœtidum, tum & ἕλκος καρκινῶδες ulcus cancrosum oculos quoque corrumpere experientia testetur, sanguis quippe in orbem haud actus salium spiculis extraversis acrimoniam aquæ stygiæ æmulam contrahit, vid. M. N. C. Decur. II. Ann. VI. Obs. LXXII.

54. Ὑπώπιον, πύωσις ὀφθαλμοῦ, *hypopyon pyosis* porrò *oculus purulentus* denominatur, quando pus vel inter corneæ lamellas, vel inter corneam & uveam, vel inter hanc & humores subditos collectum subsistit, à sanguine post inflammationem, aut extrinsecus susceptam causam violentam solutionem continui in membranis vasisque oculi parientem genitum, vid. M. N. C. Dec. II. An. V. Obs. CIII.

55. *Singulæ oculi tunicæ solutionem unitatis* quoque patiuntur manifestam sub *vulneribus*, à violento extrinsecorum cædentium, pungentium, rumpentium, pertundentium, dilacerantium, adurentiumque, occursu cum impetu adacto, quorum exemplum ipsi dedimus in M. N. C. Dec. II. Ann.

Ann. X. Obſerv. CLXXXII. Decur. II. Anni IX. & X. Obs. LXXIV. Decur. II. Ann. III. Obs. XCII. Ann. V. Obs. LV. Ann. IV. Obſ. XXI. Suntque eadem gravia, utpote cerebro vicina, atque, ob membranarum ſenſum tenerrimum dolorificum, inflammatione & vigiliis pertinaciſſimis comitata, imo ſi diffracta oculorum orbita ad ipſam profundius penetraverint cerebri ſubſtantiam lethalia, ſic novimus philiatrum quempiam commilitonem enſe haud evaginato orbita perfoſſa inopinate Argentorati quondam trucidaſſe, & in M. N. C. Decur. I. Ann. VIII. Obſ. LXXXIII. parte baculi extrema acuminata in canthum oculi dextrum majorem intruſa, ob læſum circa radieem naſi proceſſum falciformem, necem intuliſſe legimus.

56. Puero xv. annorum licuit adeo eſſe felici, ut citra inſignem noxam particula ſtraminis Anno MDCLXVII. d. xxvi. Auguſti oculo intruſa, d. xiii. Novembris rurſus extracta fuerit juxta M. Nat. Cur. Decur. I. Ann. IV. Obs. CLXXVII. & *alii* cuidam magis adhuc fortunato, ſtilo in pupilla puncto, reſtaurato denuo humore aqueo, qui effluxerat, rurſus ſanato, videndique beneficio potito apud Galenum lib. I. cap. II. de ſymptomatum cauſis.

57. *Uveæ* poſthæc ſpeciatim attendenda eſt πτῶσις ſive *procidentia*, qualis ſuccedit, *cornea* aut per vulnus aut ulcus prævium p. n. *hiatum* nacta, per quem dum *uvea* prolabitur, pro *figuræ*, ſub quâ ſeſe conſpiciendam præbet, *diverſitate*, diſtinctis appellatur nominibus; ſiquidem vocatur μυωκέφαλος, uvea per exiguam corneæ rimulam ad magnitudinem & formam muſcæ tantum prominente, vel staphyloma uveæ parte figura & magnitudine acini uvæ procedente, vel μῆλον eadem per corneæ fiſſuram ampliorem ad magnitudinem pomi protuberante, demum ἦλον ſive *clavus* parte uveæ prolapſa indurata, & cornea circumcirca ambiente calloſa reddita. Vid. Celſus lib. VII. de re medic. cap. VII. Foreſt. Obſ. Lib. XI. Obſ. XXV.

58. *Pupillam* p. n. *dilatari* ac *constringi* equidem supra §. XLI. & XLII. jamdum innuimus, de utraque autem ejusmodi morbosa diathesi nunc ulterius loquendum erit. Nempe enim μυδρίασις & πλατυκοΐα *pupillæ dilatatio* cognominatur, ubi illa solito amplior ad universæ iridis ambitum sive à natura sive prava consuetudine aut diuturniore in obscuris carceribus detentione expanditur, visus acie diurno tempore plenoque existente lumine hebescente, quando lucis radii turmatim ingruentes perverso ac tumultuario motu per humores ad retinam trajiciuntur: Μύωσις autem *pupillæ p. n. angustia* vocatur, sive congenita, sive per lucis intensioris continuatam inspectionem, aut humoris aquei defectum, aut tabem aut stypticorum topicorum incautam administrationem contracta, nocte ingruente ac vesperascente cœlo visus acumine deficiente, quia debiles dispersi luminis radii in sufficiente copia haud admissi visionis organum exacte commovere nequeunt. Sed & hîc adducenda erit *pupillæ è situ naturali dimotio*, quæ aut à nativâ efformatione aberrante, aut ab extrinsecus admissorum violento impetu accidere poterit, in quopiam autem post leve corneæ inflictum vulnus à pulvere acriori inspersо facta, salvo nihilominus residuo visu, narratur in M. N. C. Decur. III. Ann. V. & VI. Obs. CCXXX. neque omittenda στενοχωρία *pupillæ tabes* & *angustius spatium*, quale tametsi cum universi oculi atrophia simul evenire soleat, seorsim tamen ab humoris aquei defectu vel absumtione, aut aliis causis resiccationem nimiam aut corrugationem spasticam eidem inferentibus, deduci solet. vid. Forest. Observat. lib. XI. Obs. XXIX. cum Scholio.

59. *Pupillam anguloſam* oculi sinistri chirurgis cataractæ depositionem acu ausuris monimentum esse posse, ne illam attingant, exemplo comprobat Excell. Wepferus Misc. Nat. Cur. Decur. II. Ann. VII. in Schol. ad Obs. XVI.

60. *Tu-*

60. *Tumor* juxta oculi iridem enatus feliciter curatus in M. N. C. Decur. II. Ann. VII. Obs. CCXXX. proponitur, *similisq; cancrosus* ferme anno superiori in vetula quapiam Onoldi dexterrima chirurgi manu, in subsidium advocata primum ligatura strictiori, dein sectione, ablatus est.

61. Ὑπόχυμα *suffusio*, vel κατάρακτα & καταράκτης ex recepta inter Medicos sententia habetur *portionis humoris aquei coagulatio*, & in membranaceæ similem substantiam *condensatio*, sæpe cum humoris heterogenei vel crassioris admixtione conjuncta, modo pupillæ in tantum modo in totum obducta, ibi visus depravationem, hîc omnium specierum visibilium accessionem intercludendo cœcitatẽ pariens, & ratione coloris sub pupilla conspiciendi argentea sive alba, cinerea, cœrulea, viridis, & flava sive buxea denominari solita, vid. Nuckius in operat. & Experim. chirurgic. p. 28. & seq. Clarissimus Dn. D. Heisterus noster autem haud ita pridem in peculiari dissertatione lentem crystallinam potius cataractæ sedem, hujusque opacitatem sive obscurationem causam esse, ex fide & experimentis binorum Gallorum industriorum specioſe declaravit.

62. Ceteroquin idem *humor aqueus* vel *nimium* cum oculi distensione ab uberiori seri lymphatici affluxu *exuperare*, vel *hoc* subtracto, tùm ille ipse adhæc, per intensiores & plus æquo continuatos oculorum motus, vigilias, senium, evacuationes enormes, aut caloris excessum absumtus, aut sub vulneribus ulceribusque effusus, cum oculi corrugatione futura *deficere*, vel particulis impurioribus heterogeneis minus translucidis *turbari*, vel denique biliosis aut melancholicis nec non sanguinolentis recrementis admixtis præternaturali colore *coinquinari* poterit. Interea tamen nisi gravior in culpa fuerit oculi læsio, idem humor absumtus restaurari solet, quod Galeno jamdum olim

olim lib. I. de ſymptomatum cauſis cap. II. Columbo lib. X. Anatom. p m. 403. Coitero in Obſervat. Chirurgicis, Benivenio de abditis cauſis cap. LXXIV. perſpectum fuiſſe ferunt, ut adeo fruſtra de ſingulari ſuo artificio quondam gloriatus fuerit Fr. Joſeph. Burrhus in peculiari diſſert. epiſtolica ad Th. Bartholinum perſcriptâ, quo mediante aquæ chelidonii majoris tantillique camphoræ injectione reparationem deperditi humoris aquei tentaverat, cùm naturali potius aut ſeri lymphatici ſeorſim per ductus oculorum aquoſos novos Nuckianos, aut ejusdem in conſortio ſanguinis per arterias ſubminiſtrationi, illa potius debeatur, leg. M N C. Decur. I. Ann. VI. & VII. Obſ. CXXVI. Anni I. Obſ. CXII. Ann. II. Obſ. CXXXII. Schol. ad M. N. C. Decur. I. Ann. I. Obſ. XII. Rhod. Cent. I. Obſ. XXCII. Kerckring. Spicileg. Anat. Obſ. C. Ol. Borrich. in Actis Medic. Hafnienſ. Vol. I. Obſ. LXIX. Hagedorn. Hiſtor. medic. phyſic. Cent. I. Hiſt. LIII.

63. *Humor cryſtallinus* porro vel in *glaucum* colorem ab interfuſis moleculis ſulphureo-ramoſis & viſcidis *mutatur*, quod vitium γλάυκωμα, γλαύκωσις, *glaucoma* nuncupatur, cum inſigni & profunda circa pupillam albedine, objectorumque cæſio vel ſubcœruleo colore quaſi pictorum per fumum & nebulam obſcuriori apparitione, vel à reſiccatione nimiâ unguinisque conſumtione inſtar terræ ſitientis *dehiſcit*, ac ſæpius in rimas diffiſſus *ſtellam* mentitur, vel tartareis terreoque-ſalinis ſordibus accreſcentibus *ſoliditatem* & *obſcuritatem* radios viſibiles aditu prohibentem concipit, quid quod & *eidem* obducta tunica propria *aranea* humore *craſſiori* imprægnata, aut ex defectu roridi nutricii humoris *arefacta* & *corrugata*, radios viſorios intercipere aut vitioſe inflectere queat.

64. Idem

64. Idem morboſam nonnunquam adipiſcitur *figuram* & *ſitum*, quod ſi enim paulo ſit *convexior* & magis promineat, atque à retinâ anteriora verſus recedat, homines *myopes*, de quibus ſupra locuti ſumus, efficit, quod ſi verò exiſtat *planior*, & retinæ *propior*, homines reddit *presbytas* remota diſtinctius cernentes; quod ſi porrò latiore ſui parte lentis inſtar compreſſa pupillæ foramini non recta in utroque oculo opponatur, ſed vel ſurſum vel deorſum in alterutro declinet, tunc res geminæ apparent, vid. Marcellus Donatus lib. II. de medica hiſtoria mirabili cap. VIII, Foreſtus Obſervat. lib. XI. Obſ. XXXIX., quia ſic deperditur parallelus in utroque oculo aliàs naturaliter exiſtens, cujus documento ſunt pueri, qui dum digito alterum oculum deprimunt alterum attollunt, objecta duplicia ſeſe intueri efficiunt: quinimò *idem humor*, quando non directe ſed torte ſpeciebus objectorum viſibilibus obvertitur, & à centro recedit ſtrabones homines reddit, quales tamen ab alia etiam cauſa tales evadere ſuprà §. 31. innuimus.

65. *Vitreus* denique *humor*, vel tunica, quam *hyaloidem* appellant, *craſſiori* minusque *diaphana* obducitur, hincque læſiones multas in viſu ſuboriri, quibus indita nomina haud ſunt, ſuſpicatur Anton. Molinettus Diſſertat. Anatomico-Pathologicar. lib. IV. cap. VI. vel *ipſe* minus *perſpicuus* ab admixtis impuritatibus exiſtit, vel nimium ſumit *incrementum* pupillæ dilatationem & humoris cryſtallini compreſſionem ac obumbrationem illaturum, vel *decrementum* experitur tunicarum oculi corrugationem, pupillæ coarctationem, ſpatiumque inter lentem cryſtallinam & retinam nimis exiguum relicturum; humoris ejusdem deperditam partem reſtitutam credit Henr. ab Heer Obſerv. c. IV. confer. Schol. ad M. N. C. Decur. I.

Ann. I. Obſ. XII. *Humores* omnes ſub ἐκπεσμῷ in *ſebaceam materiam* converſos ex M. Bogdani avtopſia refert Bonetus Sepulchret. lib. I. Sect. XVIII. Obſ. XXV.

66. *Tunica retina* vel nimium *lenti cryſtallinæ propinqua* objecta diſſita, vel nimium ab ea reducta, objecta vicina ſibi clarius imprimi permittit, *divulſa, abrupta, abſumta, incraſſeſcens, in plicas collecta, ab humoribus viſcidis inquinata, ſpirituumq; animalium energia* orbata *viſionis privationem* comitem ſibi adſciſcit.

67. *Vaſa ſanguifera* morboſe *oculum* afficiunt, ſive ſanguinem in *nimiâ quantitate* advehant, ſive in *aqua copia* denegent, ſive *qualitate* noxium ſuppeditent, ſive in *peridromo* ſuo intercipiant, ſive deniq́ue *alicubi effundant.*

68. Sub *nervi optici præternaturali diatheſi* conſiderationi noſtræ ſeſe offerunt: παρόρασις, *paroraſis, hallucinatio, caligatio, viſus hebetudo* ab aliquali dicti nervi obſtructione & ſpirituum influentium inopiâ obtingens; Ἀμαύρωσις *gutta ſerena*, ea *viſus privatio* & *cæcitas*, quæ citra notabile in ſtructura oculi vitium, (niſi quod pupilla amplitudinem & nigredinem extraordinariam habeat,) à ſpirituum animalium per *nervum opticum deficiente influxu* & *irradiatione expanſiva* inſequitur; idq́ue vel quia ſpiritus animales in debita quantitate à cerebro propter intemperiem, vulnus, ſphacelum, vel alium morbum non ſuppeditantur, vel inſufficienter vel prorſus non ad oculum influunt, idq́ue vel propter nervum eundem à pituita viſcoſa aut colluvie ſeroſa in cerebro proxime collecta, aut vaſis ſanguine aggravatis, aut tumoribus aut hydatidibus incumbentibus, aut pure circumfuſo, aut cerebri mole in apoplexia ſubſiſtente compreſſum, aut meatus intra nervi optici fibras medullares ex capitis concuſſione, ictu, lapſu ſimiliq́ue violentiâ prægreſſa turbatos contortos, aut integrum nervum opticum, ex vulnere præciſum, aut ab humore

rori-

rorido ſpirituum animalium vehiculo in coagulum viſcoſum inibi condenſato obſtructum, aut deniqúe eundem ex inanitione, humiditatis nutriciæ derogationi ſuccedente, exſiccatum & occluſum. Adeoque σύμπλωσις, ξύμπλωσις concidentia nervi optici poſt reſiccationem immodicam, & ἀπόῤῥιψις ejusdem poſt cauſas violentas reſidua, quia ad geneſin guttæ ſerenæ concurrunt, etſi aliàs diſtincte ab Autoribus proponantur, ſub cauſarum recenſione à nobis quoque comprehenſæ ſunt. Speciatim *amavroſin* ab *obſtructo* ex *ſpaſmo* nervo *optico* vid. M. N. C. Dec. III. An. IX. & X. Obſ CCLIII., *amavroſin* ex ſanguine menſtruo regurgitante, apud Pechlin. Obſ. lib. I. c. XLII., ab *alapâ* apud Z. Luſit. Prax. admir. lib. I. Obſ. XLVIII. Plura vid. in Miſcell. N. C. Decur. II. Ann. V. Obſ. CCXLVI. Schenckium Obſerv. medic. lib. I. de ocul. Obſ. CCCV. & ſeq. Steph. Blancard. Anatom. practic. rational. Cent. II. Obſerv. LXXXI. Hild. Cent. I. Obſerv. XXIV. Hagendorn. hiſtor. medico-phyſic. Cent. I. Hiſt. LV. Bonet. Sepulchreti lib. I. Sect. XVIII.

69. Atque ita affectus *præcipuos oculorum* recenſuimus, *quales* ad certas *ſymptomatum* claſſes ſub certo conſiderandi modo reducere licebit. Ad *actiones* ſiquidem *auctas dolor* in ſenſilibus oculorum partibus, tùm exterioribus velamentis, tùm *membranis* ipſis ac *fibrillis* & *vaſis* à variis cauſis ſolutionem continui iisdem intentantibus pertinet, vid. Foreſt. lib. XI. Obſ. V. Platerus Obſ. lib. II. p. 356. & ſeq. Lotichius Obſ. medicinal. lib. II. cap. II. Obſ. I. III. IV. Ad *imminutas* amblyopia, myopia, taraxis, &c. ad *abolitas* amavroſis, cataracta conſummata, cœcitasque (*qualis* etiam à *fumo ligni viridis* enata in M. N. C. Decur. II Ann. X. Obſ. XVIII. recenſetur, *eandem* confirmante Joh. Scheffero in hiſtor. Lapplandiæ cap. CXXVIII., & Proſpero Alpino lib. I. de medicin. Ægyptior. c. XIV. Cayri toto anno lippitudines fre-

frequenter homines invadere notante, ob nitrosum pulverem, qui continuo oculos mordeat, maxime in primæ æstatis parte calidissima, ob vehementissimum meridionalium nimborum calorem, atque inflammatarum arenarum copiam, quæ ab iisdem ventis apportantur) ad *depravatas* denique strabismus, nyctolopia &c. pertinent.

70. *Vitiis retentorum* emphysema, sanguis extravasatus, vermiculi, grando, unguis, pediculi, officulum intra oculi substantiam repertum à G. F. Hildano Cent. I. Obs. I. &c.; *excretorum vitiis* lacrymæ involuntariæ, salsæ, acres, sangvinolentæ &c. annumerari poterint. *Perspicilla* ab oculorum effluviis corrosa memorat Borellus Cent. III. histor. medic. I. & LXVII.

71. *Qualitates* deniqúe *habitudini naturali inimicæ* sub palpebrarum emphysemate, psorophthalmia, trachomate, oculorum rubedine, levcomate, glaucomate &c. notabiles sunt. *Aspectum oculorum veluti pingvem, langvidum, flaccidum* Cælius Aurelianus acutor. morbor. lib. II. c. XXVII., & *oculos vitulinis similes* in virgine ex imaginatione matris prava M. N. C. Decur. III. Ann. V. & VI. Obs. LXX., nostræ noticiæ dederunt.

SPECIMEN XIX.

§. 1.

AUditui destinata *organa* sicuti miranda structuræ compage à sapientissimo artifice designata, atque intra recessus ossis petrosi intimos recondita sunt, ita *pathematibus* quoque singularibus & aliquando abstrusis affliguntur, *quæ* post oculorum morbos recensere consueta ordinis series jubet.

2. Insistemus autem tritæ semitæ, quæ ab *auribus externis* ad *internas* nos deducet, visuri mala & illas & hasce ferientia. Obvenit adeoque nobis primum *inflammatio auricularum*, cum dolore pulsatili vehementissimo, nec non rubore ad malas & tempora sese expandente, aliisque gravioribus symptomatibus stipata, ab *affluxu* sanguinis sulphureo-salini bilioſi *concitatiori*, vel *ejusdem* per varias causas antecedentes & procatarcticas in commeatu reciproco *interceptione*, vel *effusione* & *extravasatione*, vel fibrillarum membranaceo-nerveo-tendineo-carnosarum, sensilium ac motricium, *soluta unitate*, simul & à πνεύμασι & ῥεύμασι earundem facta irritatione ac pressione, inducta. Vid. Schneider. lib. de catarrhis special. I. p. 156. & seq.

3. Nonnunquam *earundem* obvenit *tumor oedematoso-serosus*, aut *à sero exundante*, nec per venarum & vasculorum lymphaticorum oscula decenter *refluente*, aut *transpiratione insensili* sufflaminata, relictus.

4. Sæpius *glandulas* sub auribus exterius sitas *conglobatas* occupant *parotides*, tumores utplurimum cum rubore & dolore conjuncti, à sanguine & lympha particulis diversimode acribus atque excrementitiis inquinatis, in peridromo suo naturali, intra glandularum prædictarum texturam muscosam, præpeditis *oriundi; illæ* autem modo

benignæ à fluidorum catholicorum portionibus ſulphureo-ſalinis, ſalſis, acido-ſalſis, bilioſis, pituitoſis, melancholicis productæ, *modo malignæ & peſtiferæ*, ab eorundem fluidorum moleculis virulentis ſalinis acribus arſenicalibus ſepticisve corruptis, comite febre maligna vel peſtilente individuo, progenitæ; quædam *criticæ*, poſt prævia concoctionis ſigna in ſtatu morbi ſeſe exſerentes, quædam *ſymptomaticæ* ante ſalutiferum tempus ob materiæ morbificæ vel copiam, vel acrimoniam, vel glandularum debilitatem erumpentes, notantur. Hippocrates ἐπάρματα παρ' ὃς dixit Coac. prænot. t. 626., & lib. I. Epidem. Sect. I. text. X. tum lib. VI. epidem. Sect. IV. t. 1. vocabulum ἐπάρμα plane omiſit, notante Galeno in Comment., qui ipſe nomen *parotidis* in ſtrictiori ſenſu ſaltem uſurpavit de tumore inflammatorio glandularum circa aures lib. III. de compoſ. medicamentor. ſecundum loca cap. II.; ſicuti Autores nonnulli per græcam vocem ἔπαρμα vel ἔπαρσις *parotidem ſpeciatim* exprimi contendunt, cum eadem *generatim* omnem tumorem vel intumeſcentiam in parte aliqua denotet. Intereà de *parotide* ex *ſanguine bilioſo* vid. Foreſtus lib. XII. Obſ. XVII., in uxore proxenetæ *ex vento frigido* Anat. Luſitan. Cent. I. Curat. LXXXVIII., *malignâ* Linden. Select. Medic. Exerc. IV. §. 87. & 88., *circa judicationem exorta* non ſuppurata, & disparente recidivam faciente Hippocrat. Epidem. VI. Sect. IV. n. 1., *perpetuò ſuſpectâ habenda* Miſc. Nat. Cur. Decur. I. Ann. V. & VI. Obſ. IV. Laz. River. Inſtitut. Medicar. lib. III. Sect. III. cap. II.

5. *Steatoma* pone auriculam dextram notavit in Xenodochio Patavino J. P. Lotichius Obſerv. l. VI. Obſerv. XII; *tumorem ſuprà aurem dextram mollem* absque dolore contactui cedentem, materiam melli ſimilem folliculo membranaceo incluſam complexum, cum faſciculo pilorum nigricantium, ex imo tumoris & proximi oſſis temporalis ſummi-

ſummitate aſſurgente, & per materiam concluſam ad ejusdem ferme altitudinem usque ſeſe exporrigente, ab omni tamen cum integumentis exterioribus capitis cohæſione libero, in juvene XXIV. annorum, cujus alienæ dextra vicaria pennæ erat, heic loci antehac notavimus, atque deſcripſimus in Miſcell. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. V. Obſ. CCX.

6. *Abſq; auribus natos homines* recenſet Schenckius Obſ. Med. lib. I. de Auribus Obſ. CCCXXXI., *eosdem* inhoneſto vulnere aut frigoris injuriâ mutilari Veslingius Syntagm. Anatomic. cap. XVI., *curtos* reſtaurari Caſp. Taliacotius de curtorum chirurgia per inſitionem lib. I. c. III. & lib. II. c. XX., innuunt; *ægris & ſanis exſcindi*, unde coloboma curtum in auribus dicatur, & ἀκρωτηριασμένοι appellentur, quibus *aures* mutilæ ſunt docet Riolanus Enchirid. Anatomic. lib. IV. c. IV. Ridiculam hiſtoriam de auricula, quam Turcæ cuidam in captivitate detentus Eques de Nantovillet abſciderat, vide in Petr. Dionis operat. chirurgic. demonſtrat. VII. *Ipſarum* interea *auricularum abſentiam damnoſam* eruditiſſime demonſtrat Celeberrimus Schelhammerus de auditu cap. II. §. XII. p. 185., licet enim non omnis prorſus ſenſus amittatur, tamen fieri omnino nequit, ut tam accurate exaudiantur voces, quam antea ſolebant, cùm radiorum ſonantium tantus jam numerus aurem præterlabatur, præterea verò & multiplicatio ſoni, quæ per reflexionem fortaſſis non exigua etiam fit, nulla amplius fiat; adeoque Arantius Obſ. X. rectè ſcripſit de iis, quibus caſu abſectæ fuerunt auriculæ, audire quidem voces loquentium, verum valde confuſas, & murmuri fluentis aquæ non diſſimiles aut ſono cicadæ; confer. Hier. Fabric. ab Aquapendente Part. III. de Aure cap. II. p. 258.

7. Cedit vero non minus *in auditus detrimentum* adhibita *auriculis* ſtrictior faſciarum *obligatio*, aut pulvillorum graviorum *admotio*, aut ex incubatu nimio *complanatio*, jam

olim incusata à Bauhino Anat. lib. III. cap. XLIV., siquidem ἀκριβῶς docente Excell. Hermanno Boerhaave Instit. Medicar. de auditu n. 383. eminentia utriusque & satis magnæ auris, harumque spirales eminentiæ sua inclinatione, intortu, decursu, concursu faciunt, ut ab omni sonoro puncto emissorum radiorum sonantium 1. satis multi capiantur, 2. reflectantur, 3. in concham uniti pellantur. Etenim, ut verba huc facientia nostra faciamus τῷ πάνυ Pechlini in lib. de habitu & colore æthiopum cap. II., in auribus nobis quoque familiare, eas capitis plano profundius adstringere, quas natura laxius semoverat, magis certe imaginariæ quam veræ pulcritudinis studio; nimirum, non de nihilo est à natura consultum, ut aures prominerent, atque ex latiori basi in angustius foramen cochleato ductu volverentur, quò sic sonorum species auribus molliter acciderent, & undulans usque aër tam diversis prominentiis tubulatisque allisus in se rediret fortior, sive etiam, ut iter illud specierum à proximis & peregrinis aëris tincturis servaretur immune. Quid quod hunc effectum nonnullæ gentes manifeste prodant, dum factis in subsidium instrumentis, Hispani Sarbatana vocant, latissimum illum & exstantem auris limbum, olim præpostera cura collapsum, restituunt; sicuti propter auriculas compressis cavitatibus capiti nimis arcte applicitas defectum auditus admoto manuum cavo suppleviſſe Hadrianum Romanorum Consulem ex Galeno attulimus in Dissertat. nostris Anatomico-Physiologicis ad Hornii Microcosmum annotatis p. 227., & hodie eidem fini, sub obauditione quoque, alia idonea habetur tuba sonorifera sive acustica ægri propriis manibus adaptanda, delineata in calce Experimentor. Chirurgic. Nuckii Fig. III.

8. *Monstrosas aurium efformationes* in Faneſiis sive Samotlis, utpote quibus in tantam magnitudinem excrescant,

ut

ut totum corpus veſtium modo contegant, item in ἐνωτοκοίτοις auribus ſtrati vice, cum dormiunt, incumbentibus, ex Cæl. Rhodigin. lib. III. c. XXIX. et Plinii Natur. hiſtor. lib. IV. cap. XIII. prodidit Schenckius Obſervat. medicinal. lib. I. Obſ. CCCXXXI., *leporinas* ibidem, *aſininas* in append. ad M.N.C. Dec. II. Anni IV. annexo breviario rerum memorabilium c. X. Paullini Obſ. XLVI, *alia exempla* in M. N. Curioſ. noviſſime editorum Cent. I. & II. Obs. CXXII. & Hagendorii hiſtor. medico-phyſic. Cent. I. hiſt. LXVI., reperietis.

9. *Aurium vulnera* ab *inſtrumentis ſecantibus, pungentibus, lacerantibus, mordentibus, pertundentibus, cauſticisq;* facta, ſive *profunde* ſive *ſuperficialiter*, ſive ſecundum *lineam* rectam ſive transverſam, ſive obliquam, easdem læſerint, & vel *ex toto* vel *parte* ſecum abſtulerint, decenter adhibita medela necem neutiquam inferunt, ſiquidem ad conſervationem individui non abſolute neceſſariæ ſed ad melius ſaltem comparatæ, neque amplioribus donatæ vaſis ſanguiferis, neque nexu metuente reſolvi cum partibus principibus devinctæ, habentur. *Lobi auricularum* vel pro derivando & excernendo ſero ſuperfluo in utroque ſexu, vel in ſequiori pro ſuſpendendendis ellobiis pertundi ſive perforari ſolent, vid. Bartholin. Hiſtor. Anatomic. Cent. IV. LXXX., idque vel *acu*, vel ſingulari *forcipe cannulata*, de quâ vid. Solingen in Chirurg. Part. I. cap. L. & Tab. IV. Fig. III. Nuck. Experim. Chirurgic. XVI. Clariſſ. D. D. Pauli in Annotat. ad Hornii μικροτέχνην p. 372. παράδοξον exemplum de *auditu capitis vulneribus perfectiſſime recuperato* in Veronica virgine Deo devota annos ſupra octuageſimum duos nata recenſuit Excell. D. D. Alardus Mauritius Eggerdes Fautor noſter honoratiſſimus in M. N. C. Decur. II. Ann. VI. Obſ. CCIV., quem ſalutarem effectum, mox tamen rurſus evanidum, ipſe membranarum auditus organa involven-

ventium constituentiumque tensioni, quæ ad partium vicinarum intumescentiam subsequi poterat, vindicavit.

10. Non minus *ulcera* & in *aure externa* & in *substantia membranosa glandulosaq; meatus acustici auriscq; internæ* sedem defigunt suam, sive post inflammationem male administratam, sive abscessum, sive contusiones, ictus, ac lapsus succedant, sive ab humoribus biliosis, ichorosis, acribus, salsis, salso-muriaticis, virulentis, illuc effusis aut congestis, sive ab injectis medicamentis cathæreticis, sive ab hospitantibus ibidem vermibus aut aliis insectis fuerint excitata, vid. Forest. in Schol. ad Lib. XII. Obs. VII. Fonseca Consult. Med. Tom. I. Consult. XXXIX. Atque ejuscemodi *ulcera* nisi circumspecta adhibita industria tempestivè aperiantur, aut decenter mundificentur et detergantur, per cuniculos hinc inde serpendo, & calloſa labia efficiendo in *fistulas* degenerare, quin *osseæ* substantiæ proximæ *cariem* intentare & inducere consueverunt.

11. *Aurium fracturam*, ita ut os elidatur, rarò sanari, quoniam ingens dolor ex Hippocrate ac abscessus exitialis insequitur, monet Forestus in Schol. ad lib. XII. Obs. VII.

12. Adhæc *meatus acusticus* singulatim *inflammationem* à causis suprà §. 2. recensitis, tùm & à *cerumine acriori*, juxta cum partibus membranaceis glanduloſis ac vasculoſis contiguis, *concipit*, dein nonnunquam ab ipsâ *nativitate occlusus* obvenit, sicuti historiæ in Th. Bartholini Centur. VI. histor. XXXVI, Lentilii Miscell. Medico-practicor. Part. I. p. 226. & M. N. C. Decur. I. Ann. VI. & VII. Obs. CLXXVIII. propositæ comprobant; sæpius autem *idem à piso, nucleo, auri globulo, cerumine* propter neglectam expurgationem *lento tenaci ac glutinoso* reddito, vid. Hildanus Cent. I. Obs. V. Cent. III. Obs. I. & IV., vel à *lapillis* ex cerumine tartareo-salino glutinoso coagulo fœto genitis, vid.

vid. Barthol. Actor. Hafnienſ. Vol. I. Obs. XLV. & Joſephus du Verney in Tr. de organ. auditus Part. III., Jul. Caſſer. Placentinus de auditus organo lib. I. cap. XX., vel à *vermibus*, vel *pure* & *ſanie* vel *ſero exundante*, vel ab *excreſcentiis carnoſis laxioribus & fungoſis*, quandoque *ſcirrhoſis*, poſt glandularum ac membranarum eroſionem ſucci nutricii extravaſationi et inſpiſſationi imputandis, vid. Hildan. Cent. III. Obs. IV., vel ab ipſis *glandulis* propter ſeri imbibiti copiam plus æquo turgeſcentibus, atque ſpatium alias pervium occupantibus *obturatur*, vel denique ab *expanſione membranacea craſſiori* ſupra tympani membranam enata, una cum materiæ calcis inſtar concretæ notabili copia ſupra eandem effuſa, à Joſepho du Verney in Part. II. de auditus organo notata, *intercipitur*.

13. *Tympano* obducta *membrana* præterquam quod *inflammationem* communem cum vicinis partibus experiatur, *relaxationem* etiam *patitur*, vel à decubitu *ſeroſæ colluviei* ex *glandulis* meatus auditorii eo depoſitæ, aut à *ſanguine ichoroſo* immediate illuc effuſo, vel *horriſonorum ſonorum* admiſſorum *impetu* ſuſcepto, vel *aëris auſtrini* calidis humidisque effluviis juxta Hippocrat. Sect. III. Aphor. V. admiſſis, vel à *muſculis ligamentis* & *chorda* nervea *eandem* aliis tendentibus, à prædictis vel ſimilibus cauſis, intercepto cumprimis vel cohibito ſpirituum animalium elaterio energetico, atoniam p. n. nactis, atque *ob auditionem* quinimo *ſurditatem* interdum pediſſequam habet.

14. *Tenſionem* inſuper *tympani membrana* ſuſtinet nimiam, leviſſimorum ſonorum appulſum ægre ferentem, ab illius *ſiccitate ſeriq; roridi defectu, caloris interni & externi* excedente ardore, inflammatione, *manubrio mallei muſculoq; interno*, tum & aliis cauſis *fibrillas ejusdem* membranaceo-carnoſo-nerveas ad *ſtricturas ſpaſticas* laceſſentibus, oriundam, *quales* prudentiſſime quoq; agnovit B. Ettmullerus operum Tom. II. p. 807. edit.

edit. J. C. Weſtphali, verbis ſequentibus: ſpasmodicam affectionem membranæ, ſcil. tympani, quod attinet, eadem quacunque occaſione irritata convulſis fibris rigida quaſi evadit, adeoque ab externo agente vix mobilis.

15. Quid quòd *eadem* ipſa à violenta *percuſſione, perculſione*, ſpeciatim ab *aëre* ore & naribus clauſis ſub ſternutatione vehementiori per aquæductum cum impetu ad ſubjectam proximè cavitatem extrorſum plus æquo *retropulſo*, vel ſub palati nariumque tumoribus inflammatoriis & œdematoſis, propter tranſitus ad exteriora præcluſam viam, in aquæductum *protruſo*, vel ab auriſcalpio profunde nimis intromiſſo, vel aliis inſtrumentis cum impetu violento adactis, *rupturæ* periculum ſubeat.

16. Pariter *avulſio* dictæ membranæ quòque evenire poterit, à cauſis jamdum recenſitis, quoniam *ſtria illa* oſſea, qua ipſa ſuffulta eſt, non integrum complet circulum, ſed prope oſtium deficit meatus verſus apophyſis maſtoideæ ſinuoſum antrum protenſi, ut adeo ibidem membrana nominata margini meatus oſſei auris tantum agglutinata ex obſervatione ſolertiſſimi Anatomici du Verney conſpiciatur.

17. Jam verò ſicuti Williſius de animâ brutorum Part. I. cap. XIV. annotavit, experimento in cane facto conſtitisſe, quod *perforato* utriusque auris *tympano*, auditio adhuc ad tempus perſtiterit, quæ tamen poſt menſes tres penitus ceſſaverit, ſcilicet poſtquam ſenſorii ad externas injurias pateſcentis craſis everſa fuerit, adeoque concluſit, ſi pars iſta deſtruatur, ſenſionem adhuc aliquamdiu, rudi libet modo, peragi poſſe; ita mirandum, *tympani membranam* per abſceſſum putredine abſumtam ſine ulla auditus læſione fuiſſe apud Horſtium Obſerv. lib. IX. Obſ. VIII., conf. Schneiderus de catarrhis lib. III. cap. X. p. 402. 403. 404. Vopiſc. Fortunatus Plempius Fundamentor.

mentor. Medicinæ lib. II. cap. IV. p. 258. An autem ideo tentandum ſit illud experimentum, quod inopinato & feliciter ſucceſſit cuidam ex relatione Riolani Enchirid. Anatomic. lib. IV. c. IV., qui intruſo in aurem profundiſſime auriſcalpio diſruperat tympanum, oſſiculaque fregerat, & poſtea audiverat? non perſuadebis, ne ſi perſuaſeris quidem, memini enim heic Altdorfi puerum, cui volſella, pertuſa tympani membrana, oſſicula balneator extraxerat, atque miſellæ matri pro radicibus dentium molarium oſtenderat, tùm & alium in pago Fiſchbach, cui illa ſub ulcere diuturno perierunt, utrumque portu toronæo ſurdiorem manſiſſe.

18. Porrò *tympani membrana* ab ulcere haud minori auditus incommodo *ſuccreſcentem* admittit *carnem*, teſte Anton. Molinetto in Diſſert. anatomico-pathologic. lib. IV. cap. X., aut propter ſenium, & cum ſucco nutricio appoſitas portiones ſalino-terreo-viſcoſas, obſtetrice calore plus æquo reſiccante, *calloſam* induit cum *denſitate duritiem.*

19. Inter *ſymptomata* attendi cumprimis meretur *Auri-um dolor* ὠταλγία, cujus quinque ab Hildano lib. XII. obſ. I. in ſcholiis recenſentur *ſpecies*, *punctorius*, *ſtimulans*, *tenſivus*, *gravis*, & *pulſatilis*, modo *auriculæ exteriorìs* & *conchæ*, modo *meatus acuſtici & auris interiori ambitu* circumſcriptus: *prior* ab inflammatione, ſero acri bilioſo, aut ichoroſo-ſalſo, ſalſo-muriatico, acido, flatibus concluſis tenacibus, frigore intenſiſſimo incaute admiſſo, vulnere, ulcere, contuſione, lapſu, percuſſione, compreſſione, aliisque cauſis ſolutionem continui ſtricturasque ſubſequentes ſpaſticas in fibrillis ſenſilibus ibidem molientibus, ſpiritusque animales ad irregulares eruptiones laceſſentibus, excitatur; *poſterior* etſi à prædictis cauſis pariter originem ſuam ſimul habere ſoleat & poſſit, ſeorſim tamen & ſolitarie ab inflammatione propter *ſanguinem ſulphureo-ſalinum bilioſum* fervi-

diorem ἀθρόως per arterias erumpentem, aut propter eundem à glandulis ex obstructione tumidioribus redditis in vasis revehentibus subsistentem, aut à *sero*, similique *cerumine* acriori salino illuc depositio, aut *abscessu* & *ulcere* recondito, *corpusculis* violenter intrusis, aut ex mora plus æquo demum ibi intumefactis, *vermibus* etiam ibidem progenitis, *pure*, *sanguine*, *ichore*, ibi collectis, effusis, criticoque motu depositis, omnibus ac singulis solutionem continui partibus membranaceo-nerveo-glandulosis sensilibus minantibus ac inferentibus introducitur. Conf. Misc. Nat. C. Decur. I. Ann. VI. & VII. Obs. XXCII. Binninger. Obs. Cent. II. Obs. XCV.

20. Atq; *dolor idem* exquisite sensilis deprehenditur, tum propter innumeras *nervorum* propagines à quinto & septimo cerebri pari, & secundo vertebrali eousq; exporrectas, *pericranii* & *menyngum* ipsiusque *cerebri* viciniam, *membranarum* tympani, tum & aliarum per meatum acusticum intimosque auris receſſus expansarum, texturam sensilem tenerrimam; ut adeo neminem admiratio subire debeat, cum exposito hucusque dolore *gravissima symptomata*, e. gr. motum sanguinis & spirituum tumultuarium, febrem acutam, vigilias, deliria, convulsiones, lipothymiam, imò ipsam mortem, introducta esse. Leg. Hildan. Cent. I. Obs. IV. Forestus Obs. & Curat. Medic. lib. XII. Obs. I. & additum scholium. Adeo ejusmodi *dolorem* pertinacem cum febre acuta & alio quodam signo aliquantum maligno juvenes quidem septima die occidere, & citius delirio correptos, nisi multum pus effluxerit ex aure, aut sanguis è naribus, neque aliud quoddam bonum signum appareat, seniores autem tardius & minus tollere ab Hippocr. Coac. prænot. II. num. 58. & seq.; *acutum* item cum febre continua ac forti horrendum, ac hominem inde deliraturum ac periturum, ab eodem prognosticor. XII. num. 8. & 9., annotatum novimus. Conf. Galenus de compos. medicament. secund. loca lib. III. cap. I.

21. Por-

21. Porrò *auditus actio* diversimode *læditur*, siquidem vel *imminuitur* sub gravitate & obauditione, vel *aboletur* sub surditate, vel *depravatur* sub sonitu & tinnitu aurium: Nempe enim *auditus gravitas*, *βαρηκοΐα*, *δυσηκοΐα*, *ὑποκώφωσις*, *παράκουσις subsurditas*, *surdastritas*, *obauditio*, est actio sensationis iminuta, sub qua ægri sonos aut minores aut exiguos, aut è longinquo aut ex obliquo adventantes, ægre percipiunt, idque culpâ aut *auris externæ* amissæ, aut aliàs vitiosè conformatæ, aut eminentiarum sinuumque ejusdem nimis depressarum, aut culpa *meatus acustici* à nativitate aliquantum occlusi, aut à variis causis jamdum recensitis tum & aliis quadantenus obstructi, aut culpa *membranæ tympano prætensæ* p. n. relaxatæ aut perforatæ, aut culpâ *nervi acustici* recrementis serosis, pituitosis, tartareo-salinis, purulentis, sanguinolentis in suo vigore præpediti, nec non ob senium ac marasmum arefacti & adstricti, culpa denique *spirituum animalium*, in debita quantitate haud influentium, aut energiam suam imperfecte prosequentium, leg. Fonseca Consult. lib. II. consult. LXXIX. Scholzius Consil. Med. p. 170. Höchstett. Obs. Decur. I. in schol. ad Cas. VI. p. 54. Binning. Centur. V. Obs. LI.

22. *Surditas κώφωσις*, *κωφότης*, *ἀνηκοΐα auditus defectus*, est actio sensationis abolita in alterutra vel utraque aure obveniens, aut à *sonorum* in & per meatum acusticum propter totalem hujus occlusionem, coalitum, obstructionem, compressionem à causis §. XII. antea recensitis *ingressu excluso*, Hild. Cent. III. Obs. III. Cent. IV. Obs. I. M. N. C. Decur. II. Ann. II. Obs. CLXIV. Pechlin. lib. III. Obs. X., aut *eorundem* propter membranæ tympani flacciditatem, laxitatem, superenatum tegmen, vulnerationem, deperditionem, deficiente *impulsu*, Hildan. Cent. III. Obs. VII. Platerus lib. I. prax. cap. VIII., aut propter ossiculorum quatuor ex situ naturali dimotionem aut deperditionem, membranarum foramini ovali ac rotundo super-

extenſarum, labyrintheorum anfractuum cochleæque gyrorum ac ſpiralis laminæ conformationem læſam *denegata receptione*, aut deniqúe propter cerebri intemperiem ſtructuramq; deſtructam, inprimis propter fibrillas nervi acuſtici molliores, ad ſenſationem requiſitas, ſpirituum animalium quantitate, qualitate, puritate, influxu, virtute ac mobilitate deſtitutas, *dictorum ſonorum perceptione* denegata, oriunda. Quinimo *connatum aliquod ab ipſa nativite* & quaſi *implantatum* poterit eſſe in auribus *vitium* ſurditatem pariturum, vel organo minus affabre facto, vel ſpiritibus animalibus imputandum, nobis neutiquam perſpiciendum aut perſpectum: Sic quidam ex conjuge ſana liberos omnes ſurdos ſuſcepit, teſte Schenckio Cent. III. Obſ. CCCLII.

23. Singularem obſervationem exhibuit Williſius de Anima brutor. Part. I. cap. XIV. de *ſurditatis ſpecie*, in qua licet affecti auditus ſenſu penitus carere videantur, quamdiu tamen ingens fragor, uti bombardarum, campanarum, aut tympani bellici aures perſtrepit, adſtantium colloquia diſtincte percipiunt, à ſonorum vehementiorum impulſu tympani membrana antea nimis laxa ad debitam tenſitatem redacta; ſubditque eam in rem bina exempla, alterum quidem mulieris, quæ licet ſurda fuerit, quousque tamen intra conclave tympanum pulſabatur clare audiebat, alterum de viro, qui, prope campanile degens, quoties una plures campanæ ſonarent, auditus beneficio potiebatur, aliàs eodem orbatus.

24. Juſtinianus Imperator leg. IX. Cod. qui teſtamenta facere poſſunt vel non, inter *ſurdos natura*, qui etiam ſunt muti, & *ſurdos ex accidenti*, qui loquelam à natura datam ſervant, diſtinxit, & ex poſteriorum claſſe nullum eſſe pronunciavit, qui penitus non exaudiat, ſi quis ſuprà cerebrum illius loquatur, quod Jubentio Celſo placuit. Cujus effati veritatem aliquot abhinc annis deprehen-

hendi in adoleſcente Laufenſi, qui occluſo ab empirico ulcuſculo in gena, ni fallor, dextra antehac enato, ſaniem acrem quotidie plorante, auditu aliàs deſtitutus, loquentium tamen ſupra ejus verticem vocem accurate percepit, mihiqúe cum ipſo ſermones eo modo ac ritu miſcenti ad interrogata quævis apte reſpondit, proculdubio, quantum conjectura aliquali mentis id aſſequi licet, quod aër ſonorus ad verticem impulſus cranii oſſa circa ſuturarum ibidem concurſum promtius mobilia concuſſerit, inſimulqúe à ſuturarum dentatis productionibus intus pendulam duram menyngem agitaverit, hincque oſſiculis quatuor in tympani cavo reconditis, atqúe ſtupendo artificio per ginglymum ſibi invicem junctis, nec minus fibrillis nervi acuſtici circa labyrinthi cochleæ & ſpiralis laminæ mæandros expanſis ſimilem motum impreſſerit, qualis aliàs per meatum acuſticum, ſed & aquæductum Fallopianum, eo pertingere ſolet.

25. Ceteroquin in vulgus notum eſt, *ſurdos natos mutos* quoque permanere, nam cum nullam unquam vocem fando acceperint, ac didicerint, nec eandem loquela exprimere gnari ſunt; rarum adeo exemplum *nobilis Hiſpani* quem ſurdum ſacerdos patientia invicta, rara conſtantia, pertinaciqúe labore, effecit, ut diſtincta admodum verba proferret, notante Kenelmo Equite Digbæo Tr. I. de Natur. corpor. c. XXVIII: *Ille ipſe* verò ſicuti ſonoras voces oculis antea percipiebat, ita Tulpius ſurdum verba viſu ſimiliter intelligentem Obſ. Medic. lib. I. c. XIX., & alium ex labiorum motu verba percipientem Lindenus in Med. phyſiolog. & Borellus Cent. III. Obſ. XXIII. memorant.

26. Sed ut ad *ſurditatis* varias tantisper redeamus *ſpecies*, *ſurditatem* in febre tertiana ſimplici cum rigore incipientem, febre increſcente increſcentem, ut æger nec campanarum ſonum nec tympanarum ſtrepitum audiret, declinante illa ceſſantem M. N. C. Decur. III. Anni IX. & X. Obſ. CCVIII., poſt *variolas* Ejusd. Decur. Ann. IV. Obſ. I.

post *incantationem* Decur. III. Ann. II. Obſ. CCIV. & CLXIX., post *febrem malignam* M. N. C. Decur. V. Ann. VI. & VII. Obſ. X., à *defectu oſſiculi incudis* Caſp. Caldera allegat. à Boneto in ſepulchret. lib. I. Sect. XVIII. Obſ. IV., à *mala oſſiculorum auris conformatione* Molinet. diſſert. anatomico-patholog. lib. IV. cap. X., *à bilioſa calidaq; materia* Foreſt. lib. XII. Obſ. XIII. & ſeq., *à nimio incremento glandularum meatus acuſtici* Ettmüll. Operum Tom. II. p. 805., *à pane calido auribus admoto* Bartholin. Cent. VI. hiſtor. LXXVII., *ab ictu bombardæ* Hildan. Cent. VI. Obſ. VI., *à caſu ab alto* ibid. Obſ. VII., *per bilioſorum dejectionem* finitam Hippocr. Sect. VI. Aph. XXVIII. & LX., *per ſuctionem* curatam M. N. C. Decur. II. Ann. VI. Obſ. CXXIII., in noſtram noticiam detulerunt.

27. *Tinnitus & ſonitus aurium* παράκυσις habetur actio ſenſationis depravata, modo ſub *tinnitus*, modo *ſibili*, modo *pulſus*, modo *fluctuationis, murmuris, ſuſurri, ſtrepitusq;* ſpecie notabilis, atque à præternaturali fibrillarum nerveārum circa labyrinthum cochleam ſpiralemque laminam agitatione & commotione, per πνεῦμα φυσῶδες ſive particulas halituoſo-aereas concluſas & appulſas, *grillum* aurem ingreſſum juxta Hildan. Cent. VI. Obſ. X., ſanguinem in motu interceptum ac arteriarum canales percutientem, vel inordinate agitatum, tumultuariam & irregularem ſpirituum animalium ſub animi deliquio ἀταξίαν, aut eorundem ætherisque expanſionem rectilinearem irradiativam à variis cauſis tàm internis quàm externis violentis, caſu, lapſu, alliſione capitis intortam &c. *eveniens*. Vid. Sennert. Medicin. pract. lib. I. part. III. Sect. III. Cap. VI. Corn. Celſus lib. VI. de re Medic. cap. VII. Solenander Sect. I. Conſil. IV. M. N. C. Decur. III. Ann. II. Obſ. CXXX. Montanus Conſil. LX. & LXII. M. N. C. Decur. III. Ann. IV. Obſ. XII.

28. De reliquo riſu excipiendum à Riolano Enchirid. Ana-

Anatomic. lib. IV. cap. IV. datum consilium, de *perforanda* in tinnitu *apophysi mastoidea*, & conciliando spiritibus ibi tumultuantibus exitu, aut in dolore partium posticarum capitis aperienda terebrâ postica capitis parte; tum sibilo explodenda absurda apposita quæstio, an tentandum sit experimentum, quod inopinato & feliciter successit cuidam, qui intruso auriscalpio in aurem profundissime disrupit tympanum fregitque ossicula, & postea audivit?

29. Ceterum *auditus actio aucta* quoque statui poterit in illis, qui minimos sonos etiam dormientes observant & expergiscuntur, somnum adeoque habent levem & continuo ferme interruptum, & *isthæc* quidem aut *extraordinariæ membranæ tympani tensioni*, ob quam aliàs sub magnis capitis doloribus & febribus acutis à leviſſimis sonis dolores excitantur intolerabiles, aut *spiralibus loculis* à prima typosi plus justo *tortuosis*, aut solito *arctioribus*, aut *spirituum subtiliorum* agilitati intensiori, aut *fibrillarum nervearum* conformationi teneriori, aut multiplicatis *earundem* propaginibus imputanda erit, sic Theoph. Bonet. ex Menjotio in Polyalth. de Morbis capitis lib. II. c. XLVII. refert in Cardinali Richelio, audiendi excellentiâ ad miraculum donato, tergeminum utrinque auditorium nervum deprehensum esse. Conf. Sylvius Prax. Medic. lib. I. c. XL.

30. Ad *vitia retentorum*, præter illa, quæ superius jamdum allata sunt, porrò referri debent, *formica meatum acusticum ingressa* ex M. N. C. Dec. II. Ann. IV. Obs. CXLIV. *grillus* ex M. N. C. Decur. I. Ann. IV. & V. Obs. L. Decur. II. Ann. II. Observ. XXXIX. *vermes* ex M. N. C. Decur. I. Ann. II. Obs. XXIV. Decur. II. Ann. II. Obs. LVII. Decur. I. Ann. III. Obs. CCLXVI., *nucleus* per LVIII. annos in aure *detentus* ex M. N. C. Decur. II. Ann. IX. Obs. CLXXXIV., *lacerta* per VI. annos ibidem commorata ex Stisseri Laborat. Chymic. Part. II. cap. IV., *musca* ex Binninger. Cent. IV.

Obſ. LXXXI., *hirudo* ex Bartholini Cent. IV. hiſtor. LXXIV. *acicula* ex Hildan. Cent. I. Obſ. VI. *nucleus ceraſi* ex Ejusdem Cent. III. Obſ. IV. *aranea* ex Solingen Chirurg. Part. I. cap. L. p. 152. *lapilli* ex Miſc. Natur. Curioſor. Decur. II. Ann. VI. Obſ. CLXII.

31. *Excretorum vitia* ſæpius in infantibus, rarius in adultis, notantur ſub *aurium fluxu*, per *meatum acuſticum* ſanioſo, purulento, cruento, albicante, flaveſcente, liveſcente, ſubvireſcente, copioſiori, parciori, cum vel ſine dolore ac fœtore, glandularum pelli meatus acuſtici ſubſtratarum laxitati ſpongioſæ, cerebri ac cerebelli humidæ mollitiei, ſeri quoad quantitatem exuperantiæ, aut quoad qualitatem acrimoniæ noxiæ, roſivæ ac exulceratoriæ, aut malignitati virulentæ & ſepticæ, aut ulceri aperto, aut abſceſſui rupto, quin & poſt cephalæas diuturnas aut morbos graviores evacuationi materiæ morbificæ criticæ illuc factæ, imputando. Sic *aurium fluxus* ἰχωροειδὴς à Gvil. Ballon. Epidem. & Ephemer. lib. II. p. 270. *purulentus* ab Hildan. Cent. III. Obſ. III. *ſanioſus* à Schenckio Obſ. Lib. I. Obſ. CCCLI. *liquoris limpidi ad* ℔viij. ex aure ſiniſtra, *lymphæ* copioſus ab Hagendornio Cent. I. Hiſtor. LXV. atque allegatis ibi Autoribus annotati ſunt. Adhæc poſt contuſiones, ictus, lapſus, *ſanguinem* per aures erupiſſe, aut poſt menſes ſuppreſſos ibi exitum habuiſſe, experientia loquitur, tametſi *viæ* à cerebro ad aures patulæ necdum perſpectæ ſint; ex tympani cavo equidem ad meatum acuſticum meatus patefactus eſt, ſc. *hiatu Rivinianu*, de hoc autem vid. Munniks de re Anatom. num. LXII. Idea noſtra anatomico-phyſiologic. Sect. XXV. §. 5. Antonius Maria Valſalva Tr. de aure humana cap. II. §. II., qui poſtremus obſervationes huc pertinentes egregias ibidem propoſuit; dum certo perſuaſi ſumus, per *eundem hiatum* non ſolum *flatum cum ſibilo emiſſum* apud Hildanum Cent. III. Obſ. III., *ſed & tabaci fumum, plenis buccis collectum*, foras expelli ſolitum eſſe.

32. Commemorandæ demum reſtant *qualitates mutatæ*, ſiquidem *aures frigidæ, pellucidæ, contractæ*, pernicioſæ ab Hippocr. in Coacis prænotionibus II. n. 67. edit. Linden., *extremitates earum inverſæ* I. Prognoſt. l. 10. *rubores* Coac. CC., *earum fœtor* à Galen. de ſymptomat. differentiis cap. V. & à Naturæ Conſultiſſimo Paullino in Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. VII. append. p. 157., *pruritus* à Galeno de ſimplicibus medicamentis, *igneus fervor* ab eodem de remediis facile parabilibus cap. VII., *ſordes dulces malæ* ab Hippocr. VI. Epidem. S. V. 18. tùm à Clariſſimo *Hünervvolffio* in Miſc. Nat. Cur. Decur. II. Ann. III. Obſ. XCI. & addito Scholio, adnotata extant.

SPECIMEN XX.

§. 1.

POst oculorum auriumque morboſam diatheſin, ut ordini, in Idea machinæ humanæ anatomico-phyſiologica obſervato, in disquiſitione hac noſtra corporis humani pathologica quoque reſpondeamus, *maxillarum* morboſam conſtitutionem primum rimabimur.

2. *Eædem* autem & præcipue *inferior inflammationem* patiuntur, tum quoad *perioſtium*, tum quoad ipſam *ſubſtantiam* ex fibris atque lamellis affabre factam, tùm quoad *teneram membranulam* oſſium cellulas interiores inveſtientem, tùm quoad *folliculos* ſuccum medullarem complectentes, idque à ſanguine ſulphureo-ſalino per arteriarum canaliculos ubertim irrumpente, atque in refluxu reciproco per venas ibidem ſubſiſtente; quam ſæpius inſequitur *ſuppuratio* & *abſceſſus*, ſanguine inflammatorio in ichorem purulentum putidum mutato, ipſaque adeò compage oſſea putredinalis alcali & oleoſi rancoris corruptelam induente; exemplum hujus nobis ſiſtit Miſc. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. VI. & VII. Obſ. XCVIII., ubi recenſetur maxillæ dextræ ulcus non procul à mento multis annis apertum.

3. Nec immunes ſunt *maxillæ* à *carie*, ſolutione continui in ſubſtantia ſua oſſea leviori aut profundiori, quam humores ſalini acres acidi, acidoque-ſalſi, ſcorbutici præſertim & venerei, aliique putredinem ſimul conciliare idonei, ſub lenta conſumtione *abſcedentibus ſquamulis furfuraceis*, inferre ſolent; cui affinis habetur *ſpina ventoſa*, talis *corruptela*, quæ conſimiles prorſus cauſas nacta, ab interiori oſſium centro ad exteriorem ambitum

bitum erumpit, *ſpinulasq; acutas* à deperdita oſſea parte abſcedentes foras per carnes & integumenta protrudit. Sic namque *maxillarum cariem* Claudius Deodatus perſcripſit ad Hildanum Cent. IV. Obſ. XXI., *eandem inferiorem maxillam* penitus corripientem Schenckius Obſerv. medicinal. lib. I. de maxillis p. 213., & ſuperioris maxillæ *ſphacelismum* in filiola Viri cujusdam maxime reverendi, & *carioſos abſceſſus* in *maxilla inferiori* cujusdam Nobilis ex Diſput. peculiari D. D. Ammanni Beatus Dn. D. G. A. Merclinus Phyſicus quondam Noribergenſis celebratiſſimus in Not. ad Pandolphini Tractatum de ventoſitate ſpinæ p. 131. & ſeq., *maxillæ ſuperioris cariem* extruſum dentem ſecutam M. N. C. Dec. II. Ann. V. Obſ. CCXXXIII., *portionem carioſam maxillæ inferioris ablatam* per callum in cartilaginem induratam renatam Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. VI. Obſ. CCXXXVII. *pædarthrocacenq;* Miſc. N. C. Decur. II. Anni VI. Obſerv. XXII., noticiæ noſtræ reliquerunt.

4. *Fiſſura* maxillis ab iisdem cauſis, à quibus illa in cranio inducitur, accidere ſolet & poteſt, atq; memorabile eſt, *maxillæ oſſiculum* poſt octodecim annos ex infelici dentis evulſione *fiſſura* demum ſponte ſeparatum, prout legimus in Miſc. Nat. Curioſor. Decur. III. Ann. I. Obſ. CLXVII. vid. ibid. Tab. IX. Fig. XVIII.

5. Adhæc infenſa eſt *inferiori maxillæ* à violento extrinſecorum duriorum impactorum & renitentium occurſu, e. g. lapſu, ictu, contuſione, intentata *fractura*, triennio abhinc bis à me in vicinia notata, vid. M. N. C. Decur. II. Anni III. Obſerv. CXXXVI. *Utriusq;* verò *maxillæ oſſa* circa alveolos *frangibilia* eſſe, etiam in maxilla inferiore, quamvis hæc alias durior exiſtat, & valida, magis tamen *ſuperiorem*, quæ ſpongioſior ſinuoſiorque deprehenditur, unde *findantur*, ſæpeque in extractione den-

dentium simul frustula abripiantur, subsequentibus nonnunquam gravissimis affectibus, scripsit quondam Archiater primicerius Joh. Jacob. Wepferus in Epistola ad Illustrem Dn. Georg. Frider. Francum à Franckenau Prof. Regium in Academia Hafniensi celeberrimum, olim Auditorem nostrum nunc Fautorem venerandum, quæ videatur in hujus Disput. Inaugurali eruditissima de Epulide & Parulide pag. XVII. *Maxillam* autem *inferiorem totam ore elapsam* memorat M. N. C. Decur. I. Ann. III. Obs. CCLXXIX.

6. Aliquando evenit *maxillæ inferioris luxatio*, & quidem in *locum* tantum *anteriorem*, condylo ex cavitatis glenoidis ossi temporum insculptæ vicinia dimoto, & processu acuto osse jugali humiliori reddito, imo nonnunquam extra ipsum lato, idque sub nimiâ oris amplificatione, aut sub oscitatione inducto hiatu, aut nucleorum majorum tentata diffractione, rarius à tendinum & ligamentorum, sub frequenti & continuo inter mandendum aut loquendum seri uberioris illuc concitato affluxu, facta relaxatione; depellitur autem tunc maxilla dicta *modo alterutra parte* ex sede sua, & tunc anterius inæquabiliter prominet, ac distorquetur, & ordo dentium inferiorum superiori non respondet, *modo utraq;* secedit, tumq; ore magis hiante dentium ordo sese adhuc mutuo quodammodo excipit; in *locum* vero *posteriorem ipsa* dimoveri nequit, obstantibus epiphysibus ossibus temporum adnatis, à figuræ similitudine *mammillaribus* dictis, & meatus acustici canale osseo, leg. Galen. Comment. II. in lib. de Articul. & Celsus lib. VII. c. XII.; nec possibilis est in *locum* vel *latus alterutrum maxillæ ejusdem luxatio*, hancce prohibente opposito capite, qualis tamen apud infantes, propter bifidam adhuc & circa mentum per *synchondrosin* saltem junctam maxillam fieri poterit,

ſcuti hanc ipſam *cartilaginem* ab uberiori ſeri decubitu plus æquo relaxari, vel à cauſis violentis externis disrumpi ac divelli ab experientia edoctus Hippocrates jamdum agnovit.

7. *Tumorem durum in maxilla inferiori* obſervavit Platerus obſervat. lib. III. p. 681., *fungos* ſive tubera mollia ex ſubſtantia oſſea membranaceaque nervea circumexpanſa ſolutionem continui perpeſſa, ſimulque ſucco medullari nutricio effuſo atque concreto originem ſuam in acceptum ferentes, obſervationes loquuntur, ſimilemque vidit Sennertus Med. practic. lib. II. Part. II. cap. XVII. in puero poſt dentis evulſionem enatum, qui pene totum os repleverat, pueroque mortem attulerat.

8. Expoſcit nunc ſui mentionem *maxillæ inferioris immobilitas*, qualis evenit *à muſculis temporalibus* ſpasmodice conſtrictis ex obſervatione Fel. Plater. lib. I. p. 132., *à deſtillatione ad articulum ejusdem* ab Hartmanno prax. chymiatric. cap. LXXIX. propoſita, atque à præternaturali ſeri lymphatici extravaſatione & collectione juxta maxillæ illius cum oſſe temporum articulationem & ligamentum membranoſum ibidem circumexpanſum, ac glandulas vicinas adſitas facta; *ab ejusdem cum vicino temporum oſſe præternaturali coalitu*, ſicuti Columbus de re anatomica Cap. XV. teſtatur, in ſummi Pontificis ſuo ævo penu obſervatum fuiſſe gigantis caput, in quo maxilla inferior capiti adeò adnata & conjuncta fuerit, ut omni motu prorſus caruerit; à *rigiditate* ejusdem *ſcorbutica*, de quâ vid. Sennertus lib. III. prax. Part. V. Sect. II. de ſcorbut. cap. IV., ab humore lento acidoque deducenda juxta Dolæum Encyclopæd. chirurg. rationalis lib. I. cap. XXIV.; à *luxatione*, *fractura* prægreſſa; denique à *partium vicinarum & accumbentium tumore & inflam-*

matione

matione per preſſionem & coarctationem mobilitatem impediente; deniqúe ex ſententia Sennerti Medic. pract. lib. II. Part. I. cap. VI. & allegato ibid. Hippocr. lib. IV. & VII. Epidemior. à *diſtentione cervicis* ex vulnere nervorum obveniente.

9. Sed & eadem *maxilla remittente* muſculorum attollentium *niſu*, ſub affectibus ſoporoſis, aut ſomno etiam naturali, aut ſyncope graviori, vel *eodem* in defunctis *abolito*, cum ore hiante, pondere ſimul gravativo deprimente proprio, deorſum relabitur.

10. *Antrum Highmori* nonnunquam muco repletum conſpicitur, ſed & materiam purulentam ibi collectam per dentem caninum alterum diffractum in virgine generoſa exitum habuiſſe in Idæa Mach. humanæ anatomico-phyſiolog. Sect. XXVI. §. 2. p. 295. antehac annotavimus; *idem* vero ſæpiſſimè à chirurgis anatomiæ ignaris, quando ſub lue venerea in ipſum cum ſtilo profunde penetrare ſolent, pro cariei effectu male haberi, erudite advertit Dn. C. H. E. D. in relatione de Itinere ſuo anglico & batavo p. 75.

11. *Oſſis maxillaris partem dimidiam* palati ſubſtantiam præcipuam ſuſtinentem, poſt ulcus fiſtuloſum caruncułæ lacrymalis oculi dextræ à pure eousque diffuſo *carioſam* redditam, cum inſigni fragore abruptam, deſcripſimus in Ephemeridum Natur. Curioſ. noviſſime editarum Cent. I. & II. Obſ. CXXXV, figura ibid. p. 237. expreſſam. *Palati* & narium *cancrum* Platerus Obſ. lib. II. p. 378.; abſceſſum capitis materiam purulentam per *palatum* effundentem M. N. C. Decur. I. Ann. VIII. Obſ. CLVIII, cariem cranii & propter illam *palati* naſiqúe oſſa in pulverem collapſa M. N. C. Decur. II. Anni V. appendix pag. 26., quinimo *oſs ſine palato* M. N. Cur. Decur. III. Ann. II. Obſ. XXV., nobis manifeſtârunt; ſicuti aliàs *pa-*

latina ossa in lue venereâ ab ulcerum vel propriorum vel vicinorum acore sanioso vel purulento septico erodi, pertundi & absumi autopsia edocuit, ut ad lacunam inde relictam supplendam opus sit lamina à Paræo operum lib. XXII. cap. IV. delineata.

12. Præterea dentes & *singularia* & *præternaturalia* nobis exhibent spectacula: *Singularia* appellamus, quando *homines dentibus* extra præsepiola ossea & gingivarum vallum *prominulis* & *conspicuis* nascuntur, quorum exempla ex Autoribus recenset Mœbius in fundamentis medic. physiolog. p. 117. conf. Kerckringius Spicileg. Anatomic. Cent. I. Observ. XXIV. Dissertat. meæ Anatomico-physiolog. ad Horne Microcosm. annotatæ p. 42. *Abortus* sex mensium jamdum *dentatus* visus est in M. N. C. Decur. III. Anni VI & VII. Obs. CCLXVIII.; *Dentes sani* ex homine recenter evulsi in proprios & alienos alveolos denuo inserti firmiter cum maxillis coaluerunt, in M. N. C. Decur. III. Anni VI. & VII. Obs. CCXX. Paræi lib. I. cap. de de dentibus, Riverii Observat. communicatis à Dn. Poiret XV. Borelli Cent. I. Obs. X; Infanti puellæ tertio post partum die *denticulus incisorius inferioris* maxillæ erupit in Misc. Nat. Cur. Decur. I. Anni VIII. Obs. XLVII., *dentes* ligno percussi ob *soliditatem* silicis instar scintillas disperserunt in Bartholin. Observ. Anatomic. Centur. II. Hist. XXIV; *durissimos lapides* comminuere poterant in M. N. C. Decur. II. Anni VIII. Obs. XCIII., *elapsi* pueris *trium dierum spatio renati* sunt in ejusd. Bartholin. Cent. IV. Hist. LXVI., *splendore mobili* obscuro in loco comparuerunt in Th. Barth. dissert. de luce animalium cap. XIII., *gemina* vel *triplicata serie* geniti sunt, prior in Mithridatis regis filia Dripentine conspicua memoriæ prodita est à Valerio Maximo lib. I. cap. VIII., posterior in Hercule à Plinio Naturalis histor. lib. II. cap. LXXXIII. & in puero

puero ſuo phœbo à Columbo Anat. lib. I. c. X. notata; *pro ſuperiori dentium ordine unum os æqualiter extenſum*, Pyrrho Epirotarum Regi, nec ad ſpeciem deforme, nec ad uſum ulla ex parte incommodum teſte citato Valerio Maximo, & ex Crockoviorum familiæ pleriſque unum continuumque os loco dentium à natura datum eſt, autore Timæo à Guldenklee lib. V. Caſ. X., ſimilia exempla videantur in Bartholin. Cent. I. Hiſtor. XXXV. Quin & hîc recenſeri merebitur *futurorum ex dentibus prædictio*, dum ex dentium vacillatione & eliſione filiorum morbum & mortem præſagiit mater in M. N. C. Decur. I. Anni I. Obſ. C.

13. Ad *præternaturalia ſpectacula* pertinent *dentes molares ſoli* in Viro, abſentibus caninis vel inciſoribus in M. N. C. Decur. II. Ann. VI. Obſ. CXXII., *nulli prorſus* in muliere à nativitate usque ad ſexaginta annos ævum tranſigente in Borell. hiſtor. & obſervat. medico-phyſicar. rarior. Centur. II. Obſ. XLI., atque *pathemata & ſymptomata eorundem morbida* nunc ſingulatim enumeranda.

14. Inter illa autem mox obvenit *dentitio* circa duo tempora infantes dolore excrucians, *alterum germinationis* ὀδαξισμὸς, *alterum eruptionis* ſive ὀδοντοφυία ſive ὀδοντίασις Autoribus nonnullis dictum; dum *eadem difficilis* fit, *modo culpa dentium* aut ſegnius excreſcentium, aut obtuſorum tardius per gingivarum carnem penetrantium, *modo culpa ipſarum gingivarum* denſiorum & calloſarum aut à primo ortu exiſtentium, aut ab aëre frigido ambiente aut crepundiorum ſimiliumque objectorum duriorum affrictu talium redditarum, *modo culpa ſpirituum animalium & ſanguinis* ob deficientem energiam & impulſum dentium protruſionem haud adjuvantium; atque *pernicioſis ea ipſa* ſæpius ſtipata eſt *ſymptomatibus* ab Hippocr. Sect. III. Aphor. XXV. enarratis, præſertim quando *canini*

nini dentes erumpunt & duritie, & radicum altius defixarum longitudine, & extremo acuto, incumbentem gingivarum carnem huicque intertextas fibrillas membranaceas nerveas acrius perfodientes: Legantur M. N. C. Decur. I. Ann. IV. & V. Obſ. CXLVI., ubi *dentitio* cum aſthmate & raucedine, & Decur. III. Anni IX. & X. Obſ. CLXII., ubi *eadem* cum tuſſi convulſiva comite refertur.

15. Accidit porrò *dentitio* quandoque *ſera*, *qualis in infante bimulo* nondum dentato ex Miſc. Nat. Curioſor. Decur. I. Anni VI. & VII. Obſ. CLXXXIII., in *puello decenni* cum ſymptomatibus ex Decur. II. Ann. IV. Obſ. XXVIII. & annex. ſchol. p. 73. & ſeq., in *puellâ* XIII. annorum ex Dec. I. Ann. IX. & X. Obſ. CXII., in *quinquagenario* ex Decur. III. Ann. I. Obſ. XXVII., in *octogenario viro dentis canini* ex Decur. I. Ann. IX. & X. Obſ. CLXXI., in ſene CXX. annorum *integra* ex Decur. II. Anni III. Obſ. XV. nobis innotuit. Conf. M. N. C. Decur. II. Ann. IX. Obſ. CCXII. Anni X. Obſ. LII. & CCXII.

16. Præterea *dentes* etſi *intemperiem* à fluidis confluentibus diverſa dyscraſiâ correptis, ſubſtantiam eorundem intimius ſubeuntibus, adipiſci queant, rarius tamen talem ſeorſim, ſed cum gingivarum carne ſociam utplurimum, ſuſcipiunt.

17. *Superficiem morboſam* oſtendunt, vel ab humoribus acribus rodentibus, vel lithodonte & tartaro fæculento ſcorbutico, vinique uberius hauſti agglutinato, *exaſperatam*, aut nigro livido flaveſcente humorum aut aſſumtorum tingentium *colore inquinatam*, aut ſaccharatorum mellitorumque *reliquiis* adhæreſcentibus *conſpurcatam*.

18. *Magnitudinem* quoque acquirunt aut primæ conformationis & imaginationis vitio, aut nutrimenti ubertate, nonnunquam *deformem*, & Diemerbrockius Anat. lib. IX.

lib. IX. cap. X. ex radice inciſoris ſuperioris excreviſſe *alium* in palato ea *longitudine*, ut linguam perforaverit, bis obſervavit; quin & *naturalem illam* quandoque deperdunt, abſumta per *attritum* ſub plurium annorum decurſu extrema parte.

19. *Morbus in numero* circa *dentes* attendi ſolet, vel *excedente*, ſi ex duplici vel triplici eorum ſerie manifeſta actionis, ſcil. loquelæ aut maſticationis, læſio inſequatur; vel *deficiente*, ſi vel ab ortu deſint, vel poſtea ob abſumtam gingivarum carnem, & corruptas devincientes membranoſas & ligamentoſas fibras, atque nutrimenti defectum, vel narcoticorum abuſum ex M. N. C. Decur. II. Ann. II. Obſ. CLXIII., vel peculiarem tabaci fumationem ex M. N. C. Decur. III. Anni IX. & X. Obſ. X., elabantur, vel propter nimium ſtridorem & convulſiones confringantur ex Decur. II. Anni VII. Obſerv. CX., & noſtra *αὐτοψία* in muliere hyſterico-epileptica Pyrbaumi antehac habita, vel à cauſis violentis externis excutiantur, vel à materia gypſea ſuccreſcente ſede ſua expellantur, ex Euſtachii libell. de dentib. cap. ult., vel deniq; per inſtrumenta idonea evellantur; qualis *evulſio*, ſi dentes cum maxilla concreti ſint, *imprudens* ex M. N. C. Decur. III. Ann. VI. & VII. Obſ. CCLXX., aliàs autem *periculoſa* ex Decur. II. Anni X. Obſ. LXII. & Decur. III. Anni I. Obſerv. CLXVII., *infauſta* & *lethalis* ex Decur. II. Anni II. Obſ. XLIX. & ex Miſc. N. C. Decur. II. Ann. VI. Obſerv. CCXXXIII. Foreſt. lib. XIV. Obſ. IV., Cardano de cauſis morb. p. 155., Lectori innoteſcet.

20. *Morbus in ſitu* eorum deprehenditur, quando in pueris dentibus primum prodeuntibus acutis, ſede ſua non promte adeo cedentibus, ſuccedentes per oſſeum repagulum in maxilla ſuperiori *extrorſum*, in inferiore *introrſum* viam ſibi parant, & erumpunt, aut dens ſupra

dentem enascitur, quod Foreſt. lib. XIV. Obſ. XII., aut derelictis alveolis oſſeis medium aliquando occupant palatum, quod Plinio lib. II. hiſtor. natural. c. XXXVII. & Euſtachio lib. de dentibus cap. XXIX. viſum, aut è mediis faucibus enaſcuntur, quod à Schenckio in Obſ. l. I. de dentibus obſervatum legimus. Quos autem natales habuerit dens ille apud Th. Bartholin. Centur. III. Epiſtol. XVII., qui in juvene ruſtico, poſt prævium horrorem & calorem febrilem cum dolore capitis acerbo conjunctum, paucis diebus elapſis ex aure dextra cum materia purulenta exierat, nullo tamen in maxillis abſente aut deficiente dente, nos cum ignariſſimis ignorare fatemur.

21. *Morbus figuræ* in *dentibus* apparet, ſi ſint *ſerrati*, uti annotavit in ſervo æthiope A. Benedictus in procem. lib. VI. de curandis morbis, aut *longitudine*, aut *incurvatione* &c. deformes.

22. *Morbus connexionis læſæ* ſenſibus patet *in dentium vacillatione*, qualis obtingit vel præſepiolis exiſtentibus amplioribus, vel & ſæpius membranis ac ligamentis devincientibus relaxatis, flaccidis, arroſaque gingivarum carne, à ſaliva ſeroque alluente ſalino-acri ſcorbutico, venereo, mercurialibus globulis inquinato, vid. Sennertus Med. practic. lib. III. part. V. Sect. II. cap. IV. *eadem* inſuper accidit poſt percuſſionem ſub ictu, lapſu, alapa inflictum, vid. Foreſt. lib. XIV. in Schol. ad Obſ. XI.

23. Ingrati *dentium* hoſpites exiſtunt vermes intra cavos carioſosque dentes tanquam fœcundum uterum ex ovulis ſeminalibus illuc depoſitis pronati, vid. M. N. C. Decur. I. Ann. IX. & X. Obſerv. XXIV. & CXXCVII. Decur. II. Anni V. Obſ. CXCII. Anni VI. Obſ. CLXXIV. Decur. II. Ann. VI. Obſ. CCXXXIII. Salmuth. Cent. IV. Obſ. XXXII.

24. Co-

24. *Caries* namque dentes crebrius corripit, modo ab extra incipiens & nigro sese prodens punctulo, aëris potus & assumtorum acido-corrosivis spiculis infixis imputanda, modo ab intra invadens, muco gelatinoso nutricio acrimonia septica adulterato intra dentium lamellas impacto ac substantiam eorundem depascenti adscribenda, dum autem utraque eundo vires acquirit dente magis magisque excavato, ciborum masticatorum potulentorum& medicamentorum reliquiæ putrilaginem induentesvel suscipientes una cum tetro fœtore tandem in *fistulam*, modo unum saltem dentem vicinum modo plures invadentem, terminatur, vid. Misc. N. C. Decur. II. Anni VI. Obs. CCXXXIII. Decur. III. Anni VI. & VII. Obs. CCXX.

25. Inter *symptomata* frequentissime homines & exquisite afficit *dolor ὀδονταλγία*, ex fide quotidianæ experientiæ maximis tormentis merito annumeratus à Celso lib. VI. de re medica cap. IX., à causis variis solutionem continui fibrillis membranaceo-nerveis, à quinto Willisiano nervorum pari ad radices dentium expansis, sed & intra eorundem substantiam dispersis, nec minus per gingivarum carnem atque maxillarum alveolos osseos protensis, intentantibus excitatus, qualis quidem si speciatim *pulsatorius*, insigni fervoris æstusque sensu stipatus, à sanguine sulphureo-salino bilioso productus fuerit, *calidus*; si *lancinans* ab ichoris salini acidi tartareique affluxu, vel *gravativus* & *tensivus*, cum faciei pallore & cachectica intumescentia, à pituitæ lentæ tenacisque decubitu inductus fuerit, *frigidus* vulgo denominari solet; nonnunquam à dente carioso aërem intemperatum frigidum excipiente, vel ciborum ac potulentorum particulas qualitate vitiosas recondente, proficiscitur, aliquando *rodens* à vermibus infertur, haud rarò latius

mediante nervorum communione sese diffundens universum maxillæ districtum eidemque implantatos dentes affligit.

26. Mixtus ex gravi & deficiente *sensu* accidit sub *stupore* sive *hæmodia* ἀιμωδία, ubi fibrillæ dentium nerveo-membranaceæ sensu vel semiprivantur, vel depravato afficiuntur, isque ab assumtis acido-austeris, acerbis, acido-stypticis e. g. fructibus immaturis horæis, prunis pyrisque sylvestribus, spiritu salis vel vitrioli, aut contentis ventriculi acido-austeris æruginosis per vomitum ad dentes repulsis, itemque consimilibus effluviis inde ad os assurgentibus, hypochondriacis & scorbuticis familiaribus, resultat. Vid. M. N. C. Decur. II. Anni VII. Appendix p. 142. Binninger Cent. IV. Obs. VII.

27. *Vitiis retentorum* in dentibus inserenda sunt, sanies, pus, vermes, ciborum putrilaginosæ remansiones, fungi, tophi tartarei adnati, quales inter nostra curiosa asservamus, mercurii vivi guttula post inunctionem mercurialem in dentis alveolo conspicua notante Boyleo Tr. de poris cap. VII.

28. *Vitiis excretorum* accensenda sese exhibent, vermes tum sponte prorepentes tum arte expulsi, ichor sanies & pus effluentia, excrescentia spongiosa carnosa laxior vel scirrhosa vel tophacea ibi enata, profusio sanguinis dentis evulsionem concomitans, vid. M. N. C. Decur. III. Anni VII. & VIII. Obs. CLXXXI. eademque *lethalis* vid. in Decur. II. Anni VI. Obs. CCXXXIII. p. 531. dum alioquin *sanguinem* è loculo dentis longo tempore profluxisse, atque remediis nullis coercibilem ægrum tandem sustulisse testatur Hollerius Comment. II. ad Aph. XVIII. lib. II. Sect. II. Coac. Hippocr. p. 1108. conf. M. N. C. Decur. Ann. VII. & VIII. Obs. CLXXXI.

29. *Qualitates mutatas visibiles* sub morbis superficiei jamdum declaravimus, ad *easdem* ut & *tactiles* pertinet den-

dentium *stridor* seu *crebrior ad invicem collisio*, πρίσις & πρισμὸς Hippocr. I. Prognost. t. XXI. dictus, isque à nisu spasmodico reciproco musculorum maxillam inferiorem attollentium & deprimentium, mediante spirituum animalium in fibras eorundem sensiles & motrices inæquabili ac tumultuario influxu, aut per internum febrile corporis, aut externum aëris ambientis vel aquæ alluentis frigus, aut vermes intra intestina hospitantes, aut terrorem improvisum, aut alias causas affectus spasmodicos producere potentes concitato, irritari consuevit.

30. A dentibus ad proximas *gingivas* in statu præternaturali considerandas nos recipimus, harum autem contemplationi nostræ sese mox subjicit primum παρουλὶς *parulis*, tumor inflammatorius ad dentium radices intus & foris interdum adeo prominens, ut & vicinæ partes distentæ caleant ac rubeant, à sanguine scorbutico sulphureo-salino rancido eo affluente & subsistente originem suam nactus, in abscessum, cancrum, quin & sphacelum interdum desinens teste G. F. Hildano Cent. III. Obs. XXX. & de gangræna ac sphacelo C. VIII.

31. *Epulis* ἐπουλὶς autem ex recepto loquendi more nuncupatur tuberculum gingivarum, & carnis ibidem progenita excrescentia, juxta molares dentes præcipue emergens, & quandoque cum febre ac vehemente mandibulæ dolore affligens, à succo nutricio ibidem propter inflammationem prægressam intercepto, aut propter laxitatem gingivarum scorbuticam, aut abruptas fibrillas, copiosius affuso, originem sumens. *Epulis* talis horrenda, duplicis ferme pugni magnitudine, totum os occupans, ex inepta dentis in maxilla superiori sinistra evulsione in M. N. C. Decur. III. Ann. IV. Obs. LVII. descripta prostat, conf. Jobi van Meekren Obs. Medico-Chirurg. cap. XXVIII. Adhæc *laxitas, corruptio, putredo* & *cruen-*

tatio gingivarum ſcorbuti individui comites ſunt, atque à ſaliva ſeroque ſalino-acribus ſpiculis tubulos carniformes glandulas & vaſcula erodentibus oriuntur.

32. *Gingivæ calloſæ*, ex M. N. C. Decur. II. Ann. VI. Schol. ad Obs. CXXII., itemque *oſſeæ* ex Decur. III. Anni VI. & VII. Obs. LVI. hic proponendæ, dentium defectum quodammodo ſupplent, atque mandibulas ſenitus pro ſcipione eſſe juvant.

33. Ceterum quia *facies* corporis ſpeculum recte pronunciatur, ubi & ſecundæ & adverſæ valetudinis notas legere licet, ejus contemplationi pathologicæ tantisper hîc immorari æquum erit. Nec verò vacat *monſtroſas* ejus *conformationes nativas*, aut *nævos* ex prava matris imaginatione, aut ſpontanea humorum ſubſiſtentia, per determinatum ſpirituum motum ac cutis cuticulæque mutatam texturam impreſſos, hic declarare, cum talibus recenſendis Ambroſius Paræus operum lib. XXIV. Joh. Georg. Schenckius à Gräffenberg in monſtrorum hiſtoria mirabili, Joh. Lonæus Boſcius in concordia medicorum & philoſophorum de humano conceptu, Fortunius Licetus in lib. de monſtrorum cauſis natura & differentiis, & plures alii operam ſuam jamdum commodaverint, quin id ſaltem innuiſſe ſufficiat, ex faciei nævis poſſe reſciri, in qua alia corporis parte ſint nævi juxta normam in M. N. C. Dec. II. Anni VI. Obs. VI. & Joh. Sigismundi Elsholtii Anthropometria deſignatam. Cumprimis autem hîc notandum erit, *cutem faciei* cum corporis mucoſi cuticulæque ſuperextenſo velamine, pro vario humorum affluxu, atque præſentia vel ſubſiſtentia inter reticulares vaſorum plexus, nec non texturæ fibrarumque ac meatuum diverſa modificatione, ratione *coloris* quoque diverſam diſcerni, ita quidem ut à ſanguine ſulphureo-ſalino fervidiori uberiùs influente

fluente vel motu rapidiori circumacto rubeat, à cholerico vel bilioſis tingentibus particulis non rite ſecretis imprægnato flaveſcat, à melancholico vel grumoſo itemque necroſin paſſo ex atro liveſcat, à pituitoſo vel ſeroſo viſcidiori cum tumore palleat; pallet vero & in amantibus vultus, ſiquidem pallet omnis amans, color hic eſt aptus amanti, & in feminis chloroſi laborantibus, propter depreſſas ſanguinis particulas ſpirituoſas balſamico-æthereas, ſpermaticasque ab actuali vigore detentas, quin & pallor faciem inficit, quando occaſione metus vel terroris vel horroris febrilis *ſanguinis* ad extimum habitum influxus à fibrarum ſtrictura ſpasmodica quodammodo repreſſus, aut nimia ejusdem copia per hæmorrhagias quascunque profuſa eſt, ut hujus ſortis homines non inconcinne cum Riolano Enchiridii Anat. lib. IV. c. V. liphæmi dici mereantur.

34. Adeoque ſicuti ex facie ſimili bene valentium, I. prognoſt. Hippocr. t. 8., & in magnis morbis conſtante VI. Epid. S. II. t. 34., ex tumida depreſſa facta, ceteroquin ſigna prognoſtica bona, ita viceverſa ex *faciei colore alio à naturali* I. prognoſt. t. 13. *pallido*, *nigro*, *livido* aut *plumbeo* I. prognoſt. t. 10. mala ſigna prognoſis depromere ſolet, vid. Linden. Medull. Medicin. p. 251. Metuendæ mortis præſaga notanda eſt *facies cadaveroſa* ſive *Hippocratica* dicta, προσώπου διαφθορὴ, ab Hippocrate in Coac. prænotionibus t. 212. operum edit. Linden. Tom. I. p. 540. ſequentem in modum deſcripta: Talis autem fuerit, oculi cavi, naſus acutus, tempora collapſa, aures frigidæ & contractæ, cutis dura, color pallidus aut niger. Liveſcens vero ex his palpebra aut labium aut naſus brevi lethale eſt.

35. Ceteroquin *intenſior rubedo faciei* conciliatur in *ſcorbuticis*, vid. M. N. C. Decur. I. Anni IV. & V. Obs. CVI.

à par-

à particulis ſanguinis ſulphureo - rancidis, item ſub *inflammatione & eryſipelate*, vid. M. N. C. Decur. III. Anni VI. & VII. Obs. CLVIII. Decur. II. Ann. III. Obs. X. & Obs. CLXXI. Decur. II. Ann. IV. Obs. LII., nec non *gutta roſacea*, cujus tubercula rubentia aggregata præter naſum etiam frontem ac genas defædantia, atque à portionibus excrementitiis fluidorum catholicorum alcalico-ſalſis ſero plus minus viſcido immerſis enata obtutui patent.

36. *Nigredo* aliquando eſt connata, aliquando *aſcititia vultui*, à radiis ſolaribus, aut igne fumoſo, aut carbonum atomis, atro empyrevmate & fuligine cuticulam obducentibus, conciliatur.

37. *Turpificant* adhæc *faciem vari*, *ionthi*, *φύλοι*, tubercula ſubrubentia vel atrofuliginoſa diſperſa, à portionibus chyloſis unguinoſis cum ichore ſalſo vel vitriolaceo coagulatis, porisque cuticulæ ac cutis ſubditæ impactis, reſultantes.

38. *Niveum in vultu colorem* obfuſcant tùm *lentigines* maculæ *lentis* colore fuſco vel ſubflavo infectæ, crebris quaſi guttis diſperſæ, ibidem ut & in aliis partibus nudatis aëri libere expoſitis, ex ſanguinis bilioſi recrementis ad epidermidem depoſitis pronatæ, tùm *ephelides* muliercularum præcipuæ gravidarum maculæ fuſcæ in fronte, temporibus ac genis erumpentes, à fæculentiis mucilaginoſo - ſalino - terreis, ceſſante vel ſuppreſſo menſium fluxu, uberius in ſanguine ſeroque collectis, ad emunctorii univerſalis extimam ſuperficiem ſegregatis, proventum ſuum habentes; tùm *impetigo* ſive *lichen*, ſcil. hinc inde in facie ſerpens *aſperitas puſtuloſa ſicca*, cum inſigni ardore & pruritu moleſta, à ſero ſalino - terreis aut tartareis moleculis prompte concreſcibilibus aggravato emergens, cujus poſtremæ ſpecies rectis-

rectiſſime à Beato Dn. D. Brunone in Amalthæo ſuo p. 502. dicta eſt *mentagra*, non ſquamis tantum ſed & fœdo cutis furfure totos primum vultus, deinde vero & collum pectus manusque occupans, oculis tantum immunibus, morbus novus & ante Tiberii principatum penitus incognitus.

39. *Facies ſphacelata* in M. N. C. Decur. I. Ann. IX. & X. Obſ. XVI. & in Hagendornii Hiſtor. Medico-Phyſicar. Cent. III. hiſt. XXXV., in mortuo *illa cruce ſanguinolenta notata* in ejusdem Hagendornii allegat. centuriæ hiſtoria XLIV., adhæc *morientium maculæ* in præcedente Obſerv. XLIII., tum *maculæ vultus in epilepſia* in citati Hagendornii hiſtor. XLIX. & Th. Bartholin. Cent. II. hiſtor. LXXII. deſcriptæ proſtant.

40. Promontorium faciei *Naſus* morboſas quoque ſuſcipit paſſiones. Etenim ſi ejusdem *oſſa* fulcimenti loco data rimemur, *hæc fracturæ, fiſſuræ* ac *cariei*, communi cum aliis oſſibus, periculo obnoxia eſſe, & quidem *priori utriq;* à violentorum duriorum occurſu impetuoſo, renitentia, & alliſione ad eadem fixa, vel acutorum cæſione, *huic* ab acrimonia humorum ſeptica aut inde ingenita *ozæna* metuendæ.

41. *Cartilago inferior mobilis* ſub inhoneſto reſcindi ſolet vulnere, quin & ejusdem portio nares diſtinguens *columna* nuncupata, interſepimento oſſeo contermina, ſi una cum *oſſibus adnatis turbinatis lamellisq;* incumbentibus ſub *carie* & *ulcere* deperdita ſit, non ſine deformitate nares collabaſcere, ſed & raucidulum quid balba de nare loqui homines facit.

42. *Prominent* etiam ultra modum *naſi oſſa* in *naſutis* & *naſonibus*, vid. Hagendornii Hiſtor. Cent. I. hiſt. LXII.; *depreſſa* ſpectantur in *parvinaſutis*, depravata notantur quoad figuram in *adunco* vel *reſimo* vel monſtroſe efformato

naſo natis. *Duplex naſus* vid. in Miſc. Nat. Cur. Decur. I. Anni I. p. 257. Bartholin. Cent. I. Hiſt. CCL. Poter. Cent. III. Obſ. LXVI. Hagendor. C. I. hiſt. LXII.

43. In exterioribus *mollibus naſi partibus ulcera, tubercula & exanthemata* varia, quia partim recenſita, partim in vulgus nota ſunt, ſilentio præterimus, pretioſum tempus aliis ſcitu magis neceſſariis impenſuri, quæ inter neutiquam ſilentii peplo involvenda erit *ozæna ulcus internum* putridum cum fœtore inſigni & cruſtarum ſeparatione vel ſaniei virulentæ profluvio conjunctum, ad exteriorem etiam naſi ambitum ſeſe exporrigens, imo haud raro oſſa turbinata lamellas & cartilagines depaſcens, ab ichore acri, acido, corroſivo, putrilaginoſo, ſcorbutico aut venereo, ex ſanguine in pulpoſa glanduloſa & carnoſa earum ſubſtantia ſecreto progenita; vid. M. N. C. Decur. III. Ann. IV. Obſ. I.

44. Nec fugitivo oculo prætereundus *narium polypus*, tenax & quaſi carnea ibidem enata excreſcentia, colore albo ſubrubeo livido varia, modo mollis modo dura, quæ in oſſis ethmoidei cartilagineis ac tubulatis proceſſibus, naresque ſuccingente membrana, ex chylo craſſis ac viſcidis recrementitiis particulis corrupto ibidem effuſo, radices nacta, inde ulterius non ſolum intra & extra nares, ſed & verſus palatum ac fauces propaginibus ſuis veluti pedibus ulterius exporrectis olfactum, reſpirationem, & loquelam lædit. Vid. M. N. C. Decur. I. Ann. VIII. Obſ. XCI. Ann. IX. & X. Obſ. XXVI. Decur. II. Ann. III. Obſ. CXXXVIII. Decur. II. Ann. V. Obſ. XXCVII. Decur. III. Ann. VII. & VIII. Obſ. CXXXI. Job. à Meekren Obſervat. Medico-Chirurgic. cap. XI.

45. Ab eo verò, ſi originem attenderis, parum differt *ſarcoma* unica & globoſa carnea prominentia absque pedibus alia etiam figura circumſcripta: ſed nec hîc reticendæ

cendæ erunt *verrucæ* externam naſi ſubſtantiam membranaceo-carnoſam non ſine defœdatione obſidentes, à ſucco nutricio viſcoſiori per fibrillas quasdam cutaneas dilaceratas effuſo & concreto progenitæ. Alios *naſi tumores prægrandes & monſtroſos* Miſc. N. C. Decur. III. Ann. VII. & VIII. Obſ. CLXXXIV., *cancrum in naſi ſede externa* Platerus Obſ. lib. II. p. 508., & *naſum duplicem* Borellus Obſervat. medico-phyſicar. Cent. III. Obſ. XLIII., nobis exhibent.

46. *Narium coalitus* à variolis relictus ſectione ſublatus in M. N. C. Decur. II. Ann. IX. Obſ. XLV., *obſtructio* fonticulo brachii ſoluta in M. N. C. Decur. III. Ann. I. Obſ. VIII., à *vibriſſis narium evulſis* earundem hinc cerebri inflammatio demumque mors inſecuta in C. Stalparti van der Wiel Obſervat. rarior. Centur. poſterioris Part. prior. Obſ. VII., recenſentur.

47. *Vulnera* citra infamiam quoque *naſus* nonnunquam excipit foris vel intus, recta, obliqua, transverſa, cum vel ſine ſubſtantiæ detrimento & ablatione, equidem lethalitatem nullam inferentia, intrinſeca tamen ſi fuerint, ob ſeri continuo ex oſſis cribroſi foraminulis tum & glandulis propriis ſubinde exſtillantis madorem, & aëris immediatum appulſum, ægre curabilia; qualia ſi inſignem naſi portionem abſtulerint in ſubſidium vocandus ingenioſus ille naſorum faber Tagliacotius atque conſulendus lib. II. de curtor. chirurgia cap. XVI. & ſeq., conf. Borell. Hiſtor. & Obſervat. Cent. I. Obſ. X. Hild. Cent. III. Obſ. XXXI. Nicol. Blegny Obſ. Chirurg. ad annum LXXX. p. 121.

48. *Figuræ naſi depravationes* etiam in *mollibus* ac *carnoſis naſi partibus* deprehenduntur, eædemque vel *connatæ* in utero ſpiritus plaſtici *ſpontaneæ aberrationi*, aut propter pravas imaginationis maternæ ideas impreſſas *coactæ*,

vel *supervenientes* earundem mollium inflammationi, ulceri, contusioni, cancro, polypo, ozænæ, vel duriorum substantiarum fracturæ carieique, imputandæ, vid. Dolæus Encyclopæd. chirurg. rationalis lib. I. cap. XVI.

49. Inter *symptomata actiones læsæ* diversæ sese in sensus nostros ingerunt: Et *ducendi* quidem *spiritus officium imminuitur* vel *aboletur* in naribus natura aut morbo occlusis, compressis, collapsis, muco crustisque viscosis, polypo item & excrescentiis, oppletis & obturatis. Alterum *capiendi odoris munus* pariter vel *aboletur* propter nervorum olfactoriorum absentiam & defectum præternaturalem, eorundem compressionem, coarctationem, à recrementis viscosis obturationem, lamellarum ossiumque turbinatorum vitiosam conformationem, factamque deperditionem, & hinc denegatum spirituum animalium influxum; vel *imminuitur* sub gravedine & coryza ob suppressam à serosa colluvie spirituum animalium energiam, nervulorumque oppletos minimos meatus; vel *depravatur* sub fœtore ægro ipsi molestissimo, atque à muco viscidiori putredinali fœtente intra lamellarum ossearum intercapedines ossisque ethmoidei cavernulas detento proveniente, sic recordamur Viri cujusdam è nobili familia prosati, post diuturnam coryzam pertinaci narium obstructione laborantis, & ea de causa de fœtore narium soli sibi intrinsecus notabili conquesti, adeo ut per aliquot septimanas ab omni calidorum ciborum esu abstinere coactus fuerit, utpote quorum effluvia sub transitu per nares putrilaginosis fœtidis exhalationibus coinquinata talem secum ad sensorium commune abripiendo cibos horrendum stercus olere fecerunt: *Tertia purgamentis sanguinis & cerebri defluentibus excernendis* destinata *functio*, vel aboletur, sub perenni narium siccitate glandularum-

que

que ac tubulorum excretoriorum conſtipatione ſtrophiola nunquam exigente, vel intenditur & depravatur ſub *ſternutatione* actione illa naturanimali, excitata à fibrarum ſenſilium motriciumque intra naſi tunicam interiorem diſtributarum, duræque menyngis eousque expanſarum, per cauſas tum internas tum externas irritativas facta contractione ſpasmodica expulſiva, de qua quia pluribus egimus in ptarmographia ſub disputationis forma hîc Ann. MDCCX. exhibita, eo benevolum Lectorem ablegamus: ExMiſcellaneis Natur. Curioſor. autem & quidem Decur. III. Ann. VII. & VIII. Obſerv. XCII. *ſternutationem* apoplecticorum non ſemper ſalutiferam, Decur, II. Ann. VIII. Obſ. CLII. triduanam ex menſibus ſuppreſſis, Decur. III. Ann. III. Obſervat. XXXII. ſemper cum menſium fluxu obvenientem, denique ex Decur. III. Ann. V. & VI. Obſ. CLXXXIII. à matre fœtui impreſſam, hîc inſeruiſſe ſufficiat.

50. *Vitia excretorum in naribus* contemplationi noſtræ quoque ſeſe ſubdunt, atque hæc inter creberrime obvenit *hæmorrhagia* ſub vaſorum & tubulorum ſanguiferorum *anaſtomoſi*, per ſanguinis copiam orgasmum & ebullitionem vimque elaſticam adauctam, aut ſub eorundem *diapedeſi* per ſanguinis tenuitatem aqueam ac fibrarum in vaſis & tubulis laxitatem inducta, aut ſub eorundem *diæriſi* per ſanguinis acrimoniam bilioſam vel ichoreſcentiam ſcorbuticam, itemque violentiam externam continuum ſolventem ſuſceptam, illata. Exempla plura recenſere ſupervacaneum foret, juvabit rariora nonnulla in proſcenium adduxiſſe: Nempe enim *hæmorrhagia narium per paroxysmos recurrens* in Miſc. N. C. Decur. III. Ann. VII. & VIII. Obſ. CCXVII. *ſingulis horis ad campanæ pulſum revertens* in Decur. ejusd. Anni III. append. pag. 87., *ex campanarum ſonitu excitata* in M. N. C.

Decur. III. Ann. VI. & VII. Obſerv. XXVII., in Blancard. collectaneis phyſico-medic. Cent. VI. num. LXXIV., *rara venæſectione curata* in M.N.C. Decur. III. Ann. II. Obſerv. CXXXII., *lethalis* ab aſpectu ranæ in Appendice ad M. N. C. Decur. II. Anni VI. p. 35., *narium gingivarum & uteri ſubitanea cum petechiarum eruptione* M. N. C. Decur. III. Anni IX. & X. Obſ. CVIII.; *à femina menſtruata hircum olente cohibita* in appendic. ad M. N. C. Decur. II. Ann. VI. p. 38., *in febre maligna ſanguinis aliqua portione in cacabo frixa pulveriſata attracta coërcita,* in Miſc. N. C. Decur. I. Anni VI. & VII. Obſerv. LV. & XC. in Schol. ad Decur. II. Ann. II. Obſ. CLIV., demum *critica ſuppreſſa exitiabilis* in Decur. II. Anni XVIII. Obſ. CXXV., legitur.

51. Ad *excretorum præternaturalem hiſtoriam* porro referri debent, *termites ex naſo* in Miſc. Nat. Cur. Decur. III. Anni VII. & VIII. Obſerv. CXLI. *vermes ex naribus* in Miſc. N. C. Decur. II. Ann. I. Obſ. XCIX. cum Schol. Decur. II. Ann. II. Obſerv. LVII. Anni VII. Obſ. X., *calculi ex naribus* in M. N. C. Decur. III. Anni IX. & X. Obſerv. CXLV. Decur. II. Anni III. Obſ. LXXIX. & Th. Bartholini Centur. I. hiſtor. XXXIII., *trochlea ſclopeti* per XVII. annos intra cavitatem oſſis frontis recondita per *nares* à Viro poſtmodum adhuc ſuperſtite excreta in Miſc. N. C. Decur. III. Anni VI. & VII. Obſ. CCCXXC., *effluxus lymphæ per nares lethalis* in Miſc. N. C. Decur. III. Ann. II. Obs. CLXXXIV., *cerebri abſceſſus per nares* expurgatus in Bartholin. Cent. VI. hiſtor. XIII., *menſes reſtitantes per nares evacuati* in Campanell. medic. lib. VI. cap. VIII. articul. XI.; deniq́ue hîc inſerenda *immodica ſeri ex ſanguine,* intercedentibus glandulis vaſisque ac tubulis excretoriis, *ad glandulas tunicamq́; nares ſuccingentem facta* ſub *coryza* ſive *gravedine* ſecretio *olfactum* imminuens, imo nonnunquam abolens, nec minus *ſternutationem* crebriorem ciens. De *gravedine ex ribium*

bium esu vid. Misc. Nat. Curios. Decur. II. Ann. VI. Obs. CXXXVIII.

52. *Retentorum vitia in naribus* constituunt quæcunque inde evacuanda ibidem retinentur, uti e.g. *narium mucus* prius copiosè excretus postea retentus causa doloris colici culpatur in Misc. N. C. Decur. II. Ann. VIII. Obs. XIII., vel præter naturalem ordinem ibidem generantur & foventur.

53. *Qualitatum mutatarum* catalogo inserenda erunt *nasi rubedo* inflammatoria, erysipelacea, maculosa, tuberosa, *nasus cæruleus æthiopis* visus in appendic. ad Misc. N. C. Decur. II. Ann. IV. p. 208. *nasus frigore congelatus* in Plateri Obs. lib. II. p. 376., *pruriens* infantium vermibus laborantium in M. N. C. Decur. I. Ann. I. Obs. XIII. p. 55. tum & singularis illa stellula alba sexagona in naso defuncti conspicua in M. N. C. Decur. III. Ann. III. Observ. CLXXX.

54. A *naso* ad *os externum* descendimus, atque circa illud ad *labiorum* contemplationem *pathologicam* nos recipiemus: *Eorundem* verò observatur aliquando *nativa adaucta magnitudo*, & quidem modo superioris modo inferioris modo utriusque, præter deformitatem sermonis facilem enunciationem, ciborum apprehensionem aërisque efflationem aliquantisper impediens; aliquando talis inducitur sub *tumoribus* diversis, siquidem haud raro *labia obsident: inflammatio* à sanguinis fervidioris intra glandulas, tubulos & spongiosam carnem in commeatu suo reciproco, occasione prægressorum vulnerum, ulcerum, contusionis, ictus apium, vespium, muscarumque venenatarum, aut contactus per manus à fungis venenatis infectas admissi, vid. Hildan. Cent. IV. Obs. XXXVI., facta interceptione, aut *ædema* molle pallidum à portionibus sanguinis seroso-pituitosis illuc depositis,

aut

aut *ſcirrhus* aut tumor inſtar *ſteatomatis* durus, vid. Sennert. Prax. lib. II. Part. I. cap. I. aut *nodus* Job. van Mekreen Obſervat. medico-chirurg. cap. XIII., aut *labri-ſulcium* ſive *cheilocace* tumor durus & nonnihil rubicundus labii modo utriusque, utplurimum ſaltem ſuperioris, foveolas binas in utroque labro producens, enatus à lympha acido-ſalina viſcida in glandulis ibidem dispoſitis & ſubſtantia carnoſa extravaſata coagulata, atque per moram ulteriorem acrimoniam virulentam planeque cauſticam nacta, prout affectum talem, à Clariſſimo Arnoldo Bootio in Obſervat. medicis de affectibus omiſſis cap. X. indicatum, erudite deſcripſit in diſput. peculiari inaugurali A. C. M DC XCVIII. hîc habita paternæ gloriæ, eruditionis & famæ ex aſſe hæres Dn. D. Carolus Rayger Junior, Medicus Poſonienſis celeberrimus, olim γνήσιος noſter auditor, nunc Fautor honoratiſſimus, itemque *intumeſcentia ulceroſa venerea carcinomati* affinis à Foreſto lib. XIV. Obſ. II. *ſimilisq;* ab ulcuſculis colli manantibus & impetigine ac menſium emanſione in M. N. C. Decur. II. Ann. IX. & X. Obſerv. CXXX. conſignata.

55. *Labiorum vulnera* ſanguinem ex vaſculis innumeris ſolutionem continui perpeſſis fundentia, ob *illorum* motum ſub loquela maſticatione & deglutitione notabilem tarde quidem, ſed abſque vitæ periculo ſanantur.

56. *Labia leporina* morbis malæ conformationis & ſolutæ unitatis annumeranda, ubi plerumque ſuperius raro inferius fiſſum, ſicque labiorum leporinorum formam repræſentans cernitur, aut *matris* imaginationi pravæ, aut fibrillis primigeniis ſub motu corporis aut animi *ejusdem* vehementiori disruptis & avulſis, aut liquoris amnii inundationi diſtenſivæ nimiæ imputanda

ſunt.

sunt. *Labia leporina gemina* in fœtu M. N. C. Decur. II. Ann. VIII. Obs. LIII., *rostrum leporinum* ab inflicta matri alapa inductum M. N. C. Decur. I. Ann. IV. & V. Observ. CCVIII., in labio superiori *excrescentiam carnosam* M. N. C. Decur. I. Ann. VI. & VII. Obs. XXXVII., nobis descripta obtulerunt.

57. *Labiorum pustulas* in peculiari Dissertatione ἀκριβῶς descripsit Excellentissimus D. D. Joh. Jacob. Baierus, Collega, Fautor & Affinis noster colendissimus, quòd sint solutiones continui in superficie unius vel utriusque labii factæ, nunc majores, nunc minores, ichorem fundentes cum inflammatione, pruritu, dolore & tumore à particulis salinis, acribus, corrosivis &c. productæ.

58. Nec minus *ulcera, fissuræ, rhagades, asperitas, labiis infensa* ῥεύματα deprehenduntur, qualia fibrillis vel propter calorem internum aut externum halitusque fervidos resiccando divulsis, vel propter acrimoniam fluidorum affluentium diversam itemque frigus ambientis excessivam erosis atque crispatis & disruptis succedunt. vid. M. N. C. Decur. III. Ann. I. Obs. VI. *Labii ulcus* acidum & corrosivum liquorem stillans M. N. C. Decur. III. Ann. V. & VI. Obs. LXVIII. proponit.

59. *Labia curta* quomodo & simulate & vere restauranda sint, præter Sennertum Instit. lib. V. Part. I. Sect. II. cap. XIV. videre est apud Galen. lib. XIV. Meth. medendi cap. XVI. & seq. Cornel. Cels. lib. VII. de re medica cap. IX. Paul. Æginet. lib. VI. c. XXVI. Taliacotium de curtorum chirurg. lib. II. cap. XIX.

60. *Tremor in labiis* vel ab aëris extrinseco rigore, vel interno febrium horrore, vel ab ira, terrore, meticulositate, nausea, vomituriendi conatu, aliisque causis spirituum animalium inæquabilem & interruptum influ-

xum, fibrillarumque motricium oscillatorium motum tremulum parientibus insequitur.

61. *Oris tortura spasmus cynicus* est convulsio in uno latere, musculi lati πλάτυσμα μυῶδες dicti & musculi labium deorsum abducentis, inducta à spiculis salinis, acidis vel austeris illuc delatis, atque fibrarum motricium cripsationem spasmodicam efficientibus: aliquando eadem conspicitur cum oris, labiorum ac faciei versus superiora obliqua rigida detorsione, opposita faciei parte relaxata flaccida oculique immobilitate præsente, propter musculos in altero latere paralysi affectos & idpropter oppositos labium attollentes & sursum abducentes sese spasmodice constringentes, cujus exemplum antehac nobis in praxi obvenit apud Perillustrem quendam L. B., qui, sub *paralysi lateris sinistri vultus*, genarum labiorumque flacciditate, cum denegata palpebrarum clausura, ibi correptus, *dextri* musculorumque oris & genarum rigidam convulsionem cum oris labiorum obliqua versus superiora adductione heic patiebatur, feliciter Dei curationi benedicentis gratia restitutus, dum Thermarum Carolinarum usus demum musculum palpebræ clausorē muneri suo restituerat. Vid. Waldschmid. in Collegio Medico-practico ad Casus Medicinales Timæi von Guldenklee lib. I. cas. XXXVII. Celeberrimi D. D. Wedelius in Compend. prax. clinicæ lib. I. cas. XXXIX. Ettmull. Operum Tom. I. edit. Westphal. Trophimi Serrier Observat. Medic. lib. I. Obs. XII. de spasmo cynic. Misc. N. C. Decur. I. Ann. III. Obs. CCXXXII.

62. Affinis illi habetur *Risus Sardonius*, convulsio musculi quadrati aliorumque labia moventium, ut & diaphragmatis, excitata à spasmodica fibrillarum nerveārum à quinto & septimo nervorum pari Willisiano dimissarum, hisque sub distributione sua ulteriori à nervis dia-

diaphragmatis intertextarum, irritatione per varias causas in Specimine XVII. §. 39. superius recensitas facta, de *illo* plur. vid. erudite consignata ab Exc. Lentilio, Consiliario & Archiatro Ducali Würtembergensi meritissimo, Fautore nostro honorando in Parallelismo ad Observat. in Ann. III. Decur. I. Ephemeridum Curios. contentas, annexo Misc. N. C. Decur. III. Ann. V. & VI.: confer. Decur. II. Ann. VII. Obs. CLXIV. p. 134. & seq. Barthol. Anat. lib. II. cap. III.; alioquin autem *ridentem epilepticum* M. N. C. Decur. I. Ann. III. Obs. CCCIV. & *risus insalubris* exempla varia Decur. II. Ann. VIII. Obs. CLXXVI., tum & *cachinnum* inusitatum mortis immaturæ prænuncium Decur. III. Ann. II. Obs. X., nobis exhibent.

63. *Labiorum perversio* etsi quodammodo etiam fiat sub oris tortura, concipi tamen porro poterit citra illam à fibris motricibus carnoso-glanduloso-tubulosæ eorundem substantiæ intertextis, vel flaccescentibus & elanguidis, vel exteriora versus spasmodice detractis fieri.

64. *Oscitatio nimia* hîc quoque consideranda est, solito frequentior oris ampliatio, atque maxillæ inferioris depressio, cum gulæ fauciumque aliquali expansione conjuncta, à particulis sanguinis & seri indigestis crudoviscosis, vel salino-acribus halituosis fibras gulæ musculorumque os dilatantium inflantibus profecta: *Oris clausura* autem, quia cum maxillæ immobilitate coincidit, de illa vid. §. præcedens 8. p. 320. conf. Misc. N. C. Decur. II. Ann. III. Obs. XLIX. cum annexo scholio, & ejusd. Decur. Anni VIII. Obs. CXXVII.

65. *Barba* etiam à *naturali* sua *indole* descisit, quando *extraordinariæ* spectatur *longitudinis* in M. N. C. Decur. I. Anni IV. & V. peculiari Epistola D. D. Dietherri p. 176., & *ad genua usq. demissa* est in Barthol. Cent. I. histor. anat.

Obſ. XLIII. aut in *mulieribus barbatis* obvenit in M. N. C. Decur. I. Ann. IX. & X. Obſerv. XCV. Decur. II. Ann. V. Obſ. XLVIII. Caſp. Reies Camp. Elyſior. jucund. quæſt. p. 712., aut *in puero trium annorum* conſpicitur in M. N. C. Decur. II. Ann. IV. Obſerv. CLXIII. & Schol. pag. 348. aut *plicæ polonicæ implexa* eſt in Decur. II. Ann. VIII. Obſ. XCIV., aut in *imberbibus* deeſt in M. N. C. Decur. II. Ann. V. Obſ. XLVIII., aut *ſponte & repente excidit* in Miſc. N. C. Decur. III. Anni VI. & VII. Obſ. CCLXXX., aut *cærulea* viſitur in Appendic. p. 203. ad Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. Annum IV., aut *colore duplici* infecta in Hagend. Cent. III. hiſt. LV., *gangræna* item & *mors* ex levi vulnere ſub *barbæ* tenſione evenit in M. N. C. Decur. II. Ann. IV. Obſ. CLXVII. : *Prædictiones* ex *barba*, quarum meminit Cl. Lanzonus in Miſc. N. C. Decur. III. Ann. V. & VI. Obſ. CCLXXX. non moramur, certiora indicia deſumturi ex *labiis* nativo *purpuriſſo* ſub *morbis* quibusdam *orbatis*, atque obſervationibus oris pathologicis annectimus *arenulas in ore collectas* ex ſale ſcorbutico Miſc. Nat. Cur. Decur. III. Anni V. & VI. Obſerv. CCLXVI., *menſes per os excretos* Decur. II. Anni II. Obſ. CI., *oris hæmorrhoides* Decur. III. Ann. IX. & X. Obſ. CXVIII. p. 208.

66. In cavitatem *oris interni* intuentibus mox ſeſe objicit *uvula* vel *columella*, quæ diverſos quoque ſuſcipit tumores, vid. *inflammationem cum rubedine & dolore pulſatorio* moleſtam, atque à ſanguine acriore æſtuante in minutiſſimis vaſculis ſanguiferis ſub tranſitu ſuo intercepto oriundam, vel *tumorem mollem & album indolentem* à particulis ſeri lymphæque excrementitiis pituitoſis intra ſubſtantiam glanduloſo-vaſcularem depoſitis & abſorptis, vel *ſcirrhum durum ſenſuq; carentem*, à particulis tartareo-ſalinis vel acido-terreo-glutinoſis metuendum: ſed & porrò *eadem laxitatem* patitur & verſus epiglottidem vici-

vicinam delapſum, vid. Miſc. N. C. Decur. II. Anni III. Obſ. L., provenientem ab humorum ſeroſorum affluxu muſculos gurgulionem alias firmantes ac ſuſpenſam detinentes nimium relaxante, denique præter modum nonnunquam *excreſcit* atque *elongatur*, ab ulteriori ſeri nutricii affuſione, aſſimilatione & facta appropriatione, ut epiglottidem titillando tuſſim non ſolum excitet, ſed & hanc nimis deprimendo verſus glottidem ſomni cumprimis tempore ſuffocationis periculum minitetur, atque in extremo neceſſitatis caſu *reſcindi* debeat, vid. Hagendorn. hiſtor. Cent. I. hiſt. LXIX., nec tamen absque *hæmorrhagiæ metu* notante Valeſio de Taranta lib. III. philon. c. III.: *Ceterum excreſcentiam* carneam prope *uvulam* reſectam tradidit Miſc. N. C. Decur. II. Anni I. Obſ. XV.

67. Præterea *ulcera* ſæpe nanciſcitur, ſive *ſolutiones continui purulentas* à fluidorum eo delatorum & extravaſatorum *acredine* plus minus corrodente & virulenta ingenitas: imo *gangræna ſphaceloq;* ſive incipiente aut confirmata ſubſtantiæ ſuæ mortificatione corripitur, à cauſis diverſis, quæ ſanguinis ſpirituumque diſtributionem & commeatum reciprocum penitus inhibendo, vel dyſcraſiam acido-ſepticam ingenerando, vitalitatem adimere poſſunt.

68. Adhæc *uvula* quandoque viſui ſeſe ſiſtit *gemina* vid. M. N. C. Schol. ad Decur. I. Ann. II. Obſ. CCXXXIX. & Ann. VI. & VII. Obſ. CCXX. Decur. II. Ann. II. Obſ. CLXIV. Diſſertat. noſtræ ad Hornii Microcosmum annotatæ p. 52.

69. Sed & viceverſa nonnunquam *à nativitate deficit*, vid. M. N. C. Decur. II. Ann. II. Obſ. CCXXXIX., aut ex *lue venerea* in M. N. C. Decur. II. Ann. IV. Obſ. LIX., aut ex *defluxionibus* in Decur. II. Anni V. Obſerv. VI., aut ex *neglectis variolis eroſa* in Decur. III. Ann. VI. Obſ. I., legitur;

tuncque etiamsi interdum *phænomena morbida* succedant, quæ Illustris Wedelius in Misc. N. C. Decur. II. Ann. V. Obs. VI. recensuit, atque pro confirmatione ulteriori faciant Decur. I. Anni IX. & X. Observ. XVI. & Decur. III. Anni I. Obs. XXII., *læsæ* amissa uvula *articulatæ loquelæ*, itemque Decur. II. Anni V. Obs. VI. & apud Bonet. Med. Septentr. lib. II. S. V. c. IV. allata observatio *vocis* ideo *clangosæ, raucæ* & *ingratæ* redditæ, aut apud dictum Bonetum Anat. Practic. lib. III. Sect. IV. Obs V. observatio *lactis mammis exsucti* in lactantibus per *nares* rejecti, aut Observationes apud Zacuti Lusitan. lib. I. prax. admirand. Obs. XCVIII. Plater. lib. II. Obs. p. 397. Andr. Laurent. Histor. Anatom. lib. IX. cap. XVII., Misc. N. C. Decur. II. Ann. VII. Observ. CCXIV., ex uvulæ defectu *tabe* defunctorum: Ejusmodi tamen exempla non sunt perpetuæ & universalis veritatis, siquidem constat ex Misc. N. C. Decur. III. Ann. IX. & X. Observ. CCXII. *defectum uvulæ* sæpius *resarsisse vicinas partes* absque ullo incommodo, aliquos uvula privatos nullum *vocis* damnum sensisse ex M. N. C. Decur. I. Ann. IV. & V. Obs. LXVI., *puellam* quampiam *nihil incommodi* inde passam ex Hagendornii histor. Cent. I. histor. LXIIX., atque *concionatorem* quendam amissa uvula *exquisite* & *sonora voce* è suggestu etiamnum officio suo defunctum esse ex M. N. C. Decur. II. Ann. V. Obs. VI.; ceteroquin etiam ex sententia verissima Beati Parentis mei in Synops. Disputat. anatomic. Disp. XVII. Th. ult., *uvula* ex *erosione destitutos* pro *causæ communis vehementia* phthiseos periculo obnoxios habendos esse, eadem siquidem causa, quæ acrimonia sua vel alio modo uvulam absumere potuit, tenerrimam pulmonum substantiam arrodere potis erit.

70. *Tonsillæ* uvulæ proximæ consimilibus expositæ sunt morbis, & quidem *inflammationi*, vid. Ruland. Cent. I. Cas.

Caſ. LXX. Cent. VIII. Caſ. XIX., Foreſtus lib. XV. Obſ. VII. & ſeq., Miſc. N. C. Decur. I. Ann. IX. & X. Obſ. XCVI., pariter rubore, ardore atque dolore ſtipatæ, à ſanguine ſulphureo-ſalino-acriori ſub intenſiori orgasmo ac impulſu ubertim influente tubulosque ac vaſa ſub impedito reciproco peridromo oppilante inductæ; *abſceſſui* inflammationem excipienti, ſanguine inflammatorio nec reſoluto nec discuſſo, eodemque rupto *ulceri*, huic verò aliquando citra præviam inflammationem à decubitu humorum acrium, ſalinorum & ſepticorum compagem tonſillarum arrodentium, atque ſenſilem puris excretionem ſecum inferentium, aperto; vid. Foreſt. lib. cit. XV. Obſerv. X. Bartholinus Cent. V. Hiſt. XVIII. tum & *ædemati* & *ſcirrho* ab iisdem cauſis, quas paulo ante in §. 66. recenſuimus, enato, vid. Foreſt. lib. XV. Obſerv. IX.

71. Reliquum eſt, ut *Linguam* præſenti ſubjiciamus conſiderationi, quæ quidem *magnitudinem* aliquando ſortitur præternaturalem ab *ipſo ortu*, ex materiæ ſpermaticæ & nutrimenti accedente ubertate, ita quidem ut pro facili articulatæ vocis expreſſione & maſticationis ac deglutitionis promtitudine non absque difficultate quapiam moveatur; vid. M. N. C. Decur. II. Ann. II. Obſ. LI.; aliquando *talem* poſtea adipiſcitur, vid. M. N. C. Dec. II. Ann. IV. Obſ. LI. Anni IV. Obſ. XIX. Decur. I. Ann. VI. & VII. Obſerv. IX. Job. van Mekreen Obſervat. Medico-Chirurg. cap. XXIII., vel ab *inflammatione*, vel *ædemate*, vel *ſcirrho*, diverſam humorum influentium & ſubſiſtentium dyscraſiam inſequente; ſed & inſuper à *ſalivæ* ſpontanea vel ſub *ptyalismo mercuriali* concitata *exundantia* & *abſorptione*, aſſumtis *fungis* venenatis, aut *ictibus morſibusq;* ſuſceptis *intumeſcit*. *Eminentias ſcirrhoſas* juglandis magnitudinem excedentes, ſive glandu-

loſos

loſos tumores partim anteriorem partim laterales linguæ partes occupantes in ditione Baſilienſi obſervavit Th. Zvingerus Theatr. Prax. Medic. p. 69., ſed & *verrucas* ibid. excreſcere, ab extravaſato per fibrillas ruptas ſucco nutricio, in ſubſtantiam fibroſo-tendinoſam concreſcente enatas experientia docet, vid. Marcell. Donatus de hiſtoriâ mirabili lib. III. c. V.

72. *Ulcus* noma dictum vel *ulcus aquoſo-cancroſum* linguam graviter afficiens accurate deſcriptum proſtat in Yvonis Gaukes praxi chirurgico-medica cap. XXXVIII. conf. Muis Obſervat. Decadis II. Obſ. X.; quale utplurimum omnem Medici operam eludere ſolet, ſicuti & alii *tumores cancroſi* linguam obſidentes ſanationis ſpem nullam relinquere conſueverunt. *Abſceſſum linguæ* Decur. II. Ann. III. Obſ. CXXXVI, *apoſtema* Decur. I. Anni IV. & V. Obſ. CCIX., *atheroma* Decur. II. Ann. II. Obſ. LXXVII., *fiſtulam* Decur. II. Ann. II. Obſ. LII., exponunt.

73. Peculiaris linguæ *tumor* conſpicitur *ranula*, βάτραχος Græcis denominatus, vel quod poſteriorem ranæ partem aliquali figuræ ſimilitudine referat, vel quod noñulli ægri eo obſeſſi nonniſi coaxando inſtar ranarum loqui poſſint, vid. Diemerbröck. hiſt. med. XLIV., mollis & laxus, qua parte illa vinculo quaſi alligata eſt adnatus, à chyli lymphæque portionibus terreo-ſalino-limoſis inter glandulas fibrasque laxiores depoſitis natales ſuos accipiens, vid. Stalpart. van der Wiel Obſervat. rariorum Centur. I. Obſ. XX. & annexum ſcholium. Præterea *calculos ſub linguâ* juxta M. N. C. Decur. II. Ann. V. & VI. Obſ. CXLII. & append. ibid. p. 91., Decur. III. Ann. X. Obſerv. CXVI. Plater. Obſerv. lib. III. p. 887. & lib. II. p. 377., *vermes intra venas ſublinguales* ſtabulantes juxta Miſc. Nat. Curioſ. Decur. I. Ann. VIII. Obſerv. C., reperire eſt.

74. *Lingua*

74 *Lingua duplex* in puella bilingui elingui ex Miſc. N. C. Decur. I. Anni IX. & X. Obſ. CXXXVII., aridi *inſtar ligni immobilis* in ore hærens ex Decur. II. Ann. VI. & VII. Obſ. IX., *ſemiparalyſi affecta* ex Dec. I. Anni VI. & VII. Obſ. XCII., *cum ſpasmo faciei tremula* ibid. Obſ. XV., *motu convulſivo* cum labiis & palato à ſubitaneo terrore agitata ex Plater. Mantiſſ. Obſervat. III. pag. 9. nobis innotuit.

75. *Aphthæ* nuncupantur *ulcuſcula*, in ſuperficie linguæ palati faucium oris quin & œſophagi conſpicua, cum inſigni ardoris ſenſu moleſta, à ſero lymphatico, acri, ſalſo, corroſivo, illuc effuſo enata. Sic *aphthoſa cruſta* linguæ & palato pertinaciter adhærens in Antonii de Heide Centur. Obſervat. medicar. III., *efflorescentia candicans* in partibus oris interioribus infantium in M. N. C. Decur. III. Anni II. Obſ. CC., *aphthæ* ab emplaſtro veſicatorio in vicem tabaci maſticato in Decur. II. Anni VIII. Obſerv. LXXIX., *aphthæ neglectæ* pediſſequam habentes oris putredinem tantam, ut ante inſtans mortis punctum infantibus mandibulæ ſponte exciderint, atque caro circa illas gangrænoſa exciſa fuerit, in Miſc. N. C. Decur. I. Ann. II. Obſervat. XXXV., videantur.

76. Sed & memoranda in præſentiarum erit *linguæ adſtrictio*, ἀγκύλωσις in ἀγγυλογλώσσους, ſive à *frenulo* denſiori vel ſtrictiori firmior ad os *ypſiloideum* adnexio, ejusdem extra labia, ad papillarum ſub lactatione apprehenſionem, neceſſarium, agilemque libere ad articulatæ vocis enunciationem, motum impediens; ut eapropter *frenuli inciſionem* chirurgi inſtituere, peſſime autem obſtetrices cum unguibus ejusdem divulſionem vel rupturam moliantur, vid. Sculteti Armam. Chirurgic. Tabul. XXXIII. Fig. IV. Solingen P. I. c. XLV. Dolæus

Encyclopæd.chirurg. lib.I. cap.XVIII. Mauriceau lib.III. c. XXIII.; in qua operatione nihilominus circumſpecte procedendum eſt, ne vicini nervi aut ductus ſalivales ſublinguales aut vaſa ſanguifera lædantur, leg. Guilielm. Fabric. Hildan. Cent. III. Obſerv. XXVIII. Gregor. Horſtii Operum Medicor. Tom. III. ad Decad. IV. Problem. Quæſt. I. Obſervat. p. 116. Roonhuyſen Chirurg. P. I. Obſ. XI.

77. *Linguæ vulnera* ſive ab inſtrumento ſecante ſive urente inflicta, ſi partem aliquam linguæ penitus ſeparaverint, etſi internecionem haud inferant, *reparationem* tamen in adulto corpore amiſſæ partis haud capiunt, leg. Jacob. Rolandi de Bellebad chirurg. Salmurienſis agloſſoſtomographia è gallica in latinam verſa à Viro tum de Academia Imperiali, tum de re medica omni ſummè merito Carolo Raygero Seniore in Miſc. N. C. Decur. I. Ann. III. p. 579.; quod ſi verò à dentibus, aut ſub convulſionum epilepticarum inſultu, aut extra easdem, ſub lapſu aliaque valida dentium colliſione intercepta *aliqua portio linguæ abſciſſa* quidem, ſed reliquæ ſubſtantiæ carnoſæ adhuc quodammodo *connexa* remanſerit, quale exemplum in Miſc. N. C. Decur. I. Ann. IV. & V. Obſ. CCVIII. & aliud à nobis communicatum in Decur. II. Anni IX. Obſ. CCXXIII. adeſt, conſolidationem admittit, ſed tarde tamen & ægre coaleſcit, tum ob ſalivæ perpetuam alluviem medicamenta admota abluentem, tum & linguæ ſub loquela maſticatione & deglutitione neceſſarium motum.

78. Inter *ſymptomata linguæ* notiſſimæ deprehenduntur ejusdem *actiones læſæ*. Siquidem aboletur ejusdem *motus*, & quidem modo *univerſæ*, modo *partis dextræ* aut *ſiniſtræ*, vel culpa *conformationis* malæ ab ortu acquiſitæ,

vel

vel *denegato ſpirituum animalium* ſub apoplexia aut paralyſi in nervos V. & IX. conjugationis Williſianæ *influxu.*

79. *Guſtus* pariter *aboletur, nervorum* ſpiritus animales pro ſenſatione ſubminiſtrantium *defectu*, uti in Lazaro Vitrivorace nullo dum viveret guſtu prædito, nervis guſtatoriis neque ad palatum neque ad linguam dimiſſis, ſed ad occipitium reflexis, vid. Realdus Columbus lib. XV. Anat. Sennert. lib. III. Med. Pract. Part. I. Sect. I. c. III.; vel *eorundem extremis propaginibus papillis* dictis à ſeroſa colluvie oppletis, muco viſcidiori glutinoſo obſeſſis, ariditate nimiâ conſtrictis: ſed & porrò *idem depravatur* ſapore amaro, ſalſo, acido, acido-auſtero, perpetuo, citra objecta talem offerentia, immanente, à ſero lymphatico & ſalivali, quod naturaliter ἄποσον eſſe debebat, ejusmodi particulis ſalinis inquinato, hincque ſaporem peregrinum inprimente.

80. *Loquela aboletur* in *aphoniâ*, vel *nativa* in illis, qui muti ab ortu ſunt, ſicuti à nativitate ſurdi plerumque muti remanent, vid. M. N. C. Decur. I. Anni I. ſchol. ad Obſ. XXXV. p. 115., vel *ſuperveniente ob linguam amiſſam vel deperditam*, (naturales enim vires excedunt & miraculis adſcribenda martyrum exempla, qui exſectis linguis locuti ſunt, vid. citat. ſcholion p. 119. & *rarioribus* contingentibus accenſenda *hiſtoria* Petri Durandi, qui quinto vel ſexto ætatis anno variolis correptus integra perdita ſub gangræna vel putredine lingua, perfecte nihilominus loqui potuit in citata paulo ante agloſſoſtomographia cap. 1. deſcripta, dum proculdubio, quod in cap. II. p. 566. ſuperſtes eo in loco, ubi lingua antea fuit, remanſiſſe memoratur duplex corpus planum & in oris fundo ſitum, carne conſtans muſculoſa lineaque

distinctum secundum longitudinem excurrente linguæ vices supplevit,) ob *eandem* nimium *humidam, abscessu, ulcere, variolis* obsessam, vulnere *læsam, arctius frænulo annexam*, deniq́ue ob *spiritus animales* per *nervos* aut non influentes, aut spirituosa energia actuante destitutos, aut absumtos, aliorsum avocatos, aut in influxu suo & distributione interruptos atque turbatos, aut abstrusas alias causas τὸ θεῖον simul complectentes. Exempla si quæratis, eadem plura nobis suppetunt, nimirum *aphoniam subitaneam* Misc. N. C. Decur. I. Ann. III. Obs. CXXI. & Anni IX. ac X. Obs. LXXXIX., *raram* Decur. II. Ann. I. Obs. XCVII. & schol. annexum, Actor. Hafniens. Vol. II. Observ. XXCVI., ab *hemicraniâ* Hagendorn. Cent. I. Hist. XXXIX., per *XXIV. horas in febre maligna præsentem* ibid. Histor. XLII., *chronicam* Misc. N. C. Decur. III. Ann. III. Obs. CXIII., à *casu absq́ ulla læsione* Decur. I. Ann. II. Obs. CXX., à *fracta cranii particula* Decur. II. Ann. I. Obs. XCI. à *percussione* Decur. II. Ann. VIII. Obs. XV. Hippocr. Sect. V. Aphor. LVIII., à *sectione venarum hypoglottidum* Decur. III. Ann. V. Obs. CXLV., à *variolis* Decur. I. Ann. II. Observ. CCI. Decur. II. Ann. I. Obs. XXXVIII. Decur. III. Ann. I. Obs. LV. p. 78., ab *ebrietate* Hippocrates Sect. V. aphor. V., ab *ulceribus capitis manantibus siccatis* Decur. II. Ann. VI. Obs. XXV., Salmuth. Cent. II. Obs. CXXIX., à *vaporibus sulphure narcotico & arsenicali infectis* Dec. III. Ann. IV. Observ. VIII., à *piscibus matri gravidæ denegatis in infante* Misc. N. C. Decur. III. Anni IX. & X. Obs. LXXXVI., à *vermibus* Decur. III. Ann. V. Obs. CLXX., Decur. III. Ann. IV. Observ. XLVII. Decur. III. Ann. V. schol. ad Obs. XXV., à *vivis cancris eorumq́ adhuc calentium suscepto odore* Decur. I. Ann. II. Obs. CXLV., à *fascinatione* Decur. III. Ann. II. Obs. CLXIX., sub *recitatione certarum precum cessantem* Decur.

cur. III. Ann. III. Obſ. CXXX., poſt *ſonum rupturæ quaſi in collo factæ repente ablatam* Miſc. N. C. Decur. III. Anni III. Obſerv. CXII., nobis ſuggeſſerunt. Memorabilem hiſtoriam *de muto quavis hora I. pomeridiana loquente* Decur. II. Ann. III. Obſ. XLI. ſuppeditat.

81. *Loquelæ depravationem* efficit ψελλότης *balbuties*, literas aut ſyllabas quasdam inter pronunciandum abſorbens vel quaſi ſupprimens, τραυλότης *blæſitas*, literam unam vitioſe pro altera ex. gr. R. S. pronuncians, aut pronunciare impotens; dein ἰσχνοφωνία ſive *hæſitantia* aut unam dictionem ante loquelam perfectam aliquoties repetens, aut inter loquendum titubans, etſi nonnulli *idem nomen* de *voce tenui exili* vel *gracili* interpretentur: Ejusmodi autem *vitia* linguæ malæ conformationi, nimiæ amplitudini, longitudini, quin & brevitati, fræni arctiori adſtrictioni, aut immodicæ ſiccitati, aut exceſſivæ humiditati, aliisque cauſis fibris linguæ motricibus inſufficiens vel minus adæquatum robur impertientibus, aut hocce impedientibus aut pervertentibus imputari ſolent.

82. *Symptomatibus retentorum*, quæcunque *præter naturæ conſuetudinem & uſum* circa linguam gignuntur & detinentur, *excretorum* autem *ſalivæ* quoad quantitatem, qualitatem motumq; morbidus illuc factus confluxus, atque venæ ſectione ſub lingua incaute adminiſtrata lethalis ibi hinc facta *hæmorrhagia*, in Miſc. Natur. Curioſor. Decur. I. Anni IV. & V. Obſ. XXCI. Decur. III. Anni. III. Obſ. XII., accenſeri merentur.

83. *Qualitates* denique *mutatæ* ſub linguæ pallore, albedine, rubedine, nigritie, flavedine, aſperitate, ſcabritie, fiſſura, ſalſedine, amaritie ſeſe produnt, de quibus conſulatur libellus eruditiſſimus Prothi Caſulani

Senenſis de lingua, qua maximum morborum acutorum ſignum lib. II. cap. IX. & ſeqq.

84. Poſt linguam reliquum eſt, ut tantiſper adhuc diſpiciamus *ſalivam præternaturaliter* ſeſe habentem, *qualis* exiſtit: (a) *quantitate excedente* dum majori, quàm naturalis ſymmetria fert, copiâ intra oris cavum confluit & inde exundat, ſive id ſub *ptyalismo naturali*, eoque quandoque critico quandoque ſymptomatico, à ſeri ſuperfluitate, & inſequente ulteriori preſſione, aut ejusdem acrimonia irritativa & ſeptica, aut fibrillis glandularum laxioribus aut in ſpasmos crebriores coactis, aut ductibus & vaſculis excretoriis amplioribus aut ſolutionem continui paſſis eveniente, ſive *artificiali* à mercurii ſale volatili acri ac ſulphure terraque arſenicali per materiam ætheream interfuſam circumrotatis, atque per ſpiritus magis magisque impulſis ſerum lymphaticum liquantibus, fibrillasque glandularum & ductuum ac tubulorum ſalivalium lancinantibus, ſed & à mitioribus quibusdam vegetabilibus ſale volatili acri ſimilem effectum cientibus obtingente, fiat: vid. Miſc. Nat. Curioſ. Decur. II. Ann. IX. Obſerv. CII. Anni VI. Obſerv. CVII. Anni V. Obſerv. XX. Decur. III. Ann. III. Append. p. 84. Decur. II. Anni VI. Obſerv. CXCVIII.; (b) *quantitate deficiente* à ſeri inopia, abſumtione aut aliorſum facta effuſione, ductuum & tubulorum anguſtia vel compreſſione dependente, vid. Nuckii Sialograph. C. III. p. 63.; (c) *conſiſtentia vitioſa* ſub glutinoſitate, viſcoſitate, tenacitate, lentore notabili, atque particulas chyli ſeriique indigeſtas ac craſſiores præſupponente; (d) *ſapore præternaturali* acido, acido-auſtero, acerbo, amaricante, ſalſo, &c. à particulis ſimilibus fluidis catholicis ſupernatantibus communicato, leg.

Miſc.

Miſc. Natur. Curioſ. Decur. II. Ann. IV. Obſerv. CVI., ſed & dulci nauſeoſo poſt febrem tertianam in Miſcell. Natur. Curioſor. Decur. II. Ann. VIII. Obſerv. LVIII.; (e) *malignitate* per morſum ictumque animantium rabidorum aut venenatorum atque contagium virtuale impreſſa, adeoque neutiquam deglutienda, conf. Miſc. Natur. Curioſor. Decur. I. Anni IX. & X. Obſerv. CLXX.; (f) *concretione calciformi & calculoſa* vid. Decur. II. Ann. IV. Schol. ad Obſerv. CLX. & append. ad Decur. III. Ann. VI. & VII. p. 91. Blancard. collectan. medico-phyſic. Centur. V. Obſerv. XLVIII.; (g) *cruore permixta* in Decur. II. Ann. VI. Obſerv. CLXXXIV.; (h) *verminoſa* in append. ad Decur. II. Ann. IV. pag. 195.; (i) *purulenta* ex vini hiſpanici potu in Miſcell. Natur. Curioſor. Decur. II. Ann. VI. Obſerv. XXIX.; (k) *ſialodi ſive ſalivali tumori incluſa* in Kerckring. Spicileg. Anatom. Obſerv. LXVIII. Miſcell. Natur. Curioſor. Decur. II. Ann. IV. Obſerv. CLXI. Nuck. Sialograph. p. 70.; (l) *extravaſata* ductibus & vaſis excretoriis ſolutionem continui perpeſſis, vid. Diemerbrock. Anatom. lib. III. cap. XXIV.

85. Exſcripta eſt typis anni ſuperioris ſupra milleſimum ſeptingenteſimum undecimo menſ. Decembr. Tubingæ Diſputatio Medica, Præſide Excellentiſſ. D. D. Elia Camerario Prof. Publ. reſpondente Georgio Tobia Camerario, ubi exhibetur *Salivatio ſine Salivatione*, æger ſcilicet venerea labe infectus miſereque tortus, qui moleſtam illam, quæ per ſalivationem dicitur & inſtituitur, ſanationis viam ingreſſus, ſalivæ equidem quem expetebat fluxum nulla arte procurare valuit, deperditam nihilominus ſanitatem præter ſpem conſecutus eſt pleniſſimam & firmiſſimam; quæ ſicuti

plura

plura lectu dignissima complectitur, ita nos quoque experientia dudum docuit, sæpissime ex voto luis gallicæ expugnationem succedere, si mercurius in usum eo modo vocetur, ut citra salivationem reconditum virus debellet.

TANTVM.

ΕΠΙΣΑΓΜΑ
SPECIMINI II.
DISQVISITIONIS CORPORIS HVMANI ANATOMICO-PATHOLOGICÆ
ſubjiciendum.

In eo enim cùm recenſuerimus *affectus muſculorum abdominis*, animo autem tum temporis in varias interpellationes diſtricto excide-rit *morbida diatheſis oſſium*, *hanc ipſam* hîc ſubnectere lubet.

§. 1.

Vertebræ lumbales validæ loco ſuo dimoventur, & *introrſum luxantur*, à violentiori lapſu ex alto in prominens durumque corpus, cum ſubſequente, propter incluſam ſpinalem medullam compreſſam, ſpirituumque animalium interceptum affluxum, partium ſubjectarum paralyſi: ſic triginta octo abhinc annis vir juvenis ex annoſa quercu, quam glandium excutiendarum gratia conſcenderat, ad nodoſas eminentiores ſubjectæ terræ radices inopinato lapſu præceps datus, ſimilem inde perpeſſus paralyſin, artubus ſuperioribus motibus ſpasmodicis violentiſſimis ſimul exagitatis, mox omni ſenſuum miniſterio privatus exſpiravit.

2. *Easdem* una cum *oſſibus ſacro innominatis* & *coccygis* ſæpe graviſſime affligit *lumbago ſcorbutica*, inducta à dyscraſia fluidorum catholicorum acri ſcorbutica, ſolutionem continui cum irritatione ſpasmodica ibi intentante.

3. *Os ſacrum* ſingulatim exteriora verſus in gibbum incurvatum haud ita pridem vidimus in puero trium annorum ſtupido, loquendi beneficio & incedendi potentia adhuc deſtituto. Idem *carie* eroſum obtigit videre Antonio Molinetto in xenodochio incurabilium Venetiis, vid. Diſſertat. Anatomico-pathologic. lib. II. c. V., atque cum oſſe, quod caudæ dicitur, in partu loco ſuo dimotum Job. van Meckreen Obſervat. medico-chirurgic. cap. LVIII. p. 272. deprehendit.

4. *Oſſa innominata*, quo loco os ſacrum medium amplectuntur, appropinquante partu ob fibrarum muſculoſarum membranacearum ac tendinoſarum extenſionem tenſivam ſuſtinent moleſtiam, allegatus vero Molinettus etiam ſemel conſpexit ſejunctum à latere ſiniſtro os-

fis sacri *os ilium alterum*, in fœta muliere, cui morbo partus difficilis omnino & ærumnosus occasionem dederat.

5. *Ischiadicus dolor* acerbus *in coxâ*, præcipue circa acetabulum vicinasque partes, ab irritatione & corrosione fibrillarum nervearum & membranacearum ac tendinosarum ibi annexarum, per humores acres salinos diversimode cædendo, pungendo, lacerando, lancinando solutionem continui iisdem intentantes facta, evenit.

6. *Luxatio femoris ex osse ischii* tunc accidit, quando tuberosum *illius* caput ex *hujus acetabulo* expellitur, & quidem in anteriorem rarius in posteriorem, tum & interiorem ac exteriorem sæpissime partem, *idq;* efficitur utplurimum *à causis externis*, casu, ictu, violenta femoris extensione, distorsione, vel etiam saltu, quod postremum in virguncula quadrienni elegantissimæ formæ factum vidimus, rarius ab *internis*, humorum serosorum nimia alluvie ligamenta dictum os in situ suo firmantia nimium relaxante, vel collecta & concreta intra acetabulum materia mucaginoso-terrea vel calciformi & gypsea, reconditum ibi caput sede sua paulatim dimovente. *Ipsum* autem *os ischii* si *fracturam* acquirat, qua pro articulo femoris excavatur, irreparabilem ejus luxationem infert.

7. *Ossa pubis carriosa* ab *incumbentibus gallicis bubonibus* mediante pure per cuniculos eousque diffuso admittere Chirurgi norunt, atque ipsi in Nosocomio Patavino ad D. Franciscum majorem olim notavimus; sub *partu laborioso illa divelli ab invicem in medio*, fœtu exitum in dias hunc luminis cruras moliente majori, Molinettus affirmat l. c. atque Ambrosius Paræus lib. XXIV. c. XIII. Solingen Embryulc. cap. IV. in fine, Gvil. Fabric. Hildanus Cent. VI. Observ. XXXIX. Stalpart van der Wiel Obs. Cent. I. Obs. LXVI. p. 286. Misc. Nat. Cur. Decur. III. Ann I. Obs. CCLV. confirmant.

8. *Ossium coccygis immanem dolorem* M. N. C. Decur. II. Anni IV. Obs. CXIII., *luxationem* autem versus interiora factam Misc. Nat Cur. Decur. III. Ann. V. & VI. Obs. XXIV. exhibet, & Job. van Meckreen Observat. Medico-chirurgicarum cap. LIX. describit.

FINIS.

Cum Ideæ machinæ humanæ anatomico-pathologicæ Decadem Programmatum nostrorum Anatomiis solennibus præmissorum antehac adjunxerimus, Coronidis loco hic superaddere voluimus duo postrema luci publicæ data Programmata.

PRO-

PROGRAMMA ANATOMICVM XI.

L. B. S. O.

EQvidem Aristoteles humanæ indolis gnarus, ex fide qvotidianæ observationis, lib. I de partib. animalium capite ultimo scripsit, vix fieri posse, ut ea sine magna abominatione aspiciamus, ex qvibus corpus constat humanum, uti sangvinem, carnem, ossa, venas, & reliqva ejusdem generis: Sed verò neutiqvam nos ejuscemodi nausea imaginaria deterrere, quin potius ex corporum resectorum oculata inspectione in humani generis salutem & boni publici emolumentum cedens usus multimodus allicere debet, memores, cuiqve pulcherrimæ rei aliqvam difficultatem adjunctam esse, nec qvicqvam magnificum ac ingens absqve molestia parare licere. Etenim præterqvam qvòd per αὐτοψίαν comparanda, partium singularum structuræ, situs, connexionis vasorumqve apparatus, noticia firmissima, de causis sanitatis nos certiores reddat, atqve illarum usum animo complecti faciat, eadem etiam efficit, ut remedia topica in gratiam subjectorum viscerum rectè admoveamus, & horridiorum præsidiorum adhibendorum ingruente necessitate, nec trepidemus metu, nec audacia erumpamus; vere adeo Galenus lib. de Administr. Anatomic. II. cap. 2. qvid utilius esse possit Medico quæsivit, ad vulnera, qvæ in bello accipiuntur, ac telorum extractiones, ossium excisiones, luxata, fracturas cum vulnere factas, item ad fistularum, sinuum, abscessuum incisiones, & quæcunque alia hujus generis, qvam omnes & manuum & crurum particulas accuratè cognoscere? moxqve subdidit, nisi noveris ubi aut nervus aut musculus præcipuus situs sit, ubi verò arteria aut vena magna, interim mortis magis quàm salutis hominibus eris autor, interdum verò mancos efficies. Qvid dicam de abstrusioribus morborum causis, de vitiis organicis, tumoribus & abscessibus reconditis, spem artemqve medici eludentibus omnem, ut inde plures fato concesserint, dum post mortem demum suscepta cadaverum

inſpectio mali ſpeciem revelavit, hinc πολυμαθέστατος Th. Bartholinus conſilium de anatomia practica ex cadaveribus morboſis adornanda poſteritati typis impreſſum reliquit ſapientiſſimum, & Anatomicus exercitatiſſimus Joh. Conrad. Peyerus methodum hiſtoriarum anatomicarum erudite concinnavit, exemplo aſcitis vitalium organorum vitio ex pericardii coalitu cum corde nati illuſtratum, præprimis autem ſingulari labore Theophilus Bonetus in ſepulchreto, hiſtorias & obſervationes omnium pene humani corporis affectuum ipſorumqve cauſas reconditas in cadaveribus perſpectas complexus eſt. Nam ſicuti ex malis moribus bonæ leges naſcuntur, ita ex morboſis corporibus viſis ſalutaria artis medendi præcepta conſtrui poſſunt, æqve ac Tullius olim Reipublicæ Romanæ ſervandæ ope ſua & facundia eo melius ſubvenire poterat, qvia exulceratam per Jugurtham, per Catilinam, per aliorum ambitum, per mille vitia, probe jamdum noverat. Adhæc in forum ſæpius vocantur Medici, ut judicium reddant à cadaverum inſpectione petendum, ſi qvis ex violentia externa illata, nempe lapſu, contuſione, percuſſione diem obierit, aut vulnere cæſim punctimqve inflicto graviore ſauciatus interierit, aut veneno interemtus habitus fuerit, aut in dubio ſit, utrum qvis cum vulneribus mortuus ſuſpenſus repertus, aut undis ſubmerſus poſtea protractus, ante fatalem vitæ terminum vel poſt eundem demum læſiones ſuſceperit? item ſi necdum conſtet, utrum infans partui maturus nec ne extiterit? vel talis partu excluſus jamjam intra uteri ergaſtulum vita orbatus, aut extra idipſum nece extinctus perierit? Ubi me hercle plures & ſingulas ad probæ mentis trutinam revocare circumſtantias oportet, ne conſcientiam noſtram violemus, aut accuſati vitam in diſcrimen temere trahamus, qvapropter tempeſtive inſtituere inveſtigationem, ad declinandam putredinis vim, mutatam prorſus à naturali faciem partibus inferentem, nec in unius alteriusve membri aut ſaltem externi habitus perluſtratione acqvieſcere, qvin interiorum ſcrutinium etiam ſuſcipere, contuſionis & plagæ vehementiam, vulneris ſitum, amplitudinem, profunditatem, fracturæ, fiſſuræ, depreſſionis qvantitatem & qvalitatem perpendere, ipſam ſectionem ſuſpenſa & provida manu celebrare, partium præprimis

mis conformationem organicam nativam exacte scire, addecet, ut adeo non immerito hactenus sæpius ingemuerim, relationibus vulnerum à barbitonsoribus & balneatoribus Anatomiæ imperitissimis nobis oblatis infidelibus & præposteris. Sed de hisce alio tempore differendi commodior obveniet occasio: Nunc enim saltem intimare juvabit, me Anatomen corporis feminei in Theatro nostro celebraturum, &, qvantum per temporis brevitatem diesque feriatos licebit, ventrium trium artuumqve superiorum & inferiorum partes qva continentes qva contentas in conspectum deducturum esse: ILLVSTRIS namqve SENATVS NORIBERGENSIS pro singulari, qva Palæocomen suam fovet benignitate, atqve plusqvam paterna ad promovendum artium & scientiarum omnium incrementum cura, encomiis æternis deprædicanda, sacra hæc Anatomica fieri benevolentissime concessit. Agite igitur

MAGNIFICE DN. RECTOR,
PATRES ACADEMICI EXCELLENTISSIMI,
GENERIS PROSAPIA ET ERVDITIONIS NOBILITATE
FLORENTISSIMA STVDIOSA JVVENTVS,

tantum toti vestro dare haud gravemini, ut ad unam alteramve horulam more vestro, id est, benignissime me auscultare velitis. Ego reapse id agam deinceps, oblata in rem eam opportunitate, ut de studio meo, de Vobis omnibus & singulis bene merendi, luculentissime constet. Valete interea & animis lingvisqve favete.

Scribebam calamo tumultuario de viâ curisqve fessus.

Altdorfi P. P. D. xxv. Martii A. C. M DCC VI.

PROGRAMMA ANATOMICVM XII.

Vitæ mora brevis ſpes nos vetat inchoare longas.
Diſcamus autem tamdiu cum Solone
quamdiu vivimus.
Et cum optimi conſultores ſint mortui
Ex hisce diſcamus quæ viventibus profutura novimus
Anatomes nobis prælucente face.
Nos adeo ut cognoſcamus
Maſculinum Corpus
ex infirmis fluidisque contextum
lineamentis externis nitidum
interiori partium apparatu mirandum
ſcrutabimur.
Galeno monſtrante viam
Sapientiam virtutem & bonitatem
Divini opificis
In homine condendo adhibitam
hominibus aliis eloquendo
veram pietatem colemus
magis futuram acceptam
quam ſi taurorum hecatombas immolaverimus
aut caſias atque aliorum unguentorum myriadem
crepitantibus admoverimus focis.
In Capite
capiemus cum Platone quicquid cœleſtis & ætherei ineſt.
Diffractis Cranii mœnibus oſſeis
Menyngumque membranaceis revolutis velamentis
Palladis Mnemoſynesque delubrum
intuebimur Cerebrum.
Argolici clypei aut phœbeæ lampadis inſtar
tremulo fulgore micantes
aſpiciemus oculos.
Emeriemur ſinuoſum aurium antrum
Et labyrintheos obliquo tramite flexus
Ariadnæo ſuperabimus filo.
In Thorace
citra Momi feneſtellam pectori à Momo expetitam
ſemoto cor pandemus pericardio.

Ocea-

Oceanum ibi ſanguinis purpureosque mæandros
per Aſiam hominis minorem diffitasque animæ provincias
ſeſe diffundentes
attente proſeqvemur.
Pulmonum cavernulas & aëris antra
ubi Æolus ante
ventorum clauſo regnavit murmure
aperiemus.
Poſt diaphragmatis diſſepto transverſo ſepto
in Abdomine
ad abdita viſemus interanea
Et individui conſervationi & ſpeciei propagationi
deſtinata.
Explorabimus in ventriculo appetitus ſedem
ſine hortatore Apicio gulæ delectamenta
ac jucundas animantibus cupedias.
Inteſtinorum gyros & anfractus longos
brevi meſenterii vinculo comprehenſos
indagabimus.
Omentum ſacrificiorum molle operimentum
opimum victimarum ſuccendiculum
digitis tentando blande tangemus.
Excutiemus ſine ſuperſtitione extorum princeps viſcus
Epar
ſecundæ ac adverſæ valetudinis notas ibi lecturi;
quin & cum Democrito Abderita
absque Divinorum operum odio
natale ſolum bilis inveſtigaturi.
In Liene quicquid muneris ratione in altum fortuna tulit
hinc ruitura levavit
viciſſitudinis memores expendemus.
Pancreatis conglomeratam æqua lance
penſitabimus compagem.
Renum aquæductus & ſecernendi ſeri tubuli
cum veſicæ ciſterna
à Microcosmo diluvium
pleno impetu alius ipſum inundaturum
avertentes
curioſum advertent ingenium.

Hinc

Hinc docilis casti nostris solertia curis
Ad organa sexus potioris tendet
generationi famulantia;
Vasa heîc disquiremus spermatica
Ad virilitatis testes provocabimus
amoris poma
titillantis lasciviæ fluore
spumaque libidinis albida
turgida.
Continuò palam erit
mensura incognita nervi
rerum gerendarum.
In sceleto & artubus demum extremis
non quidem Palladii ex ossibus Pelopi facti somnium fingemus
nec Hippolitum Æsculapii arte ab inferis revocatum concipiemus
quin nostram vermium esca deperdita carne futuram imaginem
mente præsumturi
cum Trimalcione exclamabimus!
Heu heu nos miseros quam totus homuncio nil est
sic erimus cuncti postquam nos auferet orcus.

VOS

Qvos æqvus amavit Jupiter
atqve ardens evexit ad æthera virtus
Et natura artis sibi ac pulchritudinis suæ conscia
Spectatores tantis rerum spectaculis
genuit
perditura sui fructum
si tam magna tam clara tam subtiliter ducta
solitudini ostenderet
comparete quæso frequentes
atqve dum Jove sati estis & ad sapientiam
singuli conspiratis
Diogenis vel Heracliti ore advocati

INTROITE
NAM ET HIC DII SVNT.

Altdorfi P. P. Ipsis Calendis Maji A. C. MDCCIX.

INDEX.

A.

Abortus 131 dentatus viſus 322
abſceſſus 12 cum folliculo 11. 14
acephali 221
achores 224
acies nocturna oculorum 287
acrochordones 127
acuſticus meatus. vid. Meatus acuſticus.
aduſtio 12
affectus ſoporoſi. vid. Soporoſi affectus.
agrypnia 260
albugo 291
alphus 5
alvi fluxus 54
alvina excretio glandularum 54 membranoſi corporis, ib. pellicularum membranacearum ib. portionis inteſtinalis ib.
amarities oris 64
amavroſis 299
anoſtomoſis 55 hæmorrhoidum, ib. vaſculorum naſi 337 pulmonalium 195 renalium 72. 79
anaſarca 11. 13
ancylophlebaron 276
androgyni 112
angina ejusque ſpecies 201
angulorum ocularium eroſio 281 vermes 282 ulcuſculum 281
ani clauſura 52 condylomata ib. fiſſuræ ib. procidentia 51 pruritus 52 thymi ib. verrucæ ib.
ani ſphincteris carne facta oppletio 52 ſpasmodica conſtrictio 53
anorexia 31
anthrax. 7
antrum Highmori muco repletum 321
aphonia 206. 351 ejus variæ cauſæ & ſpecies 352
aphonia poſt ſonum rupturæ quaſi in collo factæ repente ablata 353 ſub recitatione certarum precum ceſſans 352
aphthæ 349 neglectæ oris putredinem inferentes ib.
apoplexia 219. 247. 262
appetitus auctus 32 depravatus, ib. imminutus 31
aqua pericardii. vid. Pericardii aqua.
aquæ excretio ex gula 44
aqvula 277
ardor 31. 64
arteria aſpera. vid. Bronchus.
arteriæ ſpermaticæ circuitus extraordinarius 89
arteriæ ſpermaticæ deficientes 90 numero quatuor. 89
aſcites. vid. Hydrops.
aſthma 192 convulſivum 194
atheroma 12
atretæ 126
atrophia 56. 57
auditus abolitus, depravatus, imminutus 311
—— actio aucta 315
—— vulneribus capitis perfectiſſime reſtauratus. 305
aures curtæ, mutilatæ 303
auriculæ aſininæ, leporinæ 305, monſtroſæ 304
auricularum abſentia noxia 303 inflammatio 301 lobi perforandi 305 œdematoſus tumor 301 uſus 304
aurium defectus 303 dolor ejusque ſpecies 309 fluxus cum ſpeciebus & cauſis 315 fiſtulæ 306 fractura ib, tinnitus vel ſonitus 314 ulcera 306 vulnera an lethalia 305, excreta p. n. 316, qualitates mutatæ ib, retenta p. n. 315

B.

Albuties 353
barba ad genua uſque demiſſa 343 cœrulea 344 colore duplici, ib. futura indicans ib, longitudinis extraordinariæ 343 plicæ polonicæ implexa 344 pueri 3 annorum ib, ſponte excidens, ib. tenſa gangrænam & mortem excitans ib.

blæſitas 353
bronchi abſceſſus 199 abſc. ganglioformis 215 cartilagines corruptæ 199 exulceratio, ib. hemicycli membranacei exaſperati, obturati, relaxati, reſiccati 198 inflammatio ib, obturatio ex illapſu oſſiculi curata, ib. tunica abraſa 199 vulnera extra thoracem, an, & quomodo conſolidentur ib. intra thoracem an lethalia ib.
bronchia tuberculis ſcirrhoſis circumdata 215
bronchiorum figuram æmulantia pituitoſa coagula per os rejecta 198
bronchiorum inflammatio 197 intemperies humida & ſicca ib, obſtructio per grandines, lapillos, polypoſas excreſcentias, tubercula ib, vulnera & ulcera ib.
bronchotomia 200
bronchocele 215 bufonis vivi hoſpitium 216
bubo 7
bubono-enterocele 19
bubono-epiplocele ib.
bulimus 32. 64

C.

CAchexia pituitoſa 13. 64
cachinnus inuſitatus mortis prænuncius 343
calculi carbonibus ſimiles 86, naſi 338, inteſtinorum 51 renum 75 ſacculo inter duplicaturam peritonæi incluſi 17 veſicæ 82
caligatio 286. 298
calli 5
calvities 221
cancer 7. palati & narium 321
canities 233
canna pulmonum, vid. Arteria aſpera.
canthi oculorum. vid. Anguli oculorum.
capilli cœrulei 224 virides ib.
capillorum canities 223 defluvium 221 evulſio 222 fiſſura ib, luxuries 223 tinea 222
capite deſtituti 221
capitis abſceſſus pus per palatum effundens 321, dolor 259, hiatus rhomboides 231 ligaturæ quid conducant? ib. tumores 225 vulnera 223
carbunculus 7
cardialgia 31
cartilagines arytænoides & guttales, anguſtatæ, occluſæ, relaxatæ 203
cartilago laryngis enſiformis gemina ib.
carunculæ lachrymalis excreſcentia & intumeſcentia 280
carus 261
caſtratio 98
catalepſis vel catoche 252
cataphora 261
cephalalgia 240. 247. 259 ejus ſpecies 260
cerebellum capſulis glanduloſis præditum 257 extra cranium ſitum ib, induratum, ib. inter cranium ac duram matrem reconditum, ib, ſcirrhoſum, ib, vulneratum an lethale? ib.
Cerebri abſceſſus per nares excretus 338
—— conſumtio 248 concuſſio 252 corpus calloſum glandulis duris obſeſſum 244 veſicis dotatum 247
—— Corticalis ſubſtantiæ tubercula glandulosa valde prominentia 246
—— Defectus 248 figura læſa, an hæc noceat ingenio 243
—— Glandula pinealis arenulis occupata 258 corpore duro aſpero onuſta ib, deficiens 259 glandulis aliis circumdata 258 nigricans ib, putrida, ib.
—— Glandula pituitaria deficiens 259 ſero tumida 258
—— gyri deleti 245 inflammatio, an detur? 242. 243
—— infundibulum oppilatum 259 intemperies calida 241 compoſita ib. frigida, ib. humida, ib. ſicca, ib.
—— loco mucoſitas quædam 248
—— magnitudo imminuta 247 meatus ampliati p. n. 245 anguſtati p. n. 244, mercurio gravati, ib. ſanguine oppilati, ib. turbati 245
—— moles nimia 246
—— plexus choroidei glandulis tumidioribus 258 glandulis lucidis cœnoſis duriusculis dotati ib.
—— polypi 247 portio ablata num lethalis? 250 ruptura 256 ſitus perverſus

ſus 252 ſphacelus 256 ſuperficies læſa 245 gelatinâ flavâ obducta 246 ——— ſymptomata 259 vaſa læſa 245 ventriculi ſero repleti 258 vermes 252 vomica 256 vulnera an lethalia 253
Cerebro glans plumbea intruſa 252 lapis innatus 251 ſtyli fruſtulum infixum 252
Cerebrum in abſceſſum abiens 250. 255 exnaribus profuſum 249 purulentum 250 putridum 255 ſanguineis punctis infinitis micans 259
Cerebrum vitiatum quoad excreta 270 qualitates ib. retenta 269
Cerion 224.
Cervicis inflexio vitioſa 217 luxatio ib.
cheilocace 340
chirones 9
cholera humida & ſicca 35. 54. 64
chorea S. Viti 265
chyli lentor 64.
chyloſis læſa 33. 64 in inteſtinis vitiata 53
cicatrices 5
cirſocele 94
clavus in genere 5 in uvea 293
clitoris foras erumpens 128
cœcitas 298. 299 à fumo ligni viridis, ib.
cœliaca paſſio 54
Colli diſtortio 217 glandulæ morboſæ 218 tuberculum ſingulis pleniluniis ruptum 218 vaſa læſa 219 vulnera an lethalia? 220
coloboma palpebrarum 276
color peregrinus cutis 3
coma ſomnolentum 261 vigil ib.
conceptio abolita 130 depravata ib.
condylomata 127
contuſio 12
convulſio 268 canina ib.
Cor adipis copia ferme abſconditum 174 angui bifido flagelloſo ſedem præbens 178 arefactum 168 carunculis deforme 175 conſumptum 173 corrugatum ib. deficiens, pericardio ſolum præſente 174 dextro latere pulſans 176 in dextrum latus retruſum, ib. diſtortum ib. extenuatum 173 glanduloſa & ſubnigricante carne obſeſſum 178 in ſiniſtram cavitatem pectoris detruſum 176 in ſiniſtro hypochondrio palpitans ib. inverſum penitus ib. lapidibus onuſtum 178 maſſa fibroſa obſeſſum ib. mole ſtupendum 172. 173 mucrone bifido 174 oſſibus refertum 179 pathematibus nullis an obnoxium? 171. 172 pilis dotatum 171. 175 prægrande an reddat timidos 173 ſine penetrali 174 ſine pericardio 171 vermibus plenum 178
Cordis auriculæ inſolitæ figuræ & molis 175 ——— capſula vid. Pericardium. ——— intemperies 172 ——— loco maſſula muſculoſæ carnis putridæ 173 mucro excreſcentia quadam gravatus 176 ——— polypus 176 ſuperficies inæqualis 175 ſpaſmus vel tetanus 180 tremor vel palpitatio. ib. tenſio ib. ——— valvulæ oſſeæ 179 ulcera & abſceſſus 180 vitia excretorum & retentorum 181 qualitatum mutatarum 180 ——— vulnera an lethalia 179
corybantiasmus 275
coryza 336. 338
coſtarum caries 150 connexio 149 depreſſio, plicatio ib. fractura ib. induratio in ſubſtantiam oſſeam ib. luxatio 148 numerus varius 150
Cranii aſciatio 238 caries ib. concameratio vel teſtudinatio ib. contrafiſſura 237 contuſio, colliſio 234 dedolatio 238 depreſſio, deceſſio, introceſſio 235 depreſſio laminæ inferioris, exteriore integra 236 effractura 238 eroſio ib. exciſio ib. figura vitiata an homines ineptos reddat? 226 fiſſura 234 læſiones diverſæ ib. muſcus 226 punctura 236 ſeſſio, veſtigium, ib. ſuggrundinatio 237 vulnera an lethalia? 233
cranio ruta muraria ſuperenata 226
cruditas ventriculi vid. Ventriculus.
cruſta lactea 10. 224
cuticulæ defectus 2 relaxatio 3 ſuperficies vitioſa ib. tenſio ib. unitas læſa, ib.
cutis vitiata quoad conformationem, figuram, meatus poros, ſuperficiem 4
cynanche 201

D.

DEglutitio imminuta 39.43 difficilior liquidorum quam duriorum 44. 204
deliria 240. 264
dens ex aure dextra 326
----- ſupra dentem 326
dentes deficientes exceptis molaribus 323 elapſi trium dierum ſpatio renati 322 futura indicantes 323 gemina vel triplicata ſerie geniti 322 lapides duriſſimos comminuentes ib. ligno percuſſi ſcintillas diſpergentes ib. palati medium occupantes 326
dentes ſani evulſi, aliis alveolis inſerti firmiter coaleſcentes 322
dentes ſerrati, incurvati, longi 326. ſplendentes obſcuro in loco 322 ſuperiores extrorſum, inferiores introrſum erumpentes 325 vermibus obſeſſi 326
dentibus conſpicuis homines nati 322
denticulus inciſorius tertio poſt partum die erumpens 322
dentis hæmorrhagia lethalis 328
dentitio 323. difficilis ib. ſera 324 ſymptomatibus variis ſtipata 323. 324
dentitionis tempora 323
dentium caries 327 defectus 323. 325 dolor varius 327 evulſio periculoſa 325 excreta vitioſa 328 fiſtula 327 intemperies 324
dentium loco os unum & continuum 323 magnitudo deformis 324 magnitudo naturalis deperdita 325 numerus excedens ib. retenta vitioſa 328 ſtridor 329 ſtupor 328 ſuperficies morboſa 324 vacillatio 326
diabroſis hæmorrhoidum 55 vaſorum renalium 72. 79
diabetes 78. 85
diapedeſis hæmorrhoidum 55 vaſorum naſi 337 pulmonalium 195 renalium 72. 79
diæreſis vaſorum naſi 337 vaſorum pulmonalium 195 vaſorum renalium 79
diaphragma perforatum 164 pure ſuffuſum ib.
diaphragmatis carnoſa pars abſceſſu laborans 164 inflammatio ib. vulnera an lethalia ib.
diarrhœa bilioſa 64
dolor corporis externus 12
dyſpnoea 145. 147. 149. 192
dyſuria 85. 86

E.

ECchymoma 6
ectropium 275
elephantiaſis græcorum 7
emphyſema 6. 273
empneumatoſis uteri 121
emproſthotonos 268
empyema 150. 164
epatis abſceſſus apoſtema 61 actiones læſæ 64 calculi ib. defectus 60 dolor 64 inflammatio 61
epatis loco maſſa carnea ib. moles nimis ampla 62 obſtructio ib. ſcirrhus 61 ſitus mutatus 60. 61 ulcus 61 ulcera phagædenica, cancroſa, gangrænoſa 63, an hæc lethalia ib. vomica 61 vulnera an lethalia 63
epar diſſolvi vel liquari an poſſit 62? friabile fiſſuras agens ib. latere ſiniſtro recumbens 60 nodis ſcatens 65 qualitate læſum ib.
ephelides 9. 338
epididymides teſtem gemellum mentientes 101
epiglottis indurata rigide 203 inflammata ib. relevata nimium ib.
epilepſia 240. 267
epilepticus ridens 343
epinyctides 3
epulis 329 magnitudine duplicis ferme pugni ib.
eryſipelas 6
eſſere 3
eunuchi 98 an cum feminis libidinari queant 99. 100 exanthemata 11
excretio alvina variarum rerum vid. Alvina excretio

F.

FAciei color p. n. 330 nigredo 332 rubedo intenſior 331
facies cruce ſanguinolenta in mortuo notata 333 hippocratica 331 ſphacelata 333
fames canina 32
favus

favus 10
fibula 111. 112
ficatio 9
ficus 9
fiſtula 12. 14. lachrymalis 280
flamma ex oculis erumpens 287
flatus per penem 109
fluor albus 129
fluxus hepaticus rectius inteſtinalis vel hæmorrhoidalis dicendus 54. 56. 64
fontanella membranacea vid. Vertex palpitans.
fœtus annos 28 in utero geſtatus & petrificatus 140 conformatio læſa 139 conſtitutio p. n. & monſtroſa in utero 140 ſeq. emortui oſſicula per 13 annos in utero relicta 131 epidermide carens 140 exſiccatus ib. lapideſcens ib. loquens in utero 144. miaſmata matris morbifica ſuſcipiens 142. 143 prægnans 141 putrefactus in utero 140 ſingultiens in utero 144 vagitum edens in utero 144 vivus ex improviſo in utero ſurreptus 141
fœtus tubaria geſtatio 118
frigoris ſenſatio 269
fungus 6. cranii 232
funiculus umbilicalis deficiens 139
furfuratio 224
furor uterinus 113. 120. 265
furunculus 8

G.

GAngræna 11
genitalium muliebrium labia eryſipelacea 128 intumefacta ib. tubercula 127 verrucæ ib.
geſtatio fœtus abrupta 131 alieno in loco peracta ib. prolongata nimium ib. ſimulata ib.
gibboſitas 145
gingivæ calloſæ 330 oſſeæ ib.
gingivarum cruentatio 329 inflammatio ib. laxitas ib. purredo ib.
glandoſum corpus vid. Proſtatæ
glandulæ aſperæ arteriæ primæ diviſioni adjacentes læſæ 116
glandulæ thyroideæ vid. Thyroideæ glandulæ
glans imperforata 108
glavcoma 296
gonorrhæa 101 notha benigna 109 notha maligna vel virulenta & venerea, ib. ſimplex vera 108
gramia vel glama 281
grando palpebrarum 277
gravedo 336. 338 ex ribium eſu 338
gryllus aurem ingreſſus 314
gula. vid. Oeſophagus.
guſtus læſus 35. 332
gutta roſacea 10 ſerena 298

H.

HÆmodia 328
hæmorrhagia narium. vid. Narium hæmorrhagia.
hœmorrhoides p. n. 55 cœcæ 127 fluentes, ib.
hæmoptyſis 195
hæreditaria diſpoſitio, 133. ſeq.
hæſitantia linguæ 353
hallucinatio. 298
hebetudo viſus 286. 298
hemeralopia 287
hemiplegia 264
hermaphroditi 112
hernia aquoſa 93 carnoſa ib. dorſalis 18 flatuoſa 94 gutturis 215 infra cartilaginem enſiformem 18 inguinalis 19. 119. 120 ſcrotalis 102. 103 ſeminalis 94 umbilicalis 18 uterina ib.
herniotomia 98
herpes ferus exedens 6 miliaris ib. zoſter 7
horripilatio 12. 269
humor aqueus oculi abſumptus reſtauratus 295. 296 coagulatus, condenſatus 295 deficiens, ib. exuperans, ib. turbatus coinquinatus ib.
—— cryſtallinus vitiatus. 296
—— vitreus morboſus 297
hydatides 12. 14
hydatis ovarii 115 palpebrarum 276 tubæ fallopianæ 117
hydrocele 93
hydrocephalus 10. 215. 239. 246 arte factus 225 cum tumore ſcirrhoſus 247. 248
hydrophobia 265

hydrops aſcites 16. 19. 56. 64. 68 omento concluſus 22 ovarii 114. ſeq. peritonæi ib. ſeq. pulmonum 184
hyſteromania 113

I.

Ichor 10
Icterus 64 niger ib.
iliaca paſſio 54
imaginationis maternæ in fœtum vis 135. ſeq.
imberbes 344
imperforatæ 126
impetigo 5 in facie 332
impotentia virilis 107
incontinentia urinæ 84. 132
incubus 265
inflammatio 6
ingravidatio falſa 131
intertrigo 2. 104
inteſtina muſculis abdominis ac peritonæo annexa 47 perforata 46 vitiata quoad retenta & qualitates 55
inteſtini recti coalitus, obturatio 53 fiſtula 51 inſtar funis contorſio 53
inteſtinorum abſceſſus & ulcera 49. 53 amplitudo p. n. 46 anguſtia p. n. 46. 53 brevitas 47 calculi 51 dolor 35 gangræna 49. 54 inflammatio 45. 51 lævitas p. n. 47 motus periſtalticus læſus 54 paralyſis, ib. ſitus p. n. 47 ſphacelus 49. 54 vermes 50 vulnera 48 quæ lethalia 48. 49
inteſtinum rectum fundo veſicæ implantatum. 53
ionthi 332
iſchuria renalis 78 veſicæ 85 urethræ ib.

L.

Labia curta 341 gemina ibid. leporina 340
labiorum excreſcentia carnoſa 341 fiſſuræ, ib. inflammatio 339 intumeſcentia ulcerosa venerea 340 magnitudo nimia 339 nodus 340 oedema 339 perverſio 343 puſtulæ 341 rhagades, ib. ſcirrhus 340 tremor 341 ulcera, ib. vulnera 340
labriſulcium 340
lac acre ſalſum 163 aquoſum ichoreſcens ib. amiſſum denuò appellens 162 contagioſum ib. croci qualitates ex aſſumto croco habens 163 ex femella infante 18 annorum ib. ex mammis nec gravidæ nec puerperæ nec lactantis, ib. ex vetula vidua ſexagenaria, ib. ex virgine, ib. luteum â rhabarbaro 163 per femur 162 per os, ib. per umbilicum excretum ib.
lactis abundantia 161 caſeatio, ib. coagulatio ib. defectus ib. excretio & generatio læſa ib.
lactumina 224
lachrymæ lacteæ, purulentæ, ſanguinolentæ, verminoſæ, urinoſæ 282
lachrymarum acrimonia 282 defectus ib. exundatio ib. glutinoſitas ib.
lagophthalmia 275
lapis ſpongioſus ex abdomine 14. 15
laryngi glans plumbea intruſa 202 lapides innati ib. officulum retro annatum ib. ſemen anguriæ illapſum ib. tumor cartilagineus accumbens ib.
laryngis cartilagines vid. cartilagines.
laryngis cartilagines oſſeo-duræ 201
—— rimula anguſtata, occluſa 203
laryngotomia 200
larynx læſus 201 monſtroſus ib.
lentigines 9. 332
lepra arabum 7
lethargus 262
leuce 5
leucoma 291
leucophlegmatia 11
lichen in facie 332
lien an ridere faciat ſi magnitudine excedit 66 duplex 67 læſus quoad excreta & qualitates 68 os cruciforme continens 67 oſſea cartilagine obductus ib. triplex ib. vaſtus in lobos diviſus 66
lienis defectus 65 dolor 68 hydatides 67 hydrops ib. inflammatio ib. inflatio ib. moles nimia 66 parvitas 65 ſcirrhus ib. ſteatoma ib. tumor ib. ulcera 68 vulnera an lethalia 67
lienteria 35. 54. nephritica 78
lingua calculos continens 348 duplex 349 immo-

immobilis ib. motu convulsivo agitata ib. resecta an reparetur? 352 semiparalysi affecta 349 tremula ib.
linguæ abscessus, apostema 348 adstrictio 349 atheroma 348 crusta aphthosa 349 eminentiæ scirrhosæ 347 excreta p. n. 353 inflammatio 347 iutumescentia varia ib. magnitudo p. n. 353 retenta p. n. ib. vermes 348 uleus aquoso cancrosum ib. vulnera 350 an lethalia ib.
liphæmi 331
lippitudo oculorum 273. 299 arida 274 dura ib. pruriginosa ib.
liquida cur difficilius deglutiantur duriusculis 44. 204
lobi auricularum perforandi 305
lochia p. n. 132
loquelæ vitia 351. seq.
luscioſitas 286

M.

MAcies 12
maculæ epaticæ 9 infantum volaticæ, ibid. morientium 333 scorbuticæ 9 vultus in epileptico 333
malacia 32
mamma cancrosa verminans 155 ex imaginatione mentulata 158 gammari figurâ ibid.
mammæ duæ in pectore, duæ in tergo 357 sanguinem continentes 163 tres, quatuor in una 357
mammarum abscessus 153 asperitas morbida 158 cancer occultus, manifestus vel exulceratus 155. erysipelas 153 fistulæ ib. fovea 157 gangræna 155 gracilitas 158 icterus ib. incrementum & decrementum ad phases Lunæ 156 inflammatio 152 magnitudo indecora 156 œdema 153 qualitates mutatæ 16 resciſſio 156 scirrhus 154 soliditas ossea 155 sphacelus ib. scrophulæ 154 τειχίασις ib. tumor 153 tumor flatuosus 154 ulcera 153 vulnera an lethalia 158
mamillæ virorum femininis majores 152 lac habentes ib.
mania 240, 264
maxillæ inferioris coalitus cum osse temporum 320 delapsus deorsum 321 fungi post dentis evulsionem enati totum pene os replentes 320 immobilitas ibid. luxatio 319 tumores duri 320
maxillarum abscessus 317 caries ibid. post dentem evulsum enata ibid. fissura 318 fractura ib. inflammatio 317 osticulum fissura sponte separatum ib. sphacelismus 318 spina ventosa ib. suppuratio 317
maxillare os dimidia parte carioſum abruptum, 321
meatus acusticus inflammatus 306 interceptus 307 obturatus 306. 307 occlusus 306
mediastini inflammatio 164 intercapedo pinguedine copioſissima suffarcta ib. sero sanguineo inundata ib. vomicam includens ib.
medulla oblongata & spinalis læsa 270
melancholia 264
meliceris 12 cum fasciculo pilorum 224 pone auriculam cum fasciculo pilorum. 302
membrum virile. vid. penis.
membrorum stupor. vid. stupor.
——— tremor. vid. tremor.
memoriæ læsio 266
menses per nares excreti 338 per os excreti 344
mensium cum alienis corporibus rejectio 130 emansio 128 fluxus dolorificus vel stillicidium 129 fluxus nimius ib. præmaturus 128 frigidorum excretio 130 qualitas vitiosa 129 suppressio morbida ibid.
mentagra 333
menyngis duræ motus p. n. 239
menyngum abscessus 255 vulnera 240 an lethalia? ib.
menynx duta cranio nullibi annexa 239 cranio tenaciter annexa ib. gangræna corrupta ib glutinoso humore obsita ib. gummatibus candidis obsessa ib inflammata ibid, pustulis erosa ibid, tumida. ibid.

meninx pia anfractus cerebri æquans 240 inflammata ib. duræ matri validiſſime accreta ib. plus æquo ab illa ſejuncta ib. ſeparabilis â cerebro ib. ſero turgida atque ſuffuſa ib.
meſenterii dolor 56 vaſa vitiata ib.
meſenterium abſumtum 56 chyli & lymphæ progreſſum impediens ib. incraſſatum ib. induratum ib.
mictio cruenta renalis 79 pedicularis 80 pilaris ib. pultacea ib. purulenta ib. verminoſa ib. veſiculis cruenta 85
miſerere mei 54
mola 130
monſtra 2. 139
Morbi auricularum & aurium 301 angulorum ocularium 280 arteriæ aſperæ 197 barbæ 343 bronchiorum ib. capillorum 121 capitis 210 cerebelli 257 cerebri 241 cervicis 217 cordis 171 cranii 226 cuticulæ 2 cutis 4 dentium 322 diaphragmatis 164 ductuum ſeminalium excretoriorum 102 embryonum 133 epatis 60 epididymidum 100 faciei 330 gingivarum 329 glandularum lachrymalium 280 glandularum thyroidæarum 211 humorum ocularium 295 inteſtinorum 45 labiorum 339 lachrymarum 282 lactis 161 laryngis 201 lienis 65 linguæ 347 mammarum 125 maxillarum 317 meatus acuſtici 306 mediaſtini 164 medullarum 270 muſculorum abdominis 13 muſc. intercoſtalium 150 muſcul. ocularium 283 naſi 333 nervi optici 298 oculorum 283 œſophagi 37 omenti 20 oris 344 ovarii muliebris 113 palpebrarum 273 pancreatis 57 papillæ 160 pectoris 145 penis 104 pericardii 165 peritonæi 15 pleuræ 163 præputii 110 proſtatarum 101 pulmonum 181 pupillæ 294 renum 69 renum ſuccenturiatorum 88 ſalivæ 354 ſcroti 102 teſtium 90 thymi 209 tonſillarum 346 tubæ fallopianæ 117 tunicarum ocularium 288 vaſorum præparantium 113 vaſorum ſpermaticorum 89 ventriculi 25 veſicæ urinariæ 81 veſiculæ felleæ 65 veſicularum ſeminalium 101 ureterum 81 urethræ 87 uteri 120 uvulæ 344
morbilli 11
morphæa 5
mucus narium retentus cauſa doloris colici 339
mulieres barbatæ 344
muſculorum abdominis abſceſſus 13 aduſtiones 15 contuſiones ib. inflammatio 13 intemperies ib. putrefactio 7 tumor p. n. 13 ulcera & vulnera 15
myrmecia 127

N.

NÆvi materni 9. 144
narium actiones læſæ 336 caries 333 coalitus 335 fiſſura 333 fluxus conſuetus læſus 336 fluxus lymphæ lethalis 338 fœtor 336 fractura 333
narium hæmorrhagia 337 ab aſpectu ranæ lethalis 338 campanarum ſonitu excitata 337 coercita ſanguine pulveriſato naribus attracto 338 cohibita à femina hircum olente ib. critica ſuppreſſa lethalis ib. cum petechiarum eruptione obtingens ib. curata per Venæſectionem ib. horis ſingulis ad campanæ pulſum recurrens 337 per paroxyſmos recurrens ib.
narium obſtructio 335 polypus 334 ſarcoma ib. tumores prægrandes 335 verrucæ ib. vibriſſæ evulſæ mortem cauſantes ib ulcera 334
naſi cancer 321. 335 excreta p. n. 338 oſſa in pulverem collapſa 321 qualitates mutatæ 339 retenta p. n. ib. vulnera 335
naſones 333
naſus aduncus vel reſimus 333 cœruleus 339 congelatus frigore ib. depravatus quoad partes cartilagineas oſſeas 333 & quoad partes molles 335 duplex 334. 335 pruriens 339 rubens ib. ſtellula alba ſexagona in defuncto ſignatus ib.
nephritis 71

nervi ampliati 271 anguſtati ib. exaridi ib. flaccidi ib.
nervorum gangræna 272 ſphacelus ib.
nigredo 4
noctambulatio 265
noma 348
nyctalopia 287

O.

OBauditio 307. 311
obeſitas nimia 12. 22 quomodo cauſa ſterilitatis eſſe poſſit 22. 23
oblivio 266
oculorum actiones abolitæ, auctæ 299 depravatæ 300. imminutæ 299
oculorum acies nocturna 287 albicans cicatrix 291 atrophia, macies, parvitas, profunditas 284 carbunculatio vel exulceratio cruſtoſa 285 caligatio hebetudo 286. 298 circumvolutio immodica 283 confuſio 284 defectus à nativitate 284 diſtortio 283 excreſcentia carnoſa 290 ſeq. excreta vitiata 300 fluxus, delachrymatio 281. 285 ficus & fungi 285 luſcioſitas 286 œdema 285 paralyſis 283 procidentia ib. qualitates læſæ 300 retenta vitioſa 300 ruptura 284 ſplendor in defunctis 288 ſugillatio ib. tophi 291 veſiculæ lucidæ ib. ulcera & vulnera 284, an hæc lethalia 292 293
oculi procidentia 284 duplici pupilla inſtructi ib, tres quatuor in uno homine ib, purulenti 292 vitulinis ſimiles 300
odontalgia vid. Dentium dolor
odor malus 12
œdema 8
œſophagi anguſtia & oppilatio ex ingeſtis, cauſisque variis 39 amplitudo p. n. 41 ocalitus 40. conſtrictio per ſtiptica 39 dilatatio ſub oſcitatione 41 dolor 43 expanſio nimia 40 glandularum congregatarum intumeſcentia catarrhalis & ſalivatoria mercurialis 39 intemperies calida 37 frigida 37. 38 humida ib. ſicca ib, qualitates læſæ 44 tumores 38 tumor inflammatorius & eryſipelaceus ib. œdematosus ib. verrucæ 43 ulcera 42 quomodo curentur? ib, vulnera quæ lethalia ib.
olfactus abolitus 336 depravatus ib. imminutus ib.
omenti abſceſſus 20 inflammatio ib, putredo ib.
omentum carnoſa ſubſtantia ponderoſum 23 conglobatum 24 corrugatum 21 durum & ferme lapideum 23 glandulis multis millenis dotatum 23. 24. inteſtinis firmiter annexum 20 per medium diſruptum & divulſum 21 pingue nimis 22 putredine conſumptum 20, ſphaceloſum 20 ſcirrhoſum 24 vulneratum, an mortis cauſa 24
omphalocele 18
ophthalmia 288 in ſphacelum degenerans 290
opiſthotonos 268
oris clauſura 343 hæmorrhoides 344 tortura 268. 342
orthopnoea 192
os arenulas continens 344 menſes excernens ib.
oſcheocele 202
oſcheo-enterocele 19
oſcheo-epiplocele ib.
oſcitatio 41 nimia 343
otalgia 309
ovaria feminea ovis turgidis referta 116. 117 putrida 115
ovarii feminei hydrops 114 ſeq. inflammatio 113. tumor 113. 114
ovarium femineum cum ligamentis & tubis unam maſſam conſtituens 118
oviductus mulierum vid. Tubæ fallopianæ
ovula imprægnata in oviductibus intercepta 118
ozæna 333 ſeq.

P.

PÆdarthrocace 318
palati cancer 311 defectus ib. efflorescentia candicans 349

palati ossa ex erosione absumta 322 in pulverem collapsa 321
palpebra callosa 275. 277. lapidescens 277 leporina 275
palpebrarum adustio 279 amplitudo & elongatio 278 aquositas 276 conglutinatio ib. cum oculo cohæsio ib. cancer 279 excrescentia ib. grando 277 ganglia & nodi 279 imbecillitas vel atonia, paralysis 278 inflammatio 273, inversio eversio 278 mutilatio 276 oedema 273 pediculatio 278 putredo vel corruptio 277 scirrhositas 279 tuberculum vel hordeolum 277 tumores cum folliculo ib. varix 279 ulcera & vulnera ib.
palpebrarum pili bulbo oculi obversi 278, deficientes 274, defluentes ib. sub interiori tarsi superficie enati 278
palpitatio cordis 180
panaritium 10
pancreas an extirpari possit? 58. cancrosum 57 lapidosum 58 pure ac pituita turgidum 57 scirrhosum, suppuratum ib.
pancreatis abscessus 57 calculi 58 excrescentia cartilaginea ib. glandulosa ib. intemperies 57 necessitas 58 plagæ an lethales 58. 59
pannus oculorum 290
papillæ natta appendens 160
papillarum defectus ib. fissuræ ib. inflammatio ib. numerus duplex in una mamma ib. retractio ib.
papulæ sudorales 5
paracenthesis thoracis 150
paracynanche 201
parasynanche ib.
paralysis 263 paralysis particularis 264
paræsis ib.
paraplegia ib.
paraphimosis 111
paraphrenitis 264
parotides 8. 301. benignæ, criticæ, malignæ, symptomaticæ 302
parvinasuli 333
parulis 329
partus animalia & alia corpora proferens 132 cæsareus 134 difficilis 132, mendosus hydatidum, vel molarum vesicularium ib. per insolitas vias ib.
pectoris cavitas lympha, pure, sanguine extravasato occupata 164 inundatio hydropica 184 pili unde? 171, vulnera quæ lethalia 151
pectus acuminatum angustum 145
pediculatio 224
penis abscessus 105 apostema ib. brevitas 106 cancrositas 110 deficiens 104 deorsum inflexio 108 duplex 105 emphysema ib. erectio abolita, aucta, depravata, imminuta 107. fungus cancrosus 105. ganglion ib. gangræna 110 hæmorrhagia spontanea ib. inflammatio 105 magnitudo morbosa 105, 106 serosus & hydropicus tumor 105 sphacelus ib. verrucæ ib. ulcera 105, 110 vulnera cum prognosi ib.
penis instar cornu inflexus 107. 108
penis loco corpus carnosum 104 it. exiguus tubus virgæ imperforatæ 104. 105 it. pila fungosa circa locum umbilici adnata. 104
penis lunatus 107 superiora versus incurvatus 108
penis flatum, sanguinem 109 alvinas feces eructans 110
pericardii aqua abundans, cum ejusdem cura & symptomatibus 167. 168
pericardii aqua bilioso lutea fœtida 169 congelata ib. deficiens 168 loturæ carnium similis ib. salsa acris 169 sanguinea ib. sanioso sanguine & materia purulenta mixta ib. urinæ turbatæ similis 168. 169
pericardii inflammatio 165 pars citra necem ablata 170
pericardium aqua expansum 167 deficiens 171 duplo crassius 165 exulceratum 169 hydatidibus inæquale 166 in partes fissum aut erosum rursus coalescens 170 intus hispidum 166 lapillis onustum ib. pustulis exasperatum ib. putredine absumtum 171 tumore obsessum 166 variis

riis partibus adnatum 166 vermibus refertum ib. uteri instar inflatum ib. vulneratum 169 an lethale ib. 170
pericranii vulnera 226. 233
pericranium dolori obnoxium 226 inflammatum ib. puri, sanguini & sero interstitium liberum præbens ib. ulceratum vulneratum ib.
peripneumonia 197. 181
peritonæi diverticula nova p. n. se habentia 119 dolor 19
peritonæum deficiens 19 divisibile in 3 membranas 15, hydropicum 16. 17 inflammatum 15, putrefactum 17
perniones 10
petechiæ 11
phimosis 110
philtromania 265
phlegmone 6
phlyctænæ 3
phrenitis 242. 264
phthisis pulmonum 190
phygetlon 8
phyma 8
pica 32
pili vid. capilli
pleuritis 150. 165
plica polonica 213
pneumatocele 94
pollutio nocturna 109
polypus non est sanguis refrigeratus post mortem 177
porrigo 224
prædictio ex dentibus 323
præputium 110. 111
presbytæ 297
priapismus 107
prominentia oculi 283
proportio corporis vitiata 2
prostatæ lapidem continentes 101 semine completæ ib.
pruritus 12
pstydracia 3
psorophthalmia 273
ptyalismus 354 artificialis ib.
pudendi anique loco foramen monstrosum 128
pudendum muliebre vid. genitalia muliebria.
Pulmones annexi pleuræ dyspnœam incurabilem an post se trahant? 192. aridi 186 cancrosi 186. 191 consumti 184 flatu distenti 183 ichore purulento repleti 186 lapidibus & grandinibus obsessi 187 ossibus referti ib. rebus extra irrumpentibus, fabâ, semine phaseoli, avellanæ nucis nucleo læsi 188. sanguine nigerrimo liquido & sanie repleti 186 scirrhosi 185 sine loborum distinctione 182 sphacelosi 191 vasti 182. 183 verminosi 188
pulmonum abscessus 186 angustia 185 apostemata 190. coalescentia cum costis 192 cum pericardio 191 cum pleura 192 cum thorace ib.
pulmonum compressio 185 conformatio singularis 182 defectus 184 dilatatio varicosa 183 erysipelas 181 hydrops 184 infarctus 183 imflammatio 181 intemperies calida 181 frigida 182 humida ib. sicca ib. intumescentia 183 lobus quintus putridus 182. pars ad asperam arteriam protrusa 185 phthisis 190 situs mutatus 189 strumosa substantia 185 tubercula 186 vitia quoad excreta 195 quoad qualitates 196 ulcera 190 vomica 186 vulnera quæ lethalia 189
pupillæ angulositas 294 angustia p. n. ib. dilatatio p. n. ib. è situ naturali dimotio ib. tabes ib.
purpura 11
pustulæ 3

R.

Rachitis 145
ranula 348
raucedo 203. 206. 216
ren lapideus 70 siliceus ib. sinister à calculo contritus 69 unicus in corpore cum duobus infundibulis & ureteribus ib.
renes tres, quatuor, in uno homine 75
renis dextri loco glandularum acervus exiguus vasis & urethere coalitis 70 fissuræ ib.

renis loco massa pure repleta 69 glandula 70 vesicæ plures 69
renum calculi 75 dolor 77 figura vitiosa 73 inflammatio 71 intemperies frigida & humida 71 sicca 72 laxitas & amplitudo p. n. 72 magnitudo excedens 73 obstructio 72 parvitas 74 qualitates læsæ 81 scirrhus 76 situs mutatus 75 tabes 74 vermes 76 ulcera 77 vulnera an lethalia 76
ren succenturiatus dexter plane obliteratus 88 sinister majusculus ib.
renes succenturiati in scirrhos versi 88 monstrosæ magnitudinis ib. ulcere cancroso sinuoso correpti ib.
rhagades 127
rhonchus 194 infantilis 210
respirandi difficultas 192
respiratio abolita 195 aucta 192 imminuta 192 336
ridens epilepticus 343
rigor 12
risus sardonius 268. 342. insalubris 343
roseolæ saltantes 8
rostrum leporinum ab inflicta matri alapa fœtui inductum 341

S.

SAliva calciformis & calculosa 355 consistentia vitiosa 354 cruore permixta 355 deficiens 354 excedens quantitate ib. extravasata ductibus excretoriis læsis 355. maligna ib. purulenta ib. sapore læsa ib. tumori fialodi inclusa ib. verminosa ib.
salivatio sine salivatione 355
sanguinis ex gula excretio 44
sarcocele 93
satyriasis 107
scabies 7
sclerophthalmia 274
scrophulæ vid. strumæ
scroti abscessus 103 gangræna ib. inflammatio 102 intertrigo 104 lapides ib. pinguedo p. n. ib. ulcera & vulnera cum prognosi 103
scrotum tumore aquoso flatuoso obsessum 103
scutiformis laryngis cartilago gemina 203
secundinarum retentio 132
seminis excretio abolita 108 depravata ib. dolorifica ib.
sub barbæ rasione eadem obtingens 109 it. sub exclusione alvi ib.
seminis substantia in flatuosos crepitus conversa ib.
seminis stillicidium 102
seminales ductus excretorii dilatati 102 erosi ib. relaxati ib.
seminalium ductuum caruncula læsa 102 ejusdem hypersarcosis ib.
sibilus pectoris 194
singultus 35
sirius 12
sirones 9
sitis aucta 33 imminuta ib.
soda 31
somnolentia 261
sonitus aurium 314
soporosi affectus 261 eorum causæ 262
spadones 98
sparganosis 161
spasmus 268 cynicus 268. 342. universalis & particularis 268
spermatocele 94
sphacelus 11
spiritus animales motu qualitate & quantitate læsi 260
spirituum animalium generatio læsa ib.
statura plus solito depressa 1 eminens ib.
steatoma 12 pone auriculam 302
sterilitas 101. 119. 130
sterni depressio 146 dolor ib. fractura ib.
sternum abscessibus, cariei, ulceribus fistulosis obnoxium ib.
sternutatio 337 apoplecticorum non semper salutifera ib. fœtui à matre impressa ib. mensium fluxum concomitans, ib. triduana ex mensium suppressione ib.
stertor infantum 210 suffocans an admittat bronchotomiam 200
strabismus 268
stranguria 85
struma fœtum humanum in se continens 214, pediculis, vermiculis obsessa, ib. subitò

bitò enata mali quid portendit ib.
strumæ 212 earum differentia à scrophulis ib. endemiæ 215
strumarum moles 214. 218 semina 214
stupor 12 membrorum 269
subscanatio 200
succi pancreatici acrimonia acida 59 muriatico salsa ib. defectus ib. exuperantia ib. lentor glutinosus ib.
sudamina 5
sudor immodicus 4, sanguineus 5, suppressus 4
suffusio 295
sugillatio 6 tunicæ albugineæ 288
surdastritas vel subsurditas 311
surditas 307. 311
surditatis diversæ species 313. seqq.
surdi an audiant, si quis supra verticem illorum loquatur? 312
—— naturâ, distinguendi â surdis ex accidenti ib.
—— —— cur muti maneant? 313
surdi sub strepitu magno colloquia audientes 312
surdus naturâ, loqui edoctus 313
suturæ abolitæ 228 divulsæ 230 extraordinariæ 227, geminatæ ib. laxatæ 229 positu & figura variæ 228
syncope 180

T.

TAbes 12. 168
talpa topinaria 10. 225
tarantismus 265
tenesmus 54
terminthus 8
termites ex naso 338
testiculo sacculus crassus appensus 94
testiculorum amborum defectus 97
testiculus cartilagineus 94 quintuplex 95 triplex 94 unicus in homine ib.
testiculus muliebris vid. Ovarium muliebre
testium abscessus 98 contusio ib. figura & superficies læsa 91 gangræna 98 hernia aquosa 93 carnosa ib. flatuosa 94 seminalis, ib. varicosa ib.
testium inflammatio 92 intemperies calida 90 frigida ib. magnitudo extraordinaria 91. 92 imminuta 92 scirrhus 92. 93 situs extraordinarius 95 seq. tumores 92 ulcera 98 vulnera an lethalia 98
testudo 225
tetanus 268
tinnitus aurium 314
thorax. vid. pectus.
thymi inflammatio 209 intumescentia ib.
thymus cur Anatomicorum oculis raro se subjiciat? 209 intus suppuratus, ostium in tracheam habens 211 plane osseus 211 scirrhosus lividus ib.
thyroideæ glandulæ vitiatæ ib.
tinea capillorum 222 capitis 10, 224
tonsilarum abscessus 347 inflammatio 346 œdema ib. scirrhus ib. ulcus ib.
tormina 53
trachea. vid. aspera arteria
tracheotomia 200
tremor cordis 180 membrorum 269
trichiasis 80
trochlea sclopeti per XVII annos intra cavitatem ossis frontis recondita, pernares excreta 338
tuba fallopiana obliterata 117 sine cavitate & cœca ib.
tubæ fallopianæ hydatides 117 hydrops ib.
tubercula scirrhosa glandularum subcutaneatum 6
tumores 5. cum folliculo, vel tunicati 11
tumor cancrosus juxta oculi iridem enatus. 295
tunica oculi albuginea inflammata 288
—— —— retina vitiata 298
tunica vitrei humoris hyaloides læsa 297
tunicarum oculi exulceratio 292 intumescentia 288 vulnera 292
tussis 194
tympani membrana avulsa 308 callosa, carnosa 309 inflammata 307 nimium relaxata, tensa ib. rupta 308 perforata, ib. putredine absumta sine auditus læsione ib. pertusa, an auditus illæsus maneat? 309
tympanitis 13. 19

V.

VAginæ uterinæ coalitus 127 glandulæ morbosæ 126 tunica plus æquo extensa 125 relaxata 126
vari 10, in facie 332
variolæ 11
vasa præparantia obstructa 113 varicosa ib.
vasorum præparantium soluta unitas 113 tumor ib.
vasa spermatica læsa 89 tumore varicosa obsessa 90 vulnerata ib.
venæ spermaticæ rami tres in medullam spinalem terminantes 90
venerem languentem excitans remedium, 106
ventriculi contusio 30 cruditas acida 34 nidorosa ib. putrilaginoso-fœtida ib. inflatio 26. intemperies calida, frigida, humida, sicca 25 superficies externa verrucosa 28 interna plana ib. orificia p. n. anguſtata 28. 29 qualitates mutatæ 36 vascula rupta, 30. 31 ulcera 30 vulnera, quæ lethalia? 29. 30
ventriculus duplex 28 figurâ depravatus 26 magnitudine excedens ib. perforatus 29 plus solito imminutus 26 situ extraordinario positus 27
vermium origo, differentiæ &c. 50
vermis ex cantho oculorum interno 282 intra tunicam albugineam 290 ex naso 338 intra venas sublinguales 348
verrucæ 5
vertex palpitans collapsus 231 depressus ib. membranulâ nigra post mortem virescente obductus ib, mollis in adultis 232 osseus in infantibus 231
vertigo 240. 265
vesicula fellea calculis referta 65 deficiens ib. rumpens ib. turgescens ib. vacua ib. vulnerata an lethale ib.
vesiculæ seminales calculosæ 101 induratæ, scirrhosæ ib.
vesica urinaria nulla 82 in corpus carneo spongiosum mutata extra abdomen posita 82
vesicæ urinariæ æmula intestini recti dilatatio 82
vesicæ urinariæ aucta magnitudo 81 calculus 82 dilatatio 81 dolor 84 inflammatio 81 parvitas 81. 82. prolapsus cum utero 82 scabies 83 vermes 82 vulnera an lethalia? 83. 84
vibrissæ narium evulsæ mortem causantes 335
vigiliæ p. n. 240. 260
visus hebetudo 286. 298 privatio ib.
vitiligo 5
ulcera 12
vociferatio abolita 206 depravata cum ejusdem diversis speciebus 205 imminuta ib. nimia ib.
vociferationis varietates unde? 205
volvulus 54
vomica pulmonum 186 hypocrania 256
vomitus 34. 54. 64 cruentus 68
ureterum amplitudo & dilatatio 81 anguſtia ib. incruſtatio ib. obstructio ib.
urethra anguſtior naturâ 87 carcinomate sordido occupata ib. carunculis & verrucis obsessa ib. erosa ib. excrescentia carnosa clausa ib. imperforata ib. obturata. ib.
urinæ incontinentia 84
uteri anguſtia, clausura p. n. 126 defectus, 125, dilaceratio ib. hydrops 122 inflammatio 120 inflatio 121 orificium internum callosum, cartilagineum 125 perforatio ib. procidentia ejusdemque varii casus 123 purgamenta p. n. 132 putrefactio 125 ruptura ib. scirrhus exquisitus, spurius 121 ulcera 125 vulnera an lethalia? 124
uteri vagina, vid. vagina uteri.
uterus biceps 120 cartilagineus 121 distortus 124 duplex 121 in unam massam instar steatomatis concretus 120 naturali major callosus, gibbosus 121 omento annexus ib. per totum abdomen extensus ib.
uveæ procidentia 293
uvula amissa cum vocis læsione 346 sine vocis

cis læsione ib. cum deglutitionis læsione ib.
uvula consumta 345 phthisin prædicit 346 tabis causa ib.
uvula elongata nimis 345
uvulæ adjacens excrescentia carnosa resecta, 345
uvulæ defectus â nativitate ib. quem defectum vicinæ partes resarserunt 346
gangræna 345 inflammatio 344 luxitas ib. scirrhus ib. sdhacelus 345 tumor mollis albus 344 ulcera 345

X.

Xerophthalmia 274

Z.

Zona vel zoster. 7

SPHALMATA TYPOGRAPHICA.

pag. 7. lin. 33. leg. turgescente pro turgescete.
12. l. 31. leg. epidermide pro epidemide.
13. l. 22. post insequente adde ascite.
27. l. 10. leg. ut pro uti.
32. l. 16. post concitatiorem adde spiritus.
78. l. 21. leg. liquoris pro iquoris.
78. l. 31. leg. nonnunquam pro nunquam.
79. l. 26. leg. mictione pro mixtione.
133. l. 17. leg. visus pro vulnus.
156. l. 29. post M. adde N. C.
158. l. 23. leg. defœdatas pro clefœdatas
ead. l. 18. post mentulatam adde M. N. C. Decur. II. Ann. VII. Obs. CXXIII.
189. l. 4. leg. pulmonum pro pulmonem
195. l. 29. leg. leg. pro ieg.
198. l. 18. leg. asperæ pro asperiæ
198. l. 21. leg. aspera pro aspria.
201. l. 29. leg. cartilagineum pro contilagineum.
223. l. 12. leg. distendendo pro destendendo.
228. l. 6. κατὰ ταυτὰ & l. 18. Platæam.
229. l. 25. deleatur tamen.
230. l. 18. leg. futuris pro saturis
238. l. 11. leg. effracturam pro effracturum.
247. l. 16. leg. glutine pro glutino & lin. 24. leg. Panarolo.
249. l. 2. post eidem adde Boneto.
252. l. 16. leg. concipiendus.
255. l. 7. deleatur vel.
258. l. 33. leg. putrida pro putida.
259. l. 25. leg. continui pro continue.
285. l. 20. leg. sine pro sive.
314. l. 12. pro VI. leg. IV.
316. l. 28. post proposuit adde: aliàs autem nova foramina in cavitate tympani cum cavitate cranii communicantia ibid. §. XIV. idem detexit.